CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS QUINTUS.

FLORENTIÆ. M DCC.XX.
Typis *Regiæ* Celsitudinis, apud Joannem Cajetanum
Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superiorum permissu.

CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Quinti.

F

Fracastorus Hieronymus. pag. 1.
Franchinus Franciscus. 114.
Frangipanius Tarquinius. 136.
Frizolius Laurentius. 137.
Fulvius Publius. 147.
Fulvius Andreas. 152.
Fumanus Adamus. 231.
Fuscus Leonardus. 237.

G

Gadaldinus Belisarius. pag. 240.
Gaddius Jacobus. 243.
Gambara Laurentius. 250.
Gauricus Pomponius. 276.
Gauricus Lucas. 279.
Genesius L. Parmenius. 280.
Genuensis Ubaldus. 283.
Gherardinus Petrus. 284.

Gian-

Gherardius Joannes Maria. 291.
Giannettasius Nicolaus Parthenius. 294.
Gibellinus Petrus. 338.
Gigans Antonius. 342.
Gorius Benedictus. 358.
Gratianus Alexander. 365.
Gravina Petrus. 366.
Gravina Antonius. 367.
Guadagnus Joannes. 368.
Guarinus Baptista. 370.
Gyraldus Lilius Gregorius. 376.
Gyraldus Cynthius Joannes Baptista. 385.

H

H*Adrianius.* pag. 397.

I

J*acominius, Tebalduccius, Malespina Laurentius.* pag. 413.
Jannoctius Donatus. 414.
de *Imola Benvenutus.* 415.
Imperialis Joannes Vincentius. 416.
Joanninus Angelus. 418.
Jovius Benedictus. 419.
Jovius Paulus. 429.
Jovius Julius. 4-3.
de *Juliis Joseph.* 445.

CAR-

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

HIERONYMI FRACASTORII
VERONENSIS.

Syphilidis, sive de Morbo Gallico Libri tres.

AD PETRUM BEMBUM.

Liber Primus.

QUi casus rerûm varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint: nostra qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Libyæque per urbes
Sæviit: in Latium vero per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit:
Necnon & quæ cura, & opis quid comperit usus,
Magnaque in angustis hominum sollertia rebus,

Et monstrata Deûm auxilia, data munera Cœli
Hinc canere, & longe secretas quærere caussas
Aëra per liquidum, & vasti per sidera olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore
Correptum, placidi Naturæ suavibus horti
Floribus invitant, & amantes mira Camœnæ.
Bembe, decus clarum Ausoniæ, si forte vacare
Consultis Leo te a magnis paulisper, & alta
Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem;
Et juvat ad dulces paulum secedere Musas:
Ne nostros contemne orsus, medicumque laborem,
Quidquid id est, Deus hæc quondam dignatus Apollo est:
Et parvis quoque rebus inest sua sæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum
Naturæ, fatique subest, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum caussas, quæ sidera noscis,
Et cœli effectus varios, atque aëris oras,
Urania (sic dum puro spatiaris olympo,
Metirisque vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi divino circa sidera plaudant)
Ipsa ades, & mecum placidas, Dea, lude per umbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea silva canenti
Aspirat, resonatque cavis Benacus ab antris,
Dic, Dea, quæ caussæ nobis post sæcula tanta
Insolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo nostrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus solvens de littore Ibero
Ausa fretum tentare, vagique incognita ponti est
Æquora, & orbe alio positas, perquirere terras?
Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, passimque vagari
Perpetuo cœli vitio, atque ignoscere paucis.
Commercine igitur caussa accessisse putandum est
Delatam contagem ad nos, quæ parva sub ipsis
Principiis, mox & vires, & pabula sensim
Suscipiens, se se in terras diffuderit omnes?
Ut sæpe in stipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam pastor quam liquit in arvo,

Illa

Illa quidem tenuis primum, similisque moranti
Incedit; mox ut paulatim increvit eundo,
Tollitur, & victrix messem populatur, & agros,
Vicinumque nemus, flammasque sub æthera jactat.
Dat sonitum longe crepitans Jovis avia silva,
Et cœlum late circum, campique relucent.

At vero, si rite fidem observata merentur
Non ita censendum: nec certe credere par est
Esse peregrinam nobis, transque æquora vectam
Contagem; quoniam in primis ostendere multos
Possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
Sponte sua sensere luem, primique tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una simul potuisset obire,
Aspice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Pascua, & Ausonios saltus, & Japygis oræ
Arva colunt: specta, Tyberis qua labitur, & qua
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis:
Uno nonne vides ut tempore pestis in omnes
Sæviit? ut sortem pariter transegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepisse ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ scindere puppibus æquor
Ausa fuit, quam quos disterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusque bicornis:
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
Tempore non alio, Pœni, sensistis, & omnes
Qui lætam Ægyptum metitis, fœcundaque Nilo
Arva, & palmiferæ silvas tondetis Idumes.
Quæ quum sic habeant sese, nempe altius isti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
(Ni fallor) graviorque subest, & major origo.

Principio quæque in terris, quæque æthere in alto,
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec sorte una, nec legibus iisdem
Proveniunt sed enim, quorum primordia constant
E paucis, crebro ac passim pars magna creantur:

Rarius ast alia apparent, & non nisi certis
Temporibusve, locisve, quibus violentior ortus,
Et longe sita principia; ac nonnulla prius, quam
Erumpant tenebris, & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, spatiosaque secula poscunt.
Tanta vi coëunt genitalia semina in unum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Nascendi est ratio, facilis pars maxima visa est
Et faciles ortus habet, & primordia præsto.
Rarius emergunt alii, & post tempore longo
Difficiles caussas, & inextricabile fatum,
Et sero potuere altas superare tenebras.
Sic elephas sacer Ausoniis incognitus oris.
Sic lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc est dira lues, quæ nuper in auras
Exiit, & tandem se se caligine ab atra
Exemit, durosque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)
Non semel in terris visam, sed sæpe fuisse
Ducendum est, quamquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetustas
Cuncta situ involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum seri videre nepotes.
Oceano tamen in magno sub Sole cadente,
Qua misera inventum nuper gens accolit Orbem,
Passim oritur, nullisque locis non cognita vulgo est.
Usque adeo rerum caussæ, atque exordia prima
Et cœlo variare, & longo tempore possunt.
Quodque illic fert sponte aër, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus forte suo si cunctas ordine caussas
Nosse cupis, magni primum circumspice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.
Quumque animadvertas tam vastæ semina labis
Esse, nec in terræ gremio, nec in æquore posse,
Haud dubie tecum statuas, reputesque, necesse est,
Principium, sedemque mali consistere in ipso

Aë-

Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis se se insinuat per corpora ubique,
Suetus & has generi viventum immittere pestes.
Aër quippe pater rerum est, & originis auctor.
Idem sæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabescere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia sæcla.
In primis tum Sol rutilus, tum sidera cuncta
Tellurem, liquidasque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitantque; utque ipso sidera cœlo
Mutavere vicem, & sedes liquere priores;
Sic elementa modis variis se grandia vertunt.
Aspice, ut, hibernus rapidos ubi flexit in Austrum
Phœbus equos, nostrumque videt depressior orbem,
Bruma riget, duratque gelu, spargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina sistit.
Idem, ubi nos Cancro propior spectavit ab alto,
Urit agros, arent nemora, & sitientia prata.
Siccaque pulvereis æstas squallescit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni grave sidus, & æquior orbi
Stella Jovis: quin pulchra Venusque, & Martius ignis,
Ac reliqua astra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum, & late magnos dent undique motus:
Præcipue sedem si quando plurima in unam
Convenere, suo vel multum devia cursu
Longe alias tenuere vias, hæc scilicet annis
Pluribus, & rapidi post multa volumina cœli
Eveniunt, Diis fata modis volventibus istis.
Ut vero evenisse datum est, numerumque diesque
Exegere suos, præfixaque tempora fatis;
Proh quanta aërios tractus, salsa æquora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur spatia in nubes, cœlum imbribus omne
Solvetur, fumisque voluti montibus amnes

Præcipites secum silvas, secum aspera saxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges super & nemora alta, domosque
Turbidus, æquabit pelago freta lata sonante.
Æstates alibi magnæ condentur, & ipsæ
Flumina speluncis flebunt arentia Nymphæ.
Aut venti cuncta invertent, aut obice clausi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forsitan & tempus veniet, poscentibus olim
Natura, fatisque Deûm, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deserta jacebit.
Verum etiam Sol ipse novum (quis credere possit?)
Curret iter, sua nec per tempora diffluet annus.
Ast insueti æstus, insuetaque frigora mundo
Insurgent, & certa dies animalia terris
Monstrabit nova, nascentur pecudesque, feræque
Sponte sua, primaque animas ab origine sument.
Forsitan & majora audens producere tellus
Cœumque, Enceladumque feret, magnumque Typhoëa,
Ausuros patrio Superos detrudere Cœlo,
Convulsumque Ossan nemoroso imponere Olympo:
Quæ quum perspicias, nihil est, cur tempore certo
Admirere novis magnum marcescere morbis
Aëra, contagesque novas viventibus ægris
Sidere sub certo fieri, & per sæcula longa.

Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Assyriæ gentes, & Persidos, & quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt, post tempore parvo
Corripuit, ditesque Arabas, mollemque Canopum:
Inde Phrygas, inde & miserum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa sæviit omni.

Ergo age jam mecum, semper sese æthere circum
Volventem, Superûmque domos, ardentiaque astra

Con-

Contemplare, animumque agitans per cuncta, require,
Quis status illorum fuerit, quæ signa dedere
Sidera, quid nostris cœlum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima patescet.
Aspice, candentes magni qua Cancer olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta;
Hinc diræ facies, hinc se diversa malorum
Ostendent portenta: una hac sub parte videbis
Magna coisse simul radiis ardentibus astra,
Et conjuratas sparsisse per aëra flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Prospiciens senior Vates, quem dia per omnes
Cœlicolûmque domos duxit, docuitque futura
Uranie: miseras, inquit, defendite terras,
O Superi; insolitam video per inania ferri
Illuviem, & magnos cœli tabescere tractus,
Bella etiam Europæ miseræ, bella impia, & agros
Ausoniæ passim currentes sanguine cerno.
Dixit, & illa etiam scriptis ventura notavit.
Mos superum est, ubi sæcla vagus Sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi;
Quæcumque eventura manent terrasque, polumque.
Quod tempus quum jam nostris venientibus annis
Instaret, rerum summus sator, & Superûm Rex
Juppiter acciri socios in rebus agendis,
Saturnum, Martemque jubet; bipatentia Cancer
Limina portarum reserat, Diisque atria pandit.
Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis, ferroque coruscans
Bellipotens Mavors, animis cui prœlia, & arma,
Vindictæque manent, & ovantes sanguine cædes.
Post placidus curru invectus rex Juppiter aureo
Insequitur (ni fata obstent) pater omnibus æquus.
Postremus, longaque via tardatus, & annis
Falcifer accedit senior, qui haud immemor iræ
In natum veteris, nato & parere recusans,
Sæpe etiam cessit retro, & vestigia torsit.

Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Juppiter at solio ex alto, quo se solet uno
Tollere, percenset fata, & ventura resolvit,
Multum infelicis miserans incommoda terræ,
Bellaque, fortunasque virûm, casuraque rerum
Imperia, & prædas, adapertaque limina morti;
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla mansuescat opis vi.
Assensere Dei reliqui: concussus olympus
Intremuit, tactusque novis defluxibus æther.
Paulatim aërii tractus, & inania lata
Accepere luem, vacuasque insuetus in auras
Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus astris
Cum Sole, e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris
Correptique novo vitio, contagia visu
Per terras tulerint; aliud sive æthere ab alto
Demissum late aërias corruperit oras. (cœlum.
Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine
Dicere, & in cunctis certas perquirere caussas
Difficile esse; adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
Miscetur sors, & varii per singula casus.
Nunc age non id te lateat, super omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus esse.
Solis nam sæpe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem;
Interdum segetem, & sata læta, omnique labores
Corripuit, scabraque afflat rubigine culmos;
Et vitiata parens producit semina tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut quædam ex ipsis. Memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Austro, quo pene omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit, a stabulis lætus ad pabula pastor
Ducebat: tum forte alto securus in antro

Dum

Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena,
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
Nec longe via mortis erat: namque acta repente
Circum præcipiti lapsu, revomensque supremam
Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atque æstate sequenti
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
Pestis febre mala miserum pene abstulit omne.
Usque adeo varia affecti sunt semina cœli.
Et variæ rerum species, numerusque vicissim
Inter mota subest, interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo
Expositi mollesque magis, non attamen ipsos
Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
Pulmonem? & pomis quamquam sit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva.
Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt:
Ast alibi mora certa, nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.

Ergo contagum quoniam natura, genusque
Tam varium est, & multa modis sunt semina miris,
Contemplator & hanc, cujus cœlestis origo est:
Quæ, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia silvis,
Non armenta boum, pecudesve, armentave equorum
Infecit, sed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, & nostros est pasta sub artus.
Porro homine e toto, quod in ipso sanguine crassum,
Et sordens lentore foret, fœdissima primum
Corripuit, sese pascens uligine pingui.
Tali se morbus ratione, & sanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & signa docebo
Contagis miseræ: atque utinam concedere tantum
Musa queat, tantumque velit defendere Apollo;
Temporis qui longa evolvit, cui carmina curæ,
Hæc multos monumenta dies ut nostra supersint.
Forte etenim nostros olim legisse nepotes,

Et signa, & faciem pestis novisse juvabit.
Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra sopita jacebit
Interitu data: mox iterum post sæcula longa
Illa eadem exsurget, cœlumque aurasque reviset,
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.

In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipsa suum compleverat orbem
Luna prius, quam signa satis manifesta darentur.
Scilicet extemplo non sese prodit aperte,
Ut semel est excepta intus, sed tempore certo
Delitet, & sensim vires per pabula captat.
Interea tamen insolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis & munera obibant
Ægrius, & toto segnes se corpore agebant.
Ille etiam suus ex oculis vigor, & suus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.
Paullatim caries fœdis enata pudendis,
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifesta magis vitii se prodere signa.
Nam, simul ac puræ fugiens lux alma diei
Cesserat, & noctis tristes induxerat umbras,
Innatusque calor noctu petere intima suetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obsita mole pigra humorum, tum vellier artus,
Bracchiaque, scapulæque gravi, suræque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoresque ipsos, & nutrimenta futura
Polluerant, natura malum secernere sueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum crasso quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exsanguibus, atque lacertis.
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magisque erumpere nata,
Summa cutis pulsa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam, & pectora fœde

Pro-

Turpabant: species morbi nova: pustula summæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quæ multo non post adaperta dehiscens,
Mucosa multum sanie, taboque fluebat.
Quinetiam erodens alte, & se funditus abdens
Corpora pascebat misere: nam sæpiùs ipsi
Carne sua exutos artus, squallentiaque ossa
Vidimus, & fœdo rosa ora dehiscere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Ut sæpe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi
Vidisti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi.
Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concrescere callum
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque juventam
Suspirans, & membra oculis deformia torvis
Prospiciens, fœdosque artus, turgentiaque ora,
Sæpe Deos, sæpe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos, noctisque soporem
Omnia per terras animalia fessa trahebant:
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas summis quæsissent montibus auras.
Diis etiam sparsæque preces, incensaque templis
Tura, & divitibus decorata altaria donis:
Dii nullas audire preces, donisve moveri.
Ipse ego Cænomanûm memini, qua pinguia dives
Pascua Sebina præterfluit Ollius unda,
Vidisse insignem juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni:
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proavisque potens, & corpore pulchro:
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,

Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæstra,
Venatuque feras agere, & prævertere cervos:
Illum omnes Olliique Deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ:
Omnes optatos suspiravere hymenæos.
Forsan & ultores Superos neglecta vocavit
Non nequidquam aliqua, & votis pia numina movit:
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invasit miserum labes, qua sævior usquam
Nulla fuit, nulla umquam aliis spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Disperiit, vis illa animi: tum squallida tabes
Artus (horrendum!) miseros obduxit: & alte
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Ulcera (proh Divûm pietatem!) informia pulchros
Pascebant oculos, & diæ lucis amorem,
Pascebantque acri corrosas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, post tempore parvo
Ætheris invisas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Olliique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ:
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.

Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
Pestem atrox, nec sæva minus crudelis & ipse
Miscebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac nascente, putem simul omnia diras
Eumenidas cecinisse fera, & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Excivisse lacus, Stygiaque ab sede laborem,
Pestemque, horribilemque famem, bellumque, necemque;
Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine, tuque
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Est merita? an quidquam superest dirique gravisque,
Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus usquam
Aversum usque adeo cœlum tulit? ipsa labores,
Parthenope, dic prima tuos, dic funera regum,

Et

Et spolia, & prædas, captivaque colla tuorum.
An stragem infandam memorem, sparsumque cruorem
Gallorumque, Italûmque pari discrimine, quum jam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaque equorum
Corpora volventem, cristasque, atque arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque spumantem, & nostrorum cæde tumentem,
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix suscepit, & alrum
Indoluit tecum, & fluvio solatus amico est.
Ausonia infelix, en quo discordia priscam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum!
Angulus anne tuâ est aliquis, qui barbara non sit
Servitia, & prædas, & tristia funera passus?
Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, & plenis lapsurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.
O patria, o longum felix, longumque quieta
Ante alias, patria o Divûm sanctissima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætissima campis
Uberibus, rapidoque Athesi, & Benacide lympha,
Ærumnas memorare tuas, summamque malorum
Quis queat? & dictis nostros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara jussa?
Abde caput, Benace, tuo, & te conde sub amne,
Victrices nec jam Deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrimæ planctusve forent, en dura tot inter,
Spes Latii, spes & studiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, Marce
Antoni, ætatis primo sub flore cadentem
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.
Te ripæ flevere Athesis, te voce vocare
Auditæ per noctem umbræ, manesque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.

Tempestate illa Ausoniam Rex Gallus opimam
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat,
Parte alia, Cæsar ferro superabat, & igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem:
Et totum luctus Latium, mœrorque tenebat.

Liber Secundus.

NUnc age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
Conveniat (nostri quæ pars est altera cœpti)
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
Tentassent, tamen angustis solertia major
In rebus, crescensque usu experientia longo
Evicere: datumque homini protendere longe
Auxilia, & certis pestem compescere vinclis
Victorum, & sese claras attollere in auras.
Credo equidem & quædam nobis divinitus esse
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam, quamquam fera tempestas, & iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino præsentia Divum
Abfuit a nobis, placidi & clementia cœli.
Si morbum insolitum, si dura, & tristia bella
Vidimus, & sparsos dominorum cæde penates,
Oppidaque, incensasque urbes, subversaque regna,
Et templa, & raptis temerata altaria sacris:
Flumina dejectas si perrumpentia ripas
Evertere sata, & mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, & domini, correptaque rura natarunt;
Obseditque inimica ipsas penuria terras:
Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis, extremo ex Atlante repostos
Hesperidum penetrare sinus, Prassumque sub Arcto
Inspectare alia, præruptaque littora Rhapti,
Atque Arabo advehere, & Carmano ex æquore merces:

Au-

Auroræ sed itum in populos Titanidis usque est
Supra Indum, Gangemque supra, qua terminus olim
Catygare noti Orbis erat: superata Cyambe,
Et dites ebeno, & felices macere silvæ.
Denique & a nostro diversum gentibus Orbem,
Diversum cœlo, & clarum majoribus astris
Remigio audaci attigimus, ducentibus & Diis.
Vidimus & vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauserunt, umbræque sacri, Manesque Maronis;
Qui magnos stellarum orbes cantavit, & hortos
Hesperidum, cœlique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Post mutos cineres, quos & venientia sæcla
Antiquis conferre volent, at, Bembe, tacendus
Inter dona Deum nobis data non erit umquam
Magnanimus Leo, quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Assurgit, Romæque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auspiciis jam nunc mala sidera mundo
Cessere, & læto regnat jam Juppiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina cœlum.
Unus, qui ærumnas post tot, longosque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas,
Et leges Latio antiquas, rectumque, piumque
Restituit: qui justa animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione Deorum.
Unde etiam Euphrates, etiam late ostia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refulsi,
Atque Ægea suos confugit Doris in Isthmos.
Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclita component, dum forte accingeris & tu
Condere, & æternis victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
Inceptos, quantum tenuis fert Musa sequamur.
Principio, quoniam affecti non sanguinis una
Est ratio, tibi sit morbo spes major in illo,
Sanguine qui insedit puro: verum, quibus atra

Bile

Bile tument, ſpiſſoque reſultant ſanguine venæ,
Major in iis labor eſt, peſtiſque tenacius hæret.
Quare operæ pretium eſt validis, atque acribus uti
Omnibus hos contra, miſeris nec parcere membris.
Quinetiam meliora ſibi promittere cuncta
Ille poteſt, qui principiis noviſſe ſub ipſis
Serpentem tacite valuit per viſcera labem.
Namque, ubi paſta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & jam ſe vitium firmaverit intra,
Heu quanto tibi libertas ſperanda labore eſt:
Ergo omnem impendens operam te opponere parvis
Principiis, memorique animo hæc præcepta recondé.
In primis ego non omni te aſſueſcere cœlo
Exhorter: fuge perpetuo quod flatur ab Auſtro,
Quod cœno, immundæque grave eſt ſudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber, & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulſuſque Aquilonibus aër.
Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia ſunto.
Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos.
Nec tibi ſit labor aërii curſu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,
Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſæpe, malum qui jam ſudoribus omne
Finiſſet, ſilviſque luem liquiſſet in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro,
Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:
Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas,
Et valida aëriam quercum extruncare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoque poſſis,
Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa.
Et ſaltu, & dura potes exſudare palæſtra.
Vince malum: nec te fallat, quod deſidis otii
Aſſidue deſiderium, lectique ſequatur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede ſopori.
His alitur vitium, & placidæ ſub imagine pacis

De-

Decipit, e dulcique trahit fomenta quiete.
Necnon interea effugito, quæ tristia mentem
Sollicitant: procul esse jube curasque, metumque
Pallentem, ultricesque iras, omnemque Minervæ
Addictum studiis animum: sed carmina, sed te
Delectent juvenumque chori, mixtæque puellæ.
Parce tamen Veneri, mollesque ante omnia vita
Concubitus; nihil est nocuum magis: odit & ipsa
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod sequitur, victus ratio tibi maxima habenda est;
Nec sit cura tibi, neve observantia major.
Principio, quoscumque amnes, quoscumque paludes,
Quosque lacus liquidi pascunt, quosque æquora, pisces,
Omne genus procul amoveo, sunt, quos tamen usus
Liberius, quum res cogit, concedere possit.
Omnibus his est alba caro, non dura, tenaxque,
Quos petræ, & fluviorum adversa, marisque fatigant:
Tales nant pelago phycides, rutilæque per undas
Auratæ, gobiique, & amantes saxea percæ.
Talis dulcifluûm fluviorum scarus ad ora
Solus saxa inter depastas ruminat herbas.
Sed neque, quæ stagnis volucres, quæque amnibus altis
Degere *amant*, liquidisque cibum perquirere in undis,
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anser
Vitetur, potiusque vigil Capitolia servet:
Viteturque gravi coturnix tarda sagina.
Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina porcæ,
Porcæ heu terga fuge, & lumbis ne vescere aprinis,
Venatu quamvis toties confeceris apros.
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent,
Neve famem cinara, bulbisve salacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,
Non fumosa mero spumantia pocula Baccho,
Qualia Cymæi colles, campique Falerni,
Et Fucinus ager mittunt: aut qualia nostris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe *Sabina* magis placeant, dilutaque tellus
Quæ tulit, & multo domuerunt Najades amne.

At tibi si ex horto victus, mensæque Deorum
Sunt animo, atque olerum simplex, & inempta voluptas,
Non mentæ virides, non læta sisymbria desunt,
Intybaque, & toto florentes frigore sonchi,
Et sia fontanis semper gaudentia rivis,
Et thymbræ suaves, & odoriferæ calaminthæ:
Læta meliphylla, & riguo buglossus ab horto
Carpantur, plenisque ferax erucula palmis,
Atque olus, atque rumex, & falsi gramina crithmi.
Ipsa lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Asparagos, albæ asparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum
Texuit, & virides jussit pendere corymbos.
Singula sed longum est, nec percensere necesse,
Jamque aliud vocor ad munus; juvat in nova Musas
Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi si non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxisse corona,
At saltem ob servata hominum tot millia, dignum
Censuerint querna redimiri tempora fronde.

Vere novo, si quem morbus tenet, aut & in ipso
Autumno, si firma ætas, si sanguis abundat,
Regalem, mediamve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocumque habeat te tempore pestis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta resolve,
Et crassa attenua, & lentore tenacia frange.

Ergo Coryciumque thymum sit cura, thymumque
Pamphylium, thymbræ similis qui durior exit,
Prima tibi coxisse, lupique volubile gramen,
Fœniculumque, apiumque, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & lymphis tangi renuens adiantus:
His sterile asplenum, his pictam phyllitida junge.
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,

Tum

Tum scilla medicare acri, & colocynthide amara,
Helleboroque gravi, necnon quæ in littore surgens,
Qui ludit maris unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die, rem nomine signat,
Herba potens radice, suum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum cucumin, Nabathaaque tura,
Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorem,
Et lacrimam panaceam, & dulci Colchica bulbo.
His actis, si forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare, brevique exstinguere pestem,
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti,
Tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagisque ad tenuia semina cæcæ,
Illa quidem consueta modis inserpere miris.
Profuerint igitur, quæque exsiccantia, quæque
Marcori resinosa solent obsistere putri.
Tales sunt myrrhæ lacrimæ, sunt talia tura,
Cedrusque, aspalathusque, immortalisque cupressus,
Et bene cum calamo spirans redolente cyperus.
Ergo nec desint casiæ, nec desit amomum,
Macerve, agalochumve tibi, nec cinnama odora.
Est etiam in pratis illud, juxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obstare venenis,
Contagique solet, parvo quærenda labore
Herba tibi: viret ipsa comis imitata chamædrym,
Flore rubens, referensque alli cum voce saporem.
Aurora nascente hujus frondemque comantem
Radicesque coque, atque haustu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta silebere nostris,
Hesperidum decus, & Medarum gloria, citre,
Silvarum: si forte sacris cantata Poëtis
Parte quoque hac medicam non dedignabere Musam.
Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,
Semper flore novo redolens: sis semper onusta
Per viridem pomis silvam pendentibus aureis,
Ergo, ubi nitendum est cæcis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Cithereia præstat.

 Quip-

Quippe illam Citherea, suum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo, & virtutibus auxit.
Quorumdam inventum est vitrei intra concava vasis,
Cui collum oblongum est, venter turgescit in orbem,
Aut hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem
Radicem, aut inulas coquere; in sublime solutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet.
Ast, ubi frigenti occursavit ab aëre vitro,
Cogitur, & rorem liquidus densatur in udum,
Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Destillantis aquæ cyathum sub lumina prima
Luciferi potare jubent, stratisque parare
Sudorem, nec certe ab re: vis utilis olli est,
Relliquias morbi tenues dispergere in auras.
Interea, si membra dolor convulsa malignus
Torqueat, œsypo propera lenire dolorem,
Mastichinoque oleo: lentum quibus anseris unguen,
Emulsumque potes lini de semine mucum,
Narcissumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque crocum, & vilem componere amurcam.
At, fauces atque ora malus si eroserit herpes,
Tange nitro, & viridi medicata ærugine lympha
Semina inure mala, & serpentem interfice pestem.
Verum ipsos ope non alia consumere achores,
Urentum quam vi poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
Hæc eadem, & miseros artus si qua ulcera pascunt,
Tollere, concretosque valebunt solvere callos.
Si vero aut hæc nequidquam tentasse videbis,
Aut vires, animique valent ad fortia quæque,
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Festines, diramque brevi consumere pestem,
Hinc alia inventa expediam, quæ tristia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores,
Ærumnasque mali poterunt: quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite vivax
Nedum se haud vinci placidis, & mitibus, at nec

Tra-

Tractari sinit, & mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimque,
Et minium, & stymmi agglomerant, & tura minuta,
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
Absumuntque luem miseram, & contagia dira.
At vero & partim durum est medicamen, & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis
Spiritus, eluctansque animam vix continet ægram.
Quo circa totum ad corpus nemo audeat uti
Judice me: certis fortasse erit utile membris,
Quæ papulæ informes, Chironiaque ulcera pascunt.
Argento melius persolvunt omnia vivo
Pars major: miranda etenim vis insita in illo est:
Sive quod id natum est subito frigusque caloremque
Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,
Quodque est condensum, humores dissolvit, agitque
Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit.
Sive acres, unde id constat compagine mira,
Particulæ nexuque suo, vinclisque solutæ
Introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri,
Colliquant concreta, & semina pestis inurunt;
Sive aliam vim fata illi, & Natura dedere.
Cujus & inventum medicamen munere Divûm
Digressus referam. quis enim admiranda Deorum
Munera prætereat? Syriæ nam forte sub altis
Vallibus, umbrosi nemora inter glauca salicti,
Callirhoë qua fonte sonans decurrit amœno,
Fama est cultorem Diis sacri agrestibus horti,
Cultorem nemorum, sectatoremque ferarum,
Ilcea labe gravem tanta, dum molle cyperum,
Et casiam, & silvam late fragrantis amomi
Irrigat, hæc orasse Deos, & talia fatum:
Dii, quos ipse diu colui, tuque optima tristes,
Callirhoë, quæ sancta soles depellere morbos,
Cui nuper ramosa ferens ego cornua cervi
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dii, mihi crudelem misero si tollere pestem
Hanc dabitis, quæ me afflictat noctesque diesque,

 Ipse

Ipſe ego purpureas, ipſe albas veris, & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primaſque roſas, primoſque hyacinthos,
Veſtraque odoratis onerabo altaria ſertis.
Gramen erat juxta viridans. Sic fatus, ut æſtu
Feſſus erat, viridi deſedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quæ ſeſe fonte lavabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica muſco
Saxa fluens, juveni dulci blandita ſuſurro,
Lethæum immiſit ſomnum, ſparſitque ſopore
Graminea in ripa, & ſalicum nemus inter opacum;
Atque illi viſa eſt ſacro ſe flumine tollens
In ſomnis coram eſſe, pia & ſic voce locuta:
Ilceu, in extremo Diis tandem audite labore,
Cura mei, tibi nulla ſalus, quacumque videt Sol,
Speranda eſt terram magnam ſuper, hoc tibi pœnæ
Dat Trivia, & precibus Triviæ exoratus Apollo,
Ob ſacrum jaculo percuſſum ad flumina cervum,
Et noſtris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam, poſtquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abſciſſo capite, & ſacro ſparſa arva cruore,
Omnibus ingemuit ſilvis, dirumque precata eſt
Auctori, oranti Latous tanta Sorori
Affuit, & peſtem miſero immiſere nefandam
Durus uterque tibi: quin & quacumque videt Sol,
Interdixit opem: quare tellure ſub ima,
Si qua ſalus ſupereſt, cæca ſub nocte petenda eſt.
Eſt ſpecus arboribus tectum, atque horrore verendum
Vicina ſub rupe, Jovis qua plurima ſilva
Accubat, & raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, ubi ſe primis Aurora emittet ab undis,
Ire para, & nigrantem ipſis in faucibus agnam
Mactato ſupplex, atque Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio, nigram tum Noctem, umbraſque ſilentes,
Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas,
Et thya venerare, atræ & nidore cupreſſi.
Hic tibi narranti cauſſam, auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæco in penetralia terræ

De-

Deducat te ſancta, & opem tibi ſedula præſtet.
Surge age, nec vani ſpeciem tibi concipe ſomni.
Illa ego ſum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait, & ſe cæruleo cita condidit amne.
Ille autem, ut placidus ceſſit ſopor, omina lætus
Accipit, & Nympham precibus veneratur amicam.
O ſequor, o quocumque vocas, pulcherrima fontis
Vicini Dea, Callirhoë. Tum poſtera primum
Exſurgens Aurora, ſuos ubi protulit ortus,
Monſtratum Jovis in ſilva ſub rupibus altis
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnæque trementem
Mactat Opi: tibique, inquit, ego hāc, Ops maxima, macto.
Tum Noctem, Noctiſque Deas ignota precatur
Numina, jamque ſimul thyam, atramque cupreſſum
Urebat, quum vox terræ revoluta cavernis
Longe audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus ima ſolo ſunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,
Sulphureos forte ut latices, & flumina vivi
Argenti, mox unde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis ſpiſſi radios, centum ætheris uſti,
Bis centum concretorum terræque mariſque
Miſcuerat, noſtros fugentia ſemina viſus.

At Lipare, Lipare argenti cui ſemina, & auri
Cura data, & ſacrum flammis adolere bitumen:
Continuo obſcuræ latebroſa per avia terræ,
Ilcea adit, firmanſque animum ſic incipit ipſa:

Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota eſt, nec quid venias) jam corde timorem
Exue. Nequidquam non te huc cariſſima mittit
Callirhoë. Tibi parta ſalus tellure ſub ima eſt.
Tolle animos, & me per opaca ſilentia terræ
Inſequere : ipſa adero, & præſenti numine ducam.
Sic ait, *& ſe* antro gradiens præmittit opaco.
Ille ſubit, magnos terræ miratus hiatus,

Squallentesque situ æterno, & sine lumine vastas
Speluncas, terramque meantia flumina subter.
Tum Lipare: hoc quodcũque patet, quã maxima terra est,
Hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti
Dii habitant: imas retinet Proserpina sedes,
Flumina supremas, quæ sacris concita ab antris
In mare per latas abeunt resonantia terras.
In medio dites Nymphæ, genera unde metalli,
Ærisque, argentique, aurique nitentis origo:
Quarum ego nunc ad te miserans ipsa una Sororum
Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirrhoæ haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulphura. Sic ibant terra, & caligine tecti.
Jamque exaudiri crepitantes sulphure flammæ,
Conclusique ignes, stridentiaque æra caminis.
Hæc regio est late, variis ubi fœta metallis,
Virgo ait, est tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet, superas cœli qui cernitis auras,
Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris,
Nocte Deæ, & Tellure satæ, queis munera mille,
Mille artes, studium est aliis deducere rivos,
Scintillas aliis rimari, & sparsa per omnem
Semina tellurem flammarum, ignisque corusci.
Materiam miscent aliæ, massamque coërcent
Obicibus, multa & gelidarum inspergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Ætnæi Cyclopes habent versantque, coquuntque
Vulcano stridente, atque æra sonantia cudunt.
Læva hæc abstrusum per iter via ducit ad illos.
Dextera sed sacri fluvii te sistet ad undam,
Argento fluitantem undam, viveque metallo,
Unde salus speranda, & jam aurea tecta subibant,
Rorantesque domos spoliis, fuligineque atra
Speluncas varie obductas, & sulphure glauco.
Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta astabant, ripasque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
Subsequitur Lipare, postquam ter flumine vivo
Per,

Perfusus, sacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur, simul argenti ter fonte salubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra super, juvenem toto ter corpore lustrat
Mirantem exuvias turpes, & labe maligna
Exutos artus, pestemque sub amne relictam.
Ergo age, quum primum cœli te purior aër
Accipiet, nitidamque diem, Solemque videbis,
Sacra para, & castam supplex venerare Dianam,
Indigenasque Deos, & Numina fontis amici.
Sic Virgo, & juvenem tanto pro munere grates
Solventem e nocte ætherias educit in oras,
Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem, populosque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen: cœptaque primum
Misceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ simul adjuncta est terebinthi,
Et laricis resina aëriæ. Sunt, qui unguen equinum,
Ursinumve adhibent, bdelæ, cedrique liquorem.
Nonnulli & myrrhæ guttas, & mascula tura
Adiiciunt, miniumque rubens, & sulphura viva.
Haud vero mihi displiceat, componere si quem
Trita melampodia, atque arentem juverit irim,
Galbanaque, & laser grave olens, oleumque salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulphuris ignem.
His igitur totum oblinere, atque obducere corpus
Ne obscœnum, ne turpe puta; per talia morbus
Tollitur, & nihil esse potest obscœnius ipso.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Tum super & vittas astringe, & stuppea necte
Vellera; dein stratis tegmento imponere multo,
Dum sudes, fœdæque fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis satis est iterasse diebus.
Durum erit: at, quidquid tulerit res ipsa, ferendum est.
Aude animis, tibi certa salus stans limine in ipso
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Assidue sputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.

Ora

Ora tamen fœda erodens ulcuſcula: ſed tu
Lacte fove, & cocto cytini, viridiſque liguſtri.
Tempore non alio generoſi pocula Bacchi
Annuerim ſumenda tibi, purumque Falernum,
Et Chia, & pateris ſpumantia Rhetica largis.
Sed jam age vicinæ victor gratare ſaluti;
Ultima adeſt tibi cura, eadem & placidiſſima, corpus
Abluere, & luſtrare artus, ac membra piare
Stœchade, amaracinisque comis, & rore marino,
Verbenaque ſacra, & bene olentibus heracleis.

Liber Tertius.

SEd jam me nemora alterius felicia Mundi,
Externique vocant ſaltus: longe aſſonat æquor
Herculeas ultra metas, & littora longe
Applaudunt ſemota, mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto devecta ex Orbe canenda
Sancta arbos, quæ ſola modum, requiemque dolori,
Et finem dedit ærumnis, age, Diva, beatum,
Uranie, venerare nemus, crineſque revinctam
Fronde nova juvet in medica procedere palla
Per Latium, & ſanctos populis oſtendere ramos:
Et juvet haud umquam noſtrorum ætate parentum
Viſa prius, nullive umquam memorata referre.
Unde aliquis forſan novitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Aſſuetus, canat auſpiciis majoribus auſas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Necnon & terras varias, & flumina, & urbes,
Et varias memoret gentes, & monſtra reperta:
Dimenſaſque plagas, altoque orientia cœlo
Sidera, & insignem ſtellis majoribus Arcton.
Nec taceat nova bella, omnemque illata per orbem
Signa novum, & poſitas leges, & nomina noſtra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Sæcula) quodcumque Oceani complectitur æquor
Ingens, omne una obitum, menſumque carina.

Fe-

Felix, cui tantum dederit Deus, at mihi vires
Arboris unius satis est, usumque referre:
Et quo inventa modo fuerit, nostrasque sub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti sub sidere Cancri,
Sol ubi se nobis media jam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu jacet insula longo:
Hispanam gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra ferax: sed longe ditior una
Arbore: voce vocant patrii sermonis Hyacum.
Ipsa teres, ingensque, ingentem vertice ab alto
Diffundit semper viridem, semperque comantem
Arbuteis silvam foliis: nux parva, sed acris
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita est, duro & pæne æmula ferro
Robora, quæ resinam sudant incensa tenacem.
Dissectæ color haud simplex, in cortice, lauri
Exteriore viret lævor, pars altera pallet
Buxea: at interior nigro suffusca colore est,
Juglandemque, ebenumque inter, quod si inde ruberet,
Jam poterat variis æquare coloribus Irim.
Hanc gens illa colit, studioque educere multo
Nititur: hac late colles campique patentes,
Hac omnis vestitur ager: nec sanctius illis
Est quidquam, aut potiore usu: quippe omnis in illa
Spes jacet hanc contra pestem, quæ cœlitus illic
Perpetua est. validos abjecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in segmenta minuta
Elimant. puroque scobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.
Inde coquunt: nec non illos ea cura fatigat,
Vulcano ne forte furens erumpat aquæ vis,
Et superundantem spumam projectet in ignes.
Spuma quippe linunt, si quidquam e corpore toto
Abscedit, si quidquam ægros depascitur artus.
Dimidia absumta, superest quodcumque, reponunt,
Divini laticis, quin & segmenta relicta
Rursus, ut ante, coquunt, addentes suaveliquens mel.

Sci-

Scilicet hunc unum mensis accedere potum
Et lex ipsa jubet gentis, mandatque sacerdos.
Servatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quaque assumunt, quum surgit ab ortu
Lucifer, & sero egreditur quum Vesper olympo.
Nec prius absistunt potu, quam menstrua cursum
Luna suum, & totum peragrans perfecerit orbem,
Fraternasque iterum convenerit æmula bigas.
Interea cæcis sese penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti, non halitus aëris ullus
Insinuet sese, & gelidis afflatibus obsit.
Quid mirandum æque memorem, super omnia victum
Quam tenuem, quam magna sibi jejunia poscant?
Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur:
Dum superet vita, & tantum ne membra fatiscant.
Ne tamen ah ne tanta time; sacer ilicet haustus
Ille modo ambrosiæ, vires reficitque fovetque,
Inque occulta gerit jejunis pabula membris,
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt sese stratis, medicamen ut intro
Large eat, & calido sudorem e corpore ducat.
Interea vacuas pestis vanescit in auras.
Et (dictu mirum) apparet jam pustula nulla:
Jamque nomæ cessere omnes, jam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore juventa:
Et jam Luna suum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monstraverit usus:
Qui demum & nobis casus, aut fata tulere
Hos ipsos: unde & sacræ data copia silvæ,
Nunc referam. Missæ quæsitum abscondita Nerei
Æquora, in occasum, Solisque cubilia, pinus
Littoribus longe patriis, Calpeque relictis,
Ibant Oceano in magno, pontumque secabant,
Ignaræque viæ, & longis erroribus actæ.
Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monstra maris Nereides udæ
Adnabant, celsas miratæ currere puppes,
Salsa super pictis volitantes æquora velis.

Nox

Nox erat, & puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula classis,
Luna, ait, o, pelagi cui regna hæc humida parent,
Quæ bis ab aurata curvasti cornua fronte,
Curva bis explesti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus, da littora tandem
Aspicere, & dudum speratos tangere portus,
Noctis honos, cœlique decus, Latonia Virgo.
Audiit orantem Phœbe, delapsaque ab alto
Æthere, se in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoë, Clothoque natant, juxtaque carinam
Astitit, & summo pariter nans æquore fatur:
Ne nostræ dubitate rates: lux crastina terras
Ostendet, fidoque dabit succedere portu.
Sed vos littoribus primis ne insistite: dudum
Ultra fata vocant: medio magna insula ponto
Est Ophyre; huc iter est vobis, hic debita sedes
Imperiique caput. simul hæc effata, carinam
Impulit: illa levi cita dissecat æquora cursu.
Aspirant faciles auræ, & jam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles
Umbrosi procul, & propior jam terra videri
Incipit; acclamant nautæ, terramque salutant,
Terram exoptatam; tum portu & littore amice
Excepti, Diis vota piis in littore solvunt.
Quassatasque rates, defessaque corpora curant.
Inde, ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit
Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum
Corripiunt maria, & læti freta cærula sulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atque alta Ammerie, exsecrataque tellus
Cannibalum, & ripa Gyane nemorosa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Insulæ Oceano in vasto, quas inter opacis
Undantem silvis unam, cursuque sonantem
Fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alveo
In

In mare fulgentes auro subvectat arenas.
Hujus in ora placet pronas appellere puppes.
Invitant nemora, & dulces e flumine lymphæ.
Jamque solo viridante alacres, ripaque potiti
In primis Terram ignotam, Nymphasque salutant
Indigenas, Geniumque loci, teque aurifer amnis,
Quisquis in ora maris nitida perlaberis unda.
Tum duram Cererem, & patrii carchesia Bacchi
Aggere in herboso expediunt: dein quærere, si qui
Mortales habitent: pars fulvam fluminis undam
Mirari, mixtamque auro disquirere arenam.
Forte per umbrosos silvarum plurima ramos
Assidue volitabat avis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, rostro variata rubenti
Ibat nativo secura per avia luco.
Has juvenum manus ut silvas videre per altas,
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Æra, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane, tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora, signantes certam sibi quisque volucrem,
Inclusam, salicum cineres, sulphurque, nitrumque,
Materiam accendunt servata in reste favilla.
Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circumsepta, simulque cita obice rupto
Intrusam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula: & exanimes passim per prata jacebant
Dejectæ volucres: magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo silva omnis, ripæque recurvæ,
Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.
Pars avium nemus in densum conterrita, & altos
Se recipit scopulos; quorum de vertice summo
Horrendum una canit (dictu mirabile) & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit:
Qui Solis violatis aves, sacrasque volantes,
Hesperii, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, & nostros vobis quæ nunciat ore.
Vos, quamquam ignari, longum quæsita, secundis
Tan-

Tandem parta Ophyræ tetigistis littora ventis.
Sed non ante novas dabitur summittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Molirique urbes, ritusque, ac sacra novare,
Quam vos infandos pelagi, terræque labores
Perpessi, diversa hominum post prœlia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Navibus amissis pauci patria arva peteris,
Frustra alii socios quæretis magna remensi
Æquora: nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipsa inter sese vestras discordia puppes
In rabiem, ferrumque trahet: nec sera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium silva miseri poscetis ab ista,
Donec pœniteat scelerum, nec plura loquuta
Horrendum stridens densis sese abdidit umbris.
Ollis ossa rigor subitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelida fugit formidine sanguis.
Tum vero sacras volucres, Divosque precati,
In primis Solem, & sanctum servantia lucum
Numina supplicibus venerantur agrestia votis;
Pacem orant, rursumque Ophyren, fluviumq; salutant.
Interea e silvis nigrum genus ora, comasque,
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celsas mole carinas
Mirati, vestesque virûm, fulgentiaque arma,
Vix satis expleri possunt: & ab æthere missi
Sive homines, sive heroës sint, sive Deorum
Numina, adorantum ritu, precibusque salutant:
Ante alios ipsum Regem; cui munera læta,
E ripis collectum aurum, & Cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Vestibus ipsi etiam nostris, & munere multo
Donati, exceptique mero nova gaudia miscent.
Non aliter, quam si mensis, dapibusque Deorum
Mortalis quisquam adscitus, felixque futurus,
Hauriat æternum, cœlestia pocula, nectar.

Ergo, ubi amicitiæ ſecuros fœdere utrimque
Firmavere animos, habita & commercia gentis,
Ipſi inter ſe ſe Reges in littore læti
Complexu jungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goſſipio tenui pectuſque femurque
Præcinctus, viridi limbum pingente ſmaragdo,
Ora niger; jaculo armatur cui dextera acuto,
Squamoſi ſpolium ſuſtentat læva draconis.
Alter at intexto lænam circumdatus auro,
Quam ſubter rutila arma micant, capiti ærea caſſis
Inſidet, & pictæ volitant in vertice criſtæ:
Fulgenti ex auro torques, cui candida colla
Cingunt, atque enſis lateri dependet Iberus.
Et jam commixti populi, hoſpitioque recepti,
Hi tectis domibuſque, altis in navibus illi,
Lætitia, ludiſque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux feſta aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroſo ſacra annua luco.
Heſperiæque, Ophyræque manus convenerat omnis.
Hic convalle cava, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matreſque, virique
Confuſi, plebs, atque patres, puerique, ſeneſque
Aſtabant, animis triſtes, & corpora fœdi,
Squallentes cruſtis omnes, taboque fluentes:
Quos circumfuſos albenti in veſte ſacerdos
Pura luſtrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras cædit de more juvencum,
Et juxta poſitum paſtorem ſanguine cæſi
Reſpergit, pateraque rigat: Solique potenti
Ad numeros Pæana canit: nec cetera turba
Non ſequitur, mactantque ſues, mactantque bidentes,
Viſceribuſque veru toſtis epulantur in herba.
Obſtupuit gens Europæ rituſque ſacrorum,
Contagemque alio non uſquam tempore viſam.
At Dux multa animo tacitus ſecum ipſe volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dii avertite caſum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum Regem indigenam, (ut ſermo fandique facultas
Jam

Jam communis erat) cui sint solemnia Divûm,
Scitatur: quid tanta astet convalle sub alta
Languentum miseranda manus: quid pastor ad aras
Sacra inter, cæsi respersus sanguine tauri.
Quem contra, Hesperiæ o heros fortissime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, hæc sacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus: origo
Antiqua est, veteresque patrum fecere parentes.
Quod si externorum mores, hominumque labores
Audivisse juvat, primæva ab origine caussam
Sacrorum, & pestis miseræ primordia pandam.
Forsitan Atlantis vestras pervenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa serie, de stirpe profecti
Dicimur, heu quondam felix, & cara Deûm gens,
Dum Cœlum colere, & Superis accepta referre
Majores suevere boni, sed, Numina postquam
Contemni cœptum est luxu, fastuque nepotum,
Ex illo quæ sint miseros, quantæque secutæ
Ærumnæ vix fando umquam comprendere possem.
Insula tum prisci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concussa Atlantia motu
Corruit, absorpta Oceano: quem mille carinis
Sulcavit toties, terræ regina, marisque.
Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis umquam reparata diebus
Æternum periere: externaque victima sacris
Cæditur, externus nostras cruor imbuit aras.
Tum quoque & hæc infanda lues, quam nostra videtis
Corpora depasci, quam nulli aut denique pauci
Vitamus, Divûm offensis, & Apollinis ira
De cœlo demissa omnes grassatur in urbes.
Unde hæc sacra novo primum solemnia ritu
Instituere patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus (ut fama est) ipsa hæc ad flumina pastor
Mille boves, niveas mille hæc per pabula regi
Alcithoo pascebat oves; & forte sub ipsum
Solstitium urebat sitientes Sirius agros:

Urebat nemora: & nullas pastoribus umbras
Præbebant silvæ: nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miseratus, & acri concitus æstu,
Sublimem in Solem vultus, & lumina tollens,
Nam quid, Sol, te, inquit, rerum patremque, Deumq;
Dicimus,: & sacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoque bove, & pingui veneramur acerra,
Si nostri nec cura tibi est, nec regia tangunt
Armenta? an potius Superos vos arbitrer uri
Invidia? mihi mille nivis candore juvencæ,
Mille mihi pascuntur oves: vix est tibi Taurus
Unus, vix Aries cœlo (si vera feruntur)
Unus, & armenti custos Canis arida tanti.
Demens quin potius Regi divina facesso,
Cui tot agri, tot sunt populi, cui lata ministrant
Æquora, & est Superis, ac Sole potentia major?
Ille dabit, facilesque auras, frigusque virentum
Dulce, feret nemorum armentis, æstumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras
Instituit regi Alcithoo, & divina facessit.
Hoc manus agrestum, hoc pastorum cetera turba
Exsequitur: dant thura focis incensa, litantque
Sanguine taurorum, & fumantia viscera torrent.
Quæ postquam rex, in solio dum forte sederet
Subjectos inter populos, turbamque frequentem,
Agnovit, Divûm exhibito gavisus honore,
Non ullum tellure coli, se vindice, Numen
Imperat, esse nihil terra se majus in ipsa:
Cœlo habitare Deos, nec eorum hoc esse, quod infra est.
Viderat hæc qui cuncta videt, qui singula lustrat,
Sol pater, atque animo secum indignatus, iniquos
Intorsit radios, & lumine fulsit acerbo.
Aspectu quo Terra parens, corruptaque ponti
Æquora, quo tactus viro subcanduit aër.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur, primus, regi qui sanguine fuso
Instituit divina, sacrasque in montibus aras,
Syphilus, ostendit turpes per corpus achores

Insomnes primus noctes, convulsaque membra
Sensit, & a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffusa per urbes
Pestis erat, regi nec sæva pepercerat ipsi.
Itur ad Ammericen silva in Carthesside Nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luco
Interpres Divûm responsa canebat ab alto.
Scitantur, quæ caussa mali, quæ cura supersit.
Illa refert; spreti vos o, vos numina Solis
Exercent: nulli fas est se æquare Deorum
Mortalem: date tura Deo, & sua ducite sacra,
Et Numen placate; iras non proferet ultra.
Quam tulit, æterna est, nec jam revocabilis umquam
Pestis erit, quicumque solo nascetur in isto,
Sentiet, ille lacus Stygios, fatumque severum
Juravit, sed enim, si jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnæ mactate juvencam
Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit felicia semina ab alto:
Hæc viridem educet felici e semine silvam:
Unde salus; simul obticuit: specus intus, & omne
Excussum nemus, & circum stetit horror ubique.
Illi obeunt mandata: sua ipsi altaria Soli
Instituunt: niveam, Juno, tibi, magna, juvencam,
Nigrantem, Tellus, mactant tibi, maxima, vaccam.
Mira edam (at Divos juro, & monumenta parentum)
Hæc sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante solo numquam fuerat quæ cognita in isto,
Protinus e terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubescere silva.
Annua confestim Soli facienda sacerdos
Ultori nova sacra canit, deducitur ipse
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus: & jam farre sacro, vittisque paratis
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros:
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miseri pro morte, juvencum

Suppoſuere, feroque ſolum lavere cruore.
Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum ſtatuere quotannis
Sacrorum, ille tuum teſtatur, Syphile, crimen,
Victima vana, ſacras deductus paſtor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops, miſerandaque turba
Tacta Deo eſt, veterumque luit commiſſa parentum.
Cui votis, precibuſque piis, numeriſque ſacerdos
Conciliat vates Divos, & Apollinis iras.
Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctæ
Arboris advectant tectis: libamine cujus
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
Diverſis populi commixti e partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remiſſæ
Littora, jam rurſus puppes freta lata remenſæ
Mira ferunt: late (proh fata occulta Deorum!)
Contagem Europæ cœlo crebreſcere eamdem,
Attonitaſque urbes nullis agitare medelis.
Quinetiam gravior naves it rumor in omnes,
Illo eodem claſſem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum, & totis tabeſcere membris.
Ergo haud immemores, diras ceciniſſe volucres,
Affore, quum ſilva auxilium poſcatur ab illa,
Continuo faciles Nymphas Solemque precati,
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque ſumunt
Pocula, pro ritu gentis: quo munere tandem
Contagem pepulere feram, quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & felicem ad littora ſilvam
Noſtra jubent ferri, cœlo ſi forſitan iſto
Aſſimilem pellant labem, nec fata ſecundos
Ipſa negant Zephyros, faciliſque aſpirat Apollo.
Munera vos Divûm primi accepiſtis, Iberi,
Præſens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germaniſque, Scythiſque, orbe & gaviſa Latino
Jam nunc Europam vecta eſt Hyacus in omnem.
Salve, magna Deûm manibus ſata ſemine ſacro,
Pul-

Pulchra comis, spectata novis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi;
Fortunata nimis natam si Numina tantum
Orbe sub hoc, homines inter, gentemque Deorum
Perpetua sacram voluissent crescere silva.
Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musæ
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoque parte
Nosceris, cœloque etiam cantabere nostro;
Si non te Bactra, & tellus extrema sub Arcto,
Non Meroë, Libycisque Ammon combustus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Athesi labente recessus.
Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, & referet tua nomina Bembus.

JOSEPH,

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem Amplissimum.

Liber Primus.

QUæ veterum Heroum, divæ, facta inclita, Musæ,
Et monumenta ævi longis obscura tenebris
Illustrare novis numeris, & carmine sacro
Ferre per ætates omnes, perque ora nepotum
Gaudetis, famamque virûm proferre sub auras,
Nunc, o, nunc populi illius, quem maximus unum,
Delegit Deus, & generis longo ordine ducti
Principe ab Abramo, veteres evolvite fastos:
Et juvenem cantate pium, quem magnus Jacob
Isacides genuit: dederat cui nosse futura
Per somnos monstrata Deus, vos dicite, quanta
Ille tulit, Phariis tandem dum victor in oris
Imperium gereret magnum, populumque beatum
Conderet, unde salus hominum spes unde futura
Vitæ erat, & clausi referandum limen Olympi.
Nec minus, Italiæ Juvenis decus (omnia quando,
Quæ canimus, tua, Farnesi, sunt maxima jussa)
Ipse ades: &, plenum scopulis dum currimus æquor,

Da faciles in vela auras da numine dextro
(Namque Deus mihi semper eris) tua grandia vota
Posse sequi, pelagique omnes superare labores.
En primas sulcantem undas me littora Joppes,
Me juga Samariæ, nemorosaque pascua Sichen,
Jordanisque vocat: curvis en vallibus Hebron
Applaudit, cœloque simul tua nomina tollit,
Responsatque Tabor voces, & sidera pulsat.
Noverat infernus Pluton, cui multa futuri est
Scire datum, in fatis Abrami e sanguine sacram
Progeniem terris promitti, Tartara per quam
Evertenda forent, metuenti talia Pastor
Rexque idem Sichenis erat suspectus Jacob,
Invisusque nimis: tum quod nec sanctius alter
Justitiam legemque Dei servaret, & aris
Tura daret; tum quod bissena prole beatus
Natorum, populum in sanctum concrescere solus
Posse videbatur, quare hanc intentus in unam
Progeniem, dabat omnem operam, quo perdere posset;
Præsertim egregium puerum, cui sidera fausta
Nascenti, & late felix arriserat æther.
Qui patre longævo Rachele, e conjuge cara
Natus, erat patri ante alios dilectus Joseph.
Hunc forma insignem Charites studia inter alebant
Ingenua, & mores, & avitæ legis amorem.
Cui mens alta inerat quædam divina futuri,
Atque animus semper summi admirator Olympi,
Et pia relligio, & puero prudentia major.
Ex his invidiam Dæmon, tacitumque ferebat
Fratribus in reliquis odium, & mortale venenum.
Nec tantis non ipsa malis Fortuna fovendis
Affuit, augendisque odiis, nam forte per æstum
Quum fraterna cohors pecudes ad pabula nota
Lanigeras una silvas duxisset in altas,
Iliceaque umbra residerent, primus Joseph
In fratres conversus ait; mea somnia, fratres,
Audite, illa quidem mira, & nisi me mea fallunt
Auguria, haud vani speciem referentia somni.

Namque, sub Auroram quum se se sidera condunt
Casura jam nocte, & solus nunciat ortum
Lucifer, ipse meas spicas offerre videbar
Sacras ante aras, pariter vos ponere vestras.
Sed nostri cœlum fasces se tollere in altum,
Et rutilam insignes late diffundere lucem:
Vestri autem obscuri, atque humiles summittere se se
Utpote adorantes nostros. Cui grandior annis,
Atque odio in puerum non parvo accensus Judas:
Vane puer, quid mira vocas tua somnia? numquid
Forte, inquit, Deus illa aliquis tibi mittit ab alto?
Credo equidem, nam vina Deum dicuntur habere.
Augurium quodnam somno tibi fingis ab isto?
An forsan Rex noster eris? tibi pone coronam
E lauro, noceant regi ne vina futuro.
 Talia dicenti fratrum quoque cetera turba
Acclamant, regemque novum, dominumque salutant,
Et puero illudunt, tum patri hæc somnia narrant.
 At senior, cui non aberat Deus, omnia mente
Evolvit tacita, atque in nato grande futurum
Nescio quid spectans, aliis tamen omnia vultu
Dissimulat, puerumque monet nos ludere somnos.
 Ille autem, cui fata Deus majora parabat,
Post paullo in somnis aliud quid pondere majus
Conspexit, nempe in celsa sibi sede locato
Sub pedibus Solem, ac Lunam, stellasque minores
Undique adorantes divinos reddere honores.
Quorum ille interpres (talem nam Numina mentem
Indiderant) rursus fraternas omnia ad aures
Detulit; illi autem non celavere parenti
Somnia, non offensum animum, non pectora amara.
Obstupuit primum genitor, puerumque vocatum
His, velut interpres somni, duro increpat ore:
Tene igitur pater, ac mater, fratresque, ait, & plebs
Omnis adorabit? tu sede locabere in alta,
Nos infra miseri, humilesque precabimur? ah te
Si malus hic error tenet, & spes impia nutrit,
Pone animum hunc, levibusque istis, & inanibus umbris

Tolle fidem, teque his fallacibus eripe monstris:
Quæ Dii, si mala sunt, & iniqua, immittere nobis
Non suevere boni; ac potius mala Numina, Manes
Inferni exitium in nostrum ludibria fingunt.
Sic falsa ex adytis referunt oracula, sic &
Auguria ex avibus, dissectis omina ab extis.
An tibi non Belus, non est tibi notus Anubis,
Atque Ops, atque Hecate, non cetera turba Deorum,
Quos miseræ Gentes aris, templisque dicatis
Ob responsa colunt, lex autem nostra prophanat?
Vade age, & hæc nobis posthac ne somnia perfer.
Sic ait, & natos alios per dulcia mulcens
Dicta pater, jubet in Sichen, saltusque virentes
Ducere molle pecus, puerum consistere Joseph
Se penes; expediunt juvenes mandata paterna,
Felicesque Hebron valles, & amœna vireta
Invisunt: sed non virides in vallibus herbæ,
Non umbræ nemorum, placidæve e collibus auræ,
Non volucrum cantus inimica insomnia possunt
Ex animis delere: eadem per singula versant,
Exacuuntque odia, atque iris laxantur habenæ,
Injunguntque minas diræ serpentibus atris
Eumenides instant; atque hæc per talia jam Sol
Condiderat geminos ortus, quum luce sequente
Castra movere parant, Dothtaïnque in pascua læta
Ducere oves, quo plus patriis ab ovilibus absint,
Producantque magis reditum, quæ invisa gerebant.
Ergo aliam atque aliam solito plus forte morati,
Quum traherent cum nocte diem, miratus abesse
Hos tantum genitor, confestim accersit Joseph:
Ique, ait, o mihi care puer, fratresque require
In Sichen, patrique refer, quæ caussa morandi:
Nam timeo, nequid male faustum evenerit illis
Aut pecori. Ille viam, nulla est mora, corripit, & jam
Advolat in Sichen: sed fratribus, & grege nusquam
Compertis, quid agat, dubius huc spectat & illuc,
Omnia collustrans oculis: modo nomine fratres
Magna voce vocat: tantum nemora alta vocanti

Re-

Respondent, vallesque cavæ. Forte ilicis altæ
Frondator ramorum aderat, qui, ut vidit anhelum
Ancipitemque sui puerum, noto obvius illi:
Quid quæris, puer? inquit; oves si forte paternas,
Si fratres, ne quære istis in vallibus illos,
Quandoquidem audivi dicentes, saltibus ex his
In Dothain cedamus: ibi fratresque, pecusque
Invenies: dein monstrat iter, qua tramite recto
Ocyus inveniat lætissima pabula, namque
Plurima pars exusta aret, nec gramina nutrit.
Ille datum festinat iter; jamque ultima Sichen
Emensus, Dothain lætus propiora tenebat,
Quum specula longe venientem vidit ab alta
Plena odii fraterna cohors, ac protinus, en Rex
Noster, ait, quem Sol, quem Luna, & sidera adorant.
Nos famuli viles ad pastoralia nati,
Per deserta die rabido sub Sole vagamur:
Nocte in speluncis, patulave sub arbore somnos
Captamus, tecti rude lana, & pellibus hirtis,
Despecti, vilique polenta, & flumine pasti.
Ille patris mensa virgata in veste recumbens
Lactibus hædorum, & lumbo pinguescit ovili,
Repleturque mero: tum stertens impia nobis
Somniat, huncne igitur, fratres, atque ista feremus
Opprobria? anne adeo cæci exspectabimus, ut jam
Grandior, atque animis fidens, & patris amore
Nos premat, & ditionem omnem, & fausta omina patris
Surripiat, sic vera nimis sua somnia reddens?
Heu fratrum ignaræ mentes, & pectora cæca!
Cur potius, dum testis abest, dumque omnia nobis
Dant animos, non hunc capimus? cur protinus istis
Confossum gladiis, puteo non condimus illo,
Qui prope contegitur dumis, & sentibus atris?
Dicemusque fame rabidorum ursive, lupive,
Qui multi deserta habitant hæc, dente peremptum.
Talia jactabant inter sese effera fratres
Consilia; at, cunctis aderat qui major & annis,
Et major pietate Ruben: Dii talia nobis

 Aver-

Avertant, ait; ah vestras ne sanguine, fratres,
Fraterno maculate manus, neve ira Deorum
Hoc velit, ut scelus ob tantum nos, & domus, & grex
Una omnes pereamus, abest si testis, at ipse
Est testis Deus; ipse Deus quem nulla latere
Facta queunt, quique hic & nos nunc spectat, & audit.
Si tamen est animus vobis secludere prorsus
Hunc puerum, sine cæde ejus, sine sanguine in illum
Trudite vicinum puteum, & dimittite fatis.
Hæc vero suadebat, uti jam cæde remota
Mox ipse ad puteum sera jam nocte rediret,
Extraheretque illum, & misero sua pignora patri
Redderet, ac fratrum tandem componeret iras.
Verba omnes movere, placet sine cæde prehensum
Proiicere in puteum, & miserum dimittere sorti.
Tum Ruben, a vobis fuerint quæcumque peracta,
Horum me insontem videat Deus, ac procul inde
Discessit, silvisque latens se condidit altis,
Visurus rerum eventum, & jam lætus Joseph
Festinans aderat: contra fratrum impia turba
Circumfusa ruit minitans, manibusque revinctis:
Nunc, inquit, tua vana tibi quid somnia prosint,
Aspicies: numquid regi parebimus omnes?
Ille pavens, stupidusque rei novitate precari,
Talia ne insonti facerent, Superosque vocare
Nequidquam: quando impatiens magis & magis urget
Crescens corde furor, facibus furialis Erynnis
Instat atrox, Dæmonque malus, qui obsistere fatis,
Posse putans, cunctorum aciem vertebat in unum.
At puer ut nullis precibus, nullisve moveri
Fratrum corda videt lacrimis, sed jam impete multo
Compelli in foveam, quod restat, lumina tollens
In cœlum, tales fundebat ad æthera questus:
Dii Abrahæ, Dii magni Isac, Dii patris Jacob,
Vos ego si sancte colui, si jussa paterna
Semper obii, semperque pie, & sine crimine vixi,
Aspicite: &, si fata mihi nunc ultima dant, ut
Jam moriar, miserum saltem servate parentem.

At vos o, tenere, fratres, quos semper amavi,
Majoresque habui, curate, hæc tristia ad aures
Ne patris adveniant, sed me rapuisse latrones
Dicite, quo saltem spe se soletur inani
Viventis nati, Stygias nec tendat ad umbras
Ante diem: deserta ipse intumulatus arena
Emoriar; lacrimæ dicenti talia fusæ
Ex oculis cecidere, simul voxque ipsa repressa est.
Et jam etiam fratrum sedari pectus, & ira
Cœperat, Issachar quum, ne desistite, fratres,
Dixit, ab incepto, quin vinctum, & fune ligatum
In foveam mittamus: ibi suspensus in imo
Sistatur fundo, donec meliora parent Dii
Consilia, atque cibum interea capiamus in herba,
Quandoquidem jam Sol invitat, & altior hora.
Assensere omnes dictis, puerumque revinctum
Ad puteum flentem ducunt: hic fune ligata
Arboris ad truncum pendentis desuper altæ
Demittunt pavitantem intro, fundoque relinquunt
Suspensum; ast ipsi circum per gramina fusi
Implentur vili Cerere, & cariotide pingui.
At Deus, æthereo terras qui spectat ab axe,
Insontem aspiciens, illo & miseratus amore,
Quo mare, quo terras, quo cœlum condidit altum,
Unum ex aligeris, qui circum mille, ministris,
Exspectant mandata, vocat: fidissime, & inquit,
Vade age, Samariamque tibi notissima dudum
Arva pete, & quem scis fatis ad magna vocari
Issacidæ puerum, qui cæco poscit ab antro
Auxilium, & fraterna odia, & facta impia plorat,
Hunc inopem solare; nec est mandare necesse,
Quæ referas, cui nota mea est, & aperta voluntas.
Sic ait, & nutu placido, quo sidera cursu
Perpetuo ducit Juvenem dimittit; at ille
Æthereas humeris accingit tenuibus alas,
Queis cœlum illæsum penetrat, queis nubila tranat,
Prævertitque fuga Zephyros; jamque æthera scindens,
Aërios tractus, & inania lata secabat.

Quo-

Qualis, ubi in liquidis stagnis, aut ardea longe est,
Aut albus conspectus olor, sacer accipitrum rex
Post varios gyros sublimis ab æthere lapsus
Immotis secat alta ruens oculo ocyus alis.
Impete non alio Volucer cœlestis adibat
Samariæ terras; primus quem vertice summo
Excepit Thabor, insuetum frondescere silvas
Miratus, terramque nova vestirier herba,
Et varios præter solitum summittere flores.
Excepere illum prognatæ monte Napeæ.
Et divina Deo cecinerunt; omnia rupes
Responsant, ipsa antra Deum; silvæque salutant.
At sacer Interpres Divorum, ut vertice ab alto
Lumina deflexit terris, ac gramine fusos,
Vescentesque videt fratres, ast inde camelos
Mercatorum Arabum spectat, Jovis omnia facta
Imperio, hinc animum ad miserum convertit Joseph,
Descenditque celer: puteique in margine summo
Ut stetit, extemplo nova lux effulsit in antro
Miratum & subitus puerum circumstetit horror.
Quem pius Interpres placida sub imagine, & ipso
Ore puer puerum dictis solatur amicis:
Pone metum, Diis care, patrum Deus ille tuorum,
Qui cœlum regit; huc alto me ex æthere mittit,
Qui referam mandata tuos solantia luctus.
Hinc primum mittêre foras, sed venditus auro,
Nomine mancipii; tum Nili in regna fereris,
Atque iterum vendêre illic, multosque per annos
Servus eris, tunc ne vetita, atque injusta libido
Te alliciat, neu Dii alieni, & falsa caveto,
Numina decipiant; vestrum si semper habebis
Corde Deum, & ipse aderit semper tibi, te bona semper,
Quidquid ages, quocumque ieris, fortuna sequetur.
Quin, magis ut fidas animis; tibi magna parantur
Imperia, & tempus veniet, quum vera videbis
Somnia visa tibi, quum te fratresque, paterque
Supplice adorabunt fletu: misereberis illis,
Nec miseros patiere fames ut perdat iniqua:

Quin

Quin ipsos, natos & eorum, ipsosque nepotes
In partem imperii, atque in tua regna vocabis:
Ingens ut tandem populus concrescat, arenæ
Instar: quem Deus Ægypti de parte superba
Deducet tandem, & pedibus super æquora siccis
Pertransisse dabit, mox hæc in regna reducet,
Lacte novo quæ regna fluent, & melle perenni.
Mox (anni properate) diem felicia sæcla
Aspicient, sæcla illa diem, quam tanta futuram
Vatum oracla canunt, quum demittatur ab alto
Magna Dei Soboles, vestro de sanguine creta,
Quæ scelus antiquum tollat, quæ limina Cœli
Clausa diu, magnique fores præpandat olympi.
Nec plura effatus Cœlum se tollit in altum.

At juvenis, quamquam stupefactus Numine tanto,
Restitit, & rerum confusus imagine multa,
Lætatur tamen, atque animum per singula versat,
Speque futurorum præsentem corde dolorem
Discutit, atque oculos in cœlum, & sidera tollens
Sic fatur: Rex terrarum, Rex ætheris alti
Omnipotens, patrum Deus, & tutela meorum,
Respice nos, & nostra tuo sub Numine si spes
Est omnis, super his primum miserere parentis.
De me autem quidquid statuet tua recta voluntas,
Seu lætum, seu triste pares, nihil ipse recuso.
Unum oro, si Parca mihi vidisse negabit
His oculis felicem illam, semperque beatam,
Optatamque diem, qua tandem ex æthere summo
Descendet tua Progenies, da cernere saltem
In speculo, atque umbra monstra mihi, speque, fideq;
Noscere da, puroque ejus de fonte lavari.
Dixit, & ex imo traxit suspiria corde.

Interea e Madian, stacten, bdelamque ferentes,
Cinnamaque, & liquidam styracen, & pinguia tura
Transibant Arabes, qua stabant gramine læto
Vescentes *juvenes* simul, & diversa loquentes.
Qui ut primum, videre viros, Deus, inquit Judas,
O fratres, meliora parat, quam nostra ferebant

Con-

Consilia: his etenim si mercatoribus ipsum
Vendamus puerum, cum lucro, auroque piati
Fraterna a morte immunes reddemur, & ad nos
Posthac nec fama adveniet, nec nomen Joseph;
Sive Arabes isti Ægyptum, seu barbara regna,
Marmaricam, Libyamve petant; ergo unus ad illos
Mittatur, qui mancipii sub nomine, merce
Proposita pretium statuat, responsa reportet.
Dicta placent, qui pacta ineat, jam mittitur: ipsi
Interea speluncam adeunt, funemque ligatum
Arboris ad truncum solvunt, & in æthera sursum
Suspensum educunt puerum: qui talis in auras,
Qualis mane rosa, aut riguo narcissus in horto,
Prodiit, & formæ servato vera decore
Signa dedit, certumque Dei præsentis amorem.
Jamque aderat mercator Arabs, & nuncius una
Vile satis pacti pretium, proh Juppiter! ille,
Quem tanta in fatis promissa, & tanta manebant
Imperia, argenti bis deno venditur asse,
Mancipium infelix; jam curvo terga camelo
Excipitur. Nili ignotas jam fertur in oras.
At quadrupes, ceu divino sub pondere, vector
Insolitos dedit hinnitus, & signa recentis
Lætitiæ: jamque & grato facilisque, levisque
Sessori tergum, sellamque accommodat aptam,
Agglomeransque pedes, retro socia agmina linquit.
At fratres, puer ut cessit, mala nuncia patri
Quis ferat, & quo infanda tegant facta impia pacto,
Ambigui, tandem statuunt præmittere vestem
A puero ereptam, caprino sanguine tinctam
Qui ferat, inventamque inter nemora avia dicat:
Denique placet mandata dari: qui instructus abunde
Omnia, longævum non hæc miseranda parentem
Exspectantem adit, & monstrato sanguine, & ipsa
Veste, ait: hanc nostræ nemora inter devia primæ
Invenere canes: cujus sit vestis, & unde
Hic cruor, ignari, patrem primum esse monendum
Duximus, ut te (siquid agendum est) consule agatur.

At pater, ut notam, maculisque & sanguine vestem
Conspersam vidit: quis te, carissime Joseph,
Quis Divûm, ut tecum morerer, spes una senectæ,
Nate, meæ, quis casus, ait, tam durus ademit?
Heu mala te silvæ fera sustulit; ite per alta
Vos nemora, &, siquid misero de corpore restat,
Omne afferte, mihi saltem ut suprema sepulchri
Dona feram: vel & ipse feris laniandus in altas
Proripiar silvas: dabitur natoque patrique
Mors eadem; hæc dicens, fœdatos pulvere canos
Vellebat, lacerosque sinu exscindebat amictus:
Et famuli tandem collapsum in tecta reportant.
Parte alia Ruben, ut serum se vesper in orbem
Intulit, ad caulas pecudes, pecudumque magistri
Quum redeunt, saltusque vacant pastoribus omnes,
Desertum ad puteum solus redit, atque ibi Joseph
Terque quaterque vocat: non respondente vocanti
Ullo, sollicitus, puerum ne forte necassent,
Rem spectare parat, cæsaque ex ilice conto
Scalam aptat, solersque imum se mittit in antrum,
Omnia collustrans; verum, postquam omnia dudum
Rimatus, puerum quæsitum haud reperit usquam,
Ambiguus tandem reliquos perquirere fratres
Destinat: ac pecoris vestigia nota secutus,
Per noctem, demum inventos, de fratre quid actum est,
Inter multa rogat, rem totam ex ordine pandunt.
At Ruben, ut puerum audivit superesse, nec ullis
Affectum damnis, hinc, fratres, inquit, eamus
Ad miserum genitorem, & spe viventis, & auras
Spirantis gnati saltem (quod nunc datur unum)
Solemur, rapuisse Arabes de more, relicta
Veste, levi pueri fugientis vulnere tincta:
Pastores ita ferre, aliquemque adducere testem
Expediet, neque enim deerunt, qui dicere possint
Se vidisse Arabes; his ergo rite paratis
Patrem adeunt, & quæ possunt, solatia jungunt.
Ille autem, quamvis aliqua spe forte levatur,
Non tamen æternas lacrimas, planctusque perennes

Com-

Comprimere, aut tristi meditari gaudia mente
Ulla potest, sed vitam ægram noctesque, diesque
In tenebris, hominum fugiens consortia, ducit.
Interea puerum lætus deportat Joseph
Mercator, plenis miratus cedere votis
Omnia; non illis terræ exarsere diebus;
Non ventis agitatæ ullæ tolluntur arenæ
Ex solito: puerum Charites comitantur euntem,
Et Cœli favor, & faustis Spes dextera pennis.
Jamque pererratis Judææ finibus altæ
Incipiunt turres, & mœnia Osyridis urbis
Apparere procul, campis ubi fusa juventus
Munera militiæ exercent: hi vincere cursu
Contendunt pedibus, hi fulvo in pulvere sudant
Luctantes, alii duro sub pondere cestus.
Pars volucres exercet equos, cursuque fatigat,
Aut inferre hosti versas post terga sagittas
Discit equo currente, aut hastam tollere campo.
Ergo Arabes postquam accessere, & pulcher Joseph,
Mirati pugnas placidi, & præludia Martis,
Consistunt, oculisque intenti, & pectore toto
Vix satis expleri possunt; quos forte magister
Militiæ, Eunuchus Regis, cui summa potestas
Et duri data erant Mavortia munera belli,
Ut vidit, confestim ad sese accedere jussos
Compellat; geritisne ullas, quas vendere, merces
Optetis? quædam, dixere, & aromata, & istum
Gestamus puerum, domino qui si placet, ultro
Munus habe: aut emptum si mavis, pro indole tanta
Da quodvis: pretium est magnum tua gratia nobis.
Ille autem, haud umquam ingratum, mercator, habebis
Fetifarum: accipiam puerum, at tu munere largo,
Speque tua majore, mihi donabere multo.
His dictis recipit puerum, quem veste decora
Induit, & sagulum donat, quo purpura limbo
Fulva nitet, tum donat equum; lætissimus ille
Altior it juvenes inter pulcherrimus omnes.
Quem custode dato lætus præmittit ad urbem
Feti-

Fetifar, & caræ uxori commendat habendum.
Interea feras invexerat Hesperus horas,
Et juvenum campis cedens manus omnis apertis
Ibat ovans comitata ducem, ac jam pulcher Joseph
Ut dominam invisit, thalami & cognovit herilis
Officia, ipse humilis servorum se agmine miscens
Obvius it domino, media se qualis arena
Monstrat gemma nitens, radiisve micantibus aurum,
Talis & ipse puer multis in millibus ibat..
Quem matres, populusque omnis mirantur, ut ipso
Incessu, gravis ore, pedes non dimovet usquam
A duce, non oculos, sed semper totus in illo est.
Nec minus, intra ædes ut ventum, epulæque paratæ,
Ipse ulli deest officio, seu corpore opus sit,
Seu celeri ingenio; sed enim super omnia mira est
Grataque sedulitas, apta & prudentia cana.
Quo factum est parvo post tempore, Fetifar illum
Non thalamo ut tantum ipse suo præfecerit unum,
Sed domui, & rerum ei summam commiserit omnem.
Scilicet auspiciis & Dii cuncta ire secundis
Fetifaro sint visa, agri producere fruges
Uberius, sobolem armentum, sibi crescere honores.
Omnia quæ, ostento quodam permotus, Joseph
Attribuit puero, vatumque oracula suadent.
Arbor erat Persæa, Deo sacrata Camesi,
Ædibus in mediis, quam vectam e Perside fertur
Orbe pererrato monumentum insigne futurum
Ipsa suis manibus plantasse nepotibus Isis.
Hanc apis externis veniens insedit ab oris,
Insignis fulgore, & versicoloribus alis
Pulcher apis: quem mox examen grande secutum
Pendentem ramo longum traxere racemum.
Protinus ostentum ad vates defertur; at ipsi
Venturum externis aliquem portendere ab oris
Declarant, ingens populus quem deinde sequatur
Ipsum qui fortunæ opibus super æthera tollat
Fetifarum, largosque simul promittat honores.
Ergo his auguriis tantis censetur Joseph

Monstrari, hinc majore illum dignatur honore
Petifar, hinc omnes adamant: sed maxime Jempsar
Pulchra ducis conjux præ cunctis diligit unum,
Nescia adhuc, quanto jam sit devota furori,
Quis Deus insideat miseram, suspiria nondum
Emittit, nondum lacrimas: sunt omnia læta,
Dulciaque, & nondum quidquam persentit amari
Quæ malus, infernas sedes, Cocytia regno,
Qui regit, humani generis turbator, & hostis
Ut vidit Pluton, semenque accrescere felix
Iscidum, invisam sobolem, vocat ocyus unum
Servorum, quibus insidiæ, fraudesque, dolique
Sunt animo, queis mille artesque viæque nocendi,
Ique, ait, & pulchram circum insinuatus Jempsar
Falle dolo, & primas escas, quas sensit amoris,
Tu flabris accende, imis illum ossibus ignem,
Illam immitte facem, quam nec vis ulla Deorum,
Non hominum exstinguat: mox ipsum accendere Joseph
Si possis, omni arte stude. Quod vincere si qua
Non dabitur, tu perge tamen, pete rursus Jempsar,
Acrius ure, furorem adde, inspiraque venenum:
Queis monstris agitata domum permisceat omnem,
Inque odium, furiasque omnem convertat amorem.
I celer, & nihil inde doli, scelerisque relinque.
Ille hilaris, promtusque malis sumtam e Styge lympham
Miscet Acidalio latici, tum ex anguibus unum
Tisiphones capit, atque sinu mala semina condit.
Petifari dein tecta petens, nutricis Jempsar
Induit Iphicles formam, dominamque salutans
Audi, ait, o mihi cara, miser quis casus Joseph
Torquet ad extremum vitæ: vidi ipsa gementem
Nuper, & optantem supremæ munera vitæ.
O mater, ne quære, inquit, nam, sive tacebo,
Sive edam, omnino moriar; præstatque tacendo
Et vitam, & nostri caussam finire doloris.
Cui ego: non sic, o fili, nam vulnera sæpe
Auxilium patefacta, & opem invenere salubrem.
Dic audacter, amasne? hæc si tibi caussa doloris,

Spe-

Spera, & fide, puer, namque ipsum vel tibi amorem
Eripiam magicis., vel tu potiere cupito.
Erubuit: tum dixit, amo. Dii sunt mihi testes,
Hunc quantum eluctans cœpi, quam invitus amorem,
Infidum in dominum qui me facit; at mihi sit mors
Exoptanda magis, fidum periisse juvabit.
Sic ait, & fusis lacrimis pulchra ora rigabat.
Ut video, puer hic dominam te deperit: & ni
Opportune adsis, nimio moriturus amore est.
Cui virgo, o nutrix, quam dura & tristia narras?
Namque & amo hunc puerum, & vellem succurrere posse
Sed me jura Deûm, sed vincla jugalia primum
Obsistunt: tum me tanto male sana periclo
Obiiciam, & duri haud formidem conjugis arma?
Et nutrix, o nata, ipsorum crimina amantum
Dii ridere solent: solvendi jura mariti
Caussa potes & justa tibi est depellere mortem
A puero, qui nec culpam commiserit unquam,
Culpa nisi est vel amare nimis, vel amore perire.
Audendum est in amore, pericla nec ulla timenda
Prudenti, Dii deinde ipsos tutantur amantes,
Queis amor, & pietas est prima & maxima cura.
Est mihi aqua in dubiis rebus quæ assumta videre
Vera facit, dubiique omnis pars utra legenda est.
Hanc dabo, si hac in re ancipiti stat cernere verum.
Ac Stygiam demonstrat aquam, medicataque fonte
Pocula Acidalio, placet, o carissima nutrix,
Virgo, inquit, totumque manu capit ipsa venenum
Intrepida, atque uno craterem absorbuit haustu.
His actis puerum Iphicle se vertit ad ipsum,
Et gressu ad thalamum illius contendit anili:
Qui laudes Superûm Regi & divina legebat.
Ut vero in thalami mentitus limine Dæmon
Constitit, & puero cœlestem assistere Joseph
Custodem vidit minitantem, ensemque coruscum
Vibrantem extemplo subita formidine captus
Horruit, & retro gressusque, animumque reduxit,

Aufugitque celer: nocturnæque alitis otî
Effigiem capit, & tecto se sistit in alto.

Liber Secundus.

AT misera, ut Stygios latices desumsit Jempsar,
Solaque permansit, totis ardere medullis
Visa sibi est, tota in subitum convertier ignem:
Suspiransque, gemensque, unum deposcit Joseph.
Et modo se imponit stratis, paullumque morata
Assurgit, modo mutat & hunc, modo mutat & illum
Fastiditque locum infelix, nec se capit usquam.
Non secus ac solet ille, acris præcordia casus
Cui torret, vel quem dipsas calcata momordit.
Tandem ait, heu quidnam est, quod me tam sæviter urit
Est ne amor, an sumti latices? nempe est amor iste,
Quo moriar, nisi formosus succurrat Joseph.
Tu mihi nunc succurre, puer, succurrere namque
Ipsa etiam tibi constituo, moriemur amando
Insontes ambo. Dii tanti criminis haud me
Auctorem videant, non hæc Ægyptia tellus.
Dum licuit, potuique, tori concordia jura
Servavi, nunc major agit me visque, Deusque,
Imperioque premit; sic sit mihi Numen amicum,
Ut nosco, experiorque Deum, quem femina non est
Contra stare potens. Deus hic custodiet ambos:
Quin &, suetus amare, teget solatia nostra.
Dixerat, impatiensque moræ vocat ocyus Efren,
Unam ex ancillis dominæ, quæ fida solebat
Ferre vigil mandata, vigil responsa referre.
Vade, ait, & puero dic, huc accedat Joseph,
Si vacat, & domini si nulla negotia nostri
Impediunt; abit illa cita, & mandata facessit.
Nec longe post jussus adest formosus Joseph,
Quem solum admissum virgo mutata colore
Juxta astare facit: tum corde, & voce tremente
Care inquit, puer, atque oculis mihi gratior ipsis,
Verane tu dominæ dices, quæcumque rogabit?

Vera equidem (an fallam dominos?) ait ille, fatebor.
Tu quodvis pete, & illa: Puer, te perdite amare
Audio: si verum est, debent me nulla latere,
Nec si ego sim, quam perdite amas, nam (vera fatebor)
Ipsa etiam te perdite amo; tu nec mihi amanti,
Nec *tibi* ego crudelis ero: da jungere dextram;
Qualis eris, quantoque a me donaberis auro!
Sic ait, & summis puero dedit oscula labris.
Ille pudore rubens, & secum mente revolvens,
Quæ Divûm Interpres puero mandaverat olim,
Dii ne alieni illum, aut prava, aut injusta libido
Alliceret, taciteque Deum sibi adesse precatus
Hæc tandem responsa dedit: quod perdite amare
Audis me, domina. illicitum si forsan amorem
Audis, non ullam fateor me perdite amare:
Nec sic ipse etiam a quoquam peramarier opto,
Præcipue a domina, scis rebus me omnibus unum
Præfecisse ducem, seclusa conjuge tantum.
Anne igitur legisque meæ, dominique mei sim
Proditor? ah Stygias potius detrudar ad umbras,
Esca vel alitibus, media intumulatus arena,
Mittar: & hæc dicens dominam, thalamumque reliquit.
Illa autem, ut sese illusam, & spe funditus omni
Dejectam vidit, tamquam qui fulminis ictu
Percutitur, primum stupefacta, immotaque paullum
Constitit, inde imo ducens suspiria corde,
Astringensque manus, sese resupina cubili
Stravit inops animi, desertaque sanguine pallens.
At malus hæc summo tecti de culmine Dæmon
Aspiciens, ave deposita, convertit anum se
Rursus in Iphiclen, miseramque revisit Jempsar,
Atque ait, o, quinam casus te, nata, malignus
Insequitur? quid cor cecidit? quid pallor in ore est?
Ah ne animis cade, ne te ipsam desere, nata,
En *præsto tibi* sum nutrix tua, pone timorem.
Respice me, audito nutricis nomine paullum
Erexit sese in cubitum, tum lumina torquens,
O nutrix, quondam nutrix, nunc dira noverca,

Occidisti, inquit, miseram me, nec puer ille
Perdite amat, nec se (quod longe est pejus) amari
Sustinet, aut ullis precibus donisve movetur.
Projeci memet, genus, & decus omne pudore
Fœdavi amisso, fractæ spes, fœdera rupi
Conjugii: tu caussa mali, tu criminis hujus
Principium; quid restat ad hæc, nisi cetera ferro
Conficere, & meritam hanc animam demittere ad Orcū!
Cui dictis falsa Iphicle respondet amaris:
Heu, mulier rerum ignara, & male conscia amorum,
Quid mirum, puer insuetus, plenusque pudore,
Ceu virgo intacta, ad primos si expavit amoris
Aggressus, de te dubius, metuensque pericli?
Non ita res tractanda fuit, nec tu tamen omnem
Spem depone, rudem puerum nam rursus adibo,
Arguam, & ignarum, quæ sint facienda, docebo.
Tu tantum triduo exspecta, lux quarta benignum
Sidus habet, miseros sidus quod spectat amantes
Conjungitque; sub hoc Hymenæus sidere primum
Natus, & ipse puer Venere enitente Cupido.
His dictis se se paullum solatur Jempsar,
Erexitque cadentem animum; meliora ferant Dii,
Vade, ait; interea sacras venerabimur aras,
Fundemusque preces, & amica vocabimus astra.
Ergo, ubi luce nova rutilum Sol aureus orbem
Implevit, visura Deos se se ornat Jempsar,
Pulchra auro, spectanda ostro, spectanda pyropo,
Sed forma spectanda magis, proprioque decore.
Quam matrum numerosa cohors comitatur euntem,
Nec non & famulis præses formosus Joseph
Lumina dejectus, dominæque suique misertus
It comes; ipse tamen sanctas procedere ad aras
Patronam putat, ut commissi criminis oret,
Exposcatque Deos veniam, & deponat amorem.
Contra autem illa rogat Divosque, & sidera cuncta,
Ut faveant votis, & sint in amore secundi.
Hæc eadem celebrat demens, & luce sequenti,
Atque alia, donisque etiam majoribus aras

Ae-

Accumulans, pecudum fibras rimatur & exta.
Verum, ubi quarta dies rediit, Solque igneus orbi
Illuxit, lux sancta, inquit, lux optima salve,
Sidera vos, salvete, quibus conjungere amantes
Est amor, & sobolem mundo servare perennem.
Tum puerum acciri carum jubet; ocyus ille
Nil metuens, & jam dominæ securus amorum
Advenit; illa itidem sperans fore prospera cuncta,
Nutricis decepta dolis, ut vidit amatum
In manibus puerum, meus es, meus, inquit, & ipsa
Sum tua; quid prohibet, ne nos jungamur amantes?
Iste torus communis erit: ne gaudia differ,
Neu sortem contemne tuam; tum pallia captat,
Et trahit ad sese puerum; stupet ille pudorem
In domina amissum, tandemque his vocibus infit:
Qui furor, aut quænam mala mens, olim inclita conjux
Fetifari, nunc hæc adigit te talia posse
Moliri? certe Eumenidum nunc te una sororum
Exagitat, nam (quam reris) non est tua nutrix
Iphicle, sed de Stygiis emissa tenebris
Dirarum una, dolis quæ te decepit, & astu
Illa eadem me aggressa malis conatibus ausa est,
Sed vetuit tentare Deus; vidi ipse retrorsum
Cedentem, & formam mentitam, & fumida novi
Sulphura, nidoremque atrum post terga relictum.
Talia dictabat puer; at post ostia Dæmon
Qui stabat, clausos magno conamine postes
Impulit, intravitque ferox, & lumine torvus
Tartaream effudit vocem, qua terruit omnes.
En ego mentita Iphicle, en ego sum una sororum
Eumenidum, una e Stygiis emissa tenebris?
Nunc faxo, experiare; sinuque cita eripit anguem
Pestiferum, qui secreta sub veste latebat,
In puerumque jacit. Custos cœlestis at illum
Reppulit, atque omnes conatus fecit inanes.
At coluber, sibi ut in puerum sublata potestas,
In miseram insidias omnes molitur Jempsar,
Perque solum tacite repens, ventremque retorquens

Lubricus in vestem insinuans se illabitur: inde
Interiora petens, & viscera cuncta pererrans,
Tartareum virus jaculatur ad intima cordis.
His monstris puer interea pavefactus, amictus
Immemor aufugit, seque in sua tecta recepit.
Quem virgo ut fugisse videt, utque acre venenum
Sensit, in insanum subito conversa furorem,
Clamorem immensum tollit, quo ipsa atria, & omnis
Intremuit domus, & timuit vicinia tota.
Non secus, ac si Vulcanus penetralia cuncta
Involvat, cœloque furens incendia jactet.
Currite io, matres, scelus atque audite nefandum
Mancipii Hebræi, qui nunc, proh Juppiter, ausus
Fetifari est magni sacrum violare cubile,
Vimque inferre mihi, nisi nutrix tempore in ipso
Prompta tulisset opem, & sceleratum veste relicta
Ejecisset; io fugitivum apprehendite, servi,
Ite citi, properate, viarum claudite cuncta
Effugia, & domini scelus hoc afferte sub aures.
Talia vociferans misera effundebat Jempsar.
Omnia quæ falsa Iphicle confirmat, & auget,
Dignum morte fore, hoc sceleris qui admittere tantum
Audeat: exacuitque animos, clam deinde recedit
Nulli visa, & avi similis se immiscuit atris
Nubibus, & Stygias sedes, atque impia Ditis
Regna petit, lætoque refert crudelia facta.
Interea miser a servis comprehensus Joseph
Ducitur, & nemo est, qui dicere multa volentem
Auscultare velit miserum, non Fetifar ipse,
Quem jam res audita acri compleverat ira:
Non tamen ut morti damnet, sed turre sub ima,
Carceris esse locus miseris ubi sueverat, illum
Intrudi jubet, & vigili custode teneri,
Tantum olyra vili, limoso & flumine pasci.
At juveni cœlestis erat custodia major
Aliger ætherius, summo qui missus ab axe
Carceris intrarat portas, ubi proxima terras
Nox omnes cæcis tenebris obduxit & umbra.

Ergo

Ergo alias puero notus, ſolatur amico
Ore illum, firmatque animum, tollitque timorem
Luce nova, excuſſa noctiſque, & carceris umbra.
Omnia quæ poſtquam cuſtos Ægyptius alta
Proſpexit de turre, Deus, Deus, inquit, in illa
Luce viget, noſco ſplendorem, & verba notavi:
Nec Deus eſt illic, niſi & hujus criminis inſons
Eſt puer, inſontem ſervabit Juppiter æquus.
Ex illo cuſtos juvenem veneratur Joſeph,
Et paſcit meliore cibo, quam dura jubebant
Fetifari mandata, & duri carceris omne
Tollit onus, ferrumque pedum, viſitque frequenter,
Solaturque, & ſæpe in cœlum educit apertum.
Jamque quater binos Phœbe compleverat orbes,
Quum duo, quorum alter pincerna Pharaonis, alter
Piſtor erat Regis, præ ſuſpicione veneni
In Cerere inventi, concluſi carcere eodem
Cum puero Iſacide fuerant, hi tempore parvo
Poſt, utrique una viderunt ſomnia nocte,
Somnia, quæ mox mane novo dum mutua verſant,
Ignari, quid portendant, monſtrentve futurum,
Sollicitis nutant animis, quod pulcher Joſeph
Conſpiciens, quidnam, juvenes, tam pectore triſtes
Vos hoc Sole novo video? Nos ſomnia facta
Nocte hac ſollicitos reddunt, quæ exponere, nemo eſt,
Qui ſciat hic, dixere: quibus ſic pulcher Joſeph;
Somnia vos narrate, Deus dignoſcere forſan
Illa dabit. Dicemus, ait, pincerna, priorque
Ipſe edam; nam Vitis erat pulcherrima ternis
Læta propaginibus, gemmas turgeſcere primum
Palmitibus, mox & flores exire videbam,
Poſt flores gravidis uvas pendere racemis:
Quos jam maturos manibus premere ipſe videbar,
Vinaque diffundens pateris ſpumantia plenis
Regi larga dabam, ſolito Rex more bibebat.
Cui puer interpres. Quidnam tua ſomnia monſtrent,
Expediam; vitam illa tuam pulcherrima Vitis
Oſtendit: gemmæ, flores, uvæque ſecutæ,

Sunt

Sunt fructus, quos tu peperisti temporis hujus
Curriculo: dabitur merces, & honoribus ipse
Restituere tuis, & pristina pocula Regi
Consueto de more dabis: terna illa propago
Tres luces, quibus hæc veniant tibi prospera, monstrat.
Tu vero, quum te carum, gratumque Pharaon
Accipiet, nostri (si qua hujus gratia facti est)
Sis memor, immeritumque isto dic carcere claudi.
Tum pistor simulac vidit dicta omnia recte
Congruere, ipse etiam, dixit, mea somnia pandam.
Nam capiti imposita ipse meo tria plena canistra
Spectabam, duo farinæ inferiora, supremum
Omni opere plenum, omni illo pistoria quod scit
Ars facere, & nostrum ingenium, sed cuncta volucres
Exesse, & secum latas deferre per auras.
Cui bonus interpres: Divûm est novisse futura,
Falli hominum est; dicam, quidnam tamen augurer ipse
His super; illa, quibus vidisti plena canistra,
Sunt opera, & vitæ fructus: duo prima, ubi simplex
Farina est, vitæ monstrant duo tempora prima,
In quibus & simplex vita, & sincera peracta est:
Summum opere infido plenum est, & fraude, dolisque
Omnibus, ingenium quæ, aut ars pistoris iniqui
Extudisse valet, quæ sunt jam cognita Regi.
At merces horum meritorum, & præmia, fœdæ
Sunt volucres, corvi immundi, milvique rapaces.
Vulturiique, caput qui effossaque lumina pascent
In cruce suspenso: tribus hæc ventura diebus
Terna canistra notant: tamen hæc me fallere possunt,
Si tu animo possis mutari, nam & Deus ipse
Sæpe solet mutare mala, & convertere fata.
Talia tractabant juvenes, & tertia jam lux
Orbi invecta aderat, quum custos carcere aperto
Pincernam insontem, noxa, pœnaque solutum
Declarat, miserum Regis decreta severi
Pistorem damnare cruci; de carcere uterque
Ducitur haud æqua sorte, & longe impare fato.
Hic ad tigna, ille ad Regem stipatus ovantum

Et lætus clamore virûm, & clangore tubarum
Vertitur; interea ter Solis cursus in alta
Solstitia, atque novum mundo portaverat annum:
Forteque Rex dulcem prona jam nocte quietem
Ducebat, Deus ex alto quum somnia in illum
Immisit, miranda adeo, ut cedente sopore
Attonitus Rex magnum aliquid portendere visa
Crederet; ergo omnes jubet e regione vocari
Chaldæa, Ægyptoque, quibus cognoscere cursus,
Metirique vias cœli, & momenta minuta
Astrorum, casusque hominum, & prænosse futura est
Cura audax, necnon magicis qui incumbere sacris
Consuevere, & qui ex adytis oracula Divûm
Consulere, & cæsarum oviumque, boumque per exta
Rimari secreta solent, qui noscere flammæ,
Qui fluitantis aquæ motus, qui jungere arenæ
Fatalem numerum, & cognoscere fulminis iras,
Quique vias servare avium, & dignoscere cantus,
Denique, divini rerum quicumque vocantur.
Quorum ingens numerus magni plena atria Regis
Intrarant, alii longis capita alta tiaris
Induti, ast alii spectandi cornibus hirtis,
Auratis alii strophiis: longissima mento
Cunctis pendet barba, ipso stat pallor in ore.
Quos simulac ad se Rex alta a sede vocavit,
Somnia visa docet primum, dein munera larga
Promittit, largosque illis proponit honores,
Somni qui interpres fuerit; noctemque diemque
Responso tempus statuit; sed noxque diesque
Venerat, & nemo apparet, qui somnia Regi
Enodare queat, nulli sua sidera, nulli
Ars magica, aut quæsita aris oracula prosunt:
Non artes aliæ, non barbæ, aliæque tiaræ.
Ergo hinc irasci, & tristis mœrere Pharaon,
Nec quemquam audire, ac solo in conclave latere.
Hic Regis pincerna, memor, quæ in carcere Joseph
Fecit, & ipsorum quam verus somnia vates
Exposuit, subito Regem petit, atque ita fatur:

Pec-

Peccavi, Rex magne, tibi, quæ in carcere vidi,
Non referens; nam scis, ut mecum pistor iniquus
Carcere damnatus fuerit sub turre magistri
Militiæ, eunuchi; forte illo carcere eodem
Fetifari puer Hebræus, puto crimine falso
Missus erat; duo nos (ita suasi) somnia quædam
Nocte habita a nobis, juveni narramus; at ille
Divino quodam afflatu visa omnia nobis
Exponens, mihi, te, dixit, lux tertia ab isto
Carcere deducet, multis & honoribus auctum
Restituet primo officio: te, pistor inique,
Lux eadem in cruce constituet, te immunda volucrum
Agmina depascent, corvi, milvique rapaces,
Vulturiique, nisi ipse animum convertere possis
In melius, sic namque Deus mutatur & ipse.
Omnia quæ evenisse vides; tua somnia certe
Hic puer exponet, magnum nam Numen in illo est.
Auditis Rex lætus ait, vade ocyus ergo,
Duc puerum, & nostro jussu de carcere solve.
Ille celer mandata facit, puerumque parumper
Ornat, detondetque comas, vestemque ministrat;
Tum Regi adducit timidum. Rex omnia lustrat
In puero, sibi cuncta placent, sic denique fatur:
Te, puer, hi dicunt exponere somnia, numquid
Vera ferunt? ast ille: Deus, Rex optime, solus
Somnia nosse potest, & si cui maximus ille
Hoc dederit; potero ipse meo pro Rege precari,
Atque orare Deum: forsan dabit, omnia quando,
Quæ Regum sunt, ipse solet curare Deûm Rex,
Atque hominum; dein paullum animoque, & mente moratus,
Nunc inquit, Rex magne, mihi tua somnia pande.
Fluminis ad ripas Nili stare ipse videbar,
Rex ait, & septem ecce boves e flumine pulchræ
Exire, & late errantes per littora pasci
Florentes herbas, loton medamque virentem,
Et suavem mynianta, quibus pinguescere, quantum
Plena solet, sacras quæ ducitur hostia ad aras.

Vix

Vix oculos verti, ecce aliæ per littora septem
Deformes, ægræque, quibus vix pellis adhæret
Ossibus, apparere boves, quæ carice summa
Vix pastæ, & dura paliuro, & sentibus hirtis
Corpora macra, suis nervis vix ducta, trahebant.
Obstupui, nam dira fames, atque ardor edendi
Improbus exegit tantum has, ut pinguia septem
Corpora prima boum congressæ tota vorarent.
Mox iterum dulcis me habuit sopor alter, & ecce
Rursus septem uno spicæ consurgere culmo,
Pulchræque, gravidæque, & onustæ pondere multo.
Mox septem prodire aliæ tenuesque, & inanes
Exili e stipula, scabraque urigine tostæ,
Quæ succum, & decus omne aliarum absumere visæ
Sunt mihi, miratus postquam sopor ille recessit,
Somnia proposui multis, sed dicere nemo
Scit sensum, & portenta horum: te si manet ista
Gloria, si te unum e tantis hæc somnia poscunt,
Toto animo lætare puer; te fama sequetur
Perpetua, & tantis a me ditabere donis,
Ut te non videat majorem Ægyptia tellus.
Cui juvenis: Rex magne, Deus te diligit ipse est,
Somnia qui immisit, nec, quæ illa intelligat, esse ars
Ulla potest quæ auctore Deo non utitur: unde
Nec vates potuere tui, quibus omnibus est ars
Absque Deo. Primum septem felicibus annis
Largius undantem solito, majoreque Nilum
Flumine rumpentem ripas, secumque trahentem
Felicem limum, fœcundæque æquora arenæ
Fortunata nimis tellus Ægyptia cernet.
His annis tantum messis, tantum uberis illa
Colliget, ut non sufficiant solita horrea messi
Ubertatem istam pingues nimiumque nitentes
Monstravere boves septem, quæ e flumine Nili
Exivere, herbas pingues per littora pastæ.
Hanc etiam & spicæ septem, quas pondere onustas
Lætasque plenasque uno consurgere culmo
Vidisti, pariter monstrant: nam somnia visa

Non

Non duo te, sed idem ostendunt, nunc porrige mentem
Optime Rex: nam septem annos, qui deinde sequentur
Infelix steriles, durosque Ægyptus habebit.
Ipse intra ripas demisso flumine Nilus
Curret iners, supraque caput limumque feracem
Non tollet: sicca arebunt arva omnia, sicca
Solstitia, & nulli descendent montibus amnes
Consueti pluviarum amnes sub sidere Cancri:
Æthiopum populis nec hiems æstiva redibit.
Agricola infelix nullo versabit aratro
Arva, nec arenti mandabit semina terræ,
Sed miseros edet annona cogente juvencos.
Hæc septem docuere boves per littora siccæ,
Deformes, macræque; quibus vix ossibus hærens
Pellis erat; hæc septem illæ rubigine tostæ,
Squallentesque situ spicæ, & sine pondere turpes
Ostendunt: duplici exemplo te commonet ipse;
Qui novit ventura, Deus, quo tu quoque solers
Commoveare magis, damnoque occurrere possis.
Quod facere ut valeas, si me fortasse requiris,
Sic habeas, majora para primum horrea, & omne,
Quod superat segetum his septem felicibus annis,
Coge illic, servaque vigil; dein multa talenta
Aurique, argentique in fruges undique emendas
Impende, annorum quantum penuria septem
Exposcet ventura fami, campisque serendis.
Talia narrabat juvenis, quæ singula mente
Rex volvit tacita; tandem & sic voce profatur:
Hoc certe Deus in puero, nec talia dici
Absque Deo potuere, nec illi Ægyptia tellus,
Aut Chaldæa videt similem; tum amplectitur illum
Lætitia illacrimans; post me tota ista secundum
Te aspiciet regio, servatoremque vocabit.
Sic ait, & chlamydem gemmis, ostroque nitentem
Ferre dat, atque auri torquem circumdare collo.
Mos erat, ut gemma cælata, insignis & auro
Annulus, antiquo regum de more vocatus
Regius, a nullo, nisi Rege Pharaone, posset

Gesta.

Gestari, aut siquis foret ipso ab Rege secundus:
Hunc sibi Rex digito detractum imponit Joseph,
Quo populus post regem illum sciat esse secundum.
Præterea, qua se solemnibus ipse diebus
Invectum mula populis urbique solebat
Ceu quemdam mostrare Deum, sic mandat & ipsum
Urbe vehi, mulaque eadem procedere Joseph,
Præclamante tuba, Regi inclinate secundo
Quisque caput, sanctoque novos conspergite flores
Servatori hominum, solus qui somnia Regis
Exposuit, qui plena Deo præcordia gestat.
Talibus ornatus donis, & honoribus auctus
Isacides juvenis, cuncto acclamante senatu,
Præficitur toti Ægypto. Qui sedulus omni
Ingenio, curaque in primis horrea ubique
Magna parat, mox frugum ingentibus undique acervis
Collectis, partim terra Memphitide natis,
Partim emptis aliunde implet, stipatque, nec ullum
Dat rebus spatium: regionem lustrat, equorum
Imminuit numerum, atque hominum: Dii cuncta secundant.

Urbs erat Helipolis, Solis de nomine dicta,
Cujus Rex, idem & templi Phœbique sacerdos
Supremus natam formæ, & virtutis habebat
Insignis, quam sæpe Deus consultus Apollo
Dixerat haud ulli indigenæ thalamo esse locandam:
Conjugium externum fato majore parari,
Quo genus, & clari tollantur in astra nepotes.
Ergo istæc juvenem monstrare oracula Joseph
Censet & antistes templi, & Rex ipse Pharaon.
Quo circa, quum jam septem felicibus annis
Ægypto in tota ubertas, atque omnia ubique
Læta forent, placuit Regi dignis hymenæis
Et thalamo Isacidem juvenem sociare jugali;
Lætitiamque augere, diesque inducere festos.
Ergo hæc per ludos, & per convivia læta
Dum fiunt septem fœcundi messibus anni
Jam finem, ubertasque omnis jam copia habebat

Jam.

Jamque pererratis Geminis per sidera Cancri
Sol altos agitabat equos, Ægyptia quum gens
Miratur Nili nulla incrementa videri,
Sed purum & nulla permixtum flumen arena
Ipsum inter ripas tristi procedere cursu.
Jam tellus fœcunda prius, nunc aret, hiatque
Usta siti, nec spes Cereris promittitur ulla.
Semina si qua etiam lætis sparguntur in arvis,
Aut nullos edunt fœtus, aut protinus omne
Enatum fœdæ vitio rubiginis aret,
Aut abit in lolium infelix, fluidumve papaver.
Vivitur ex annis lapsis, retroque coacto
Fœnore, quod primo sterili vix sufficit anno.
Verum, ubi dira fames homines se vertere ad herbas,
Et pecus immeritum, atque immunda animalia adegit,
Regem urbes, & rura adeunt, subsidia poscunt.
Rex ad Præfectum cunctos dimittit Joseph,
Servatorem hominum; populis hinc horrea aperta,
Et justum indictum pretium: gaza undique, & omnes
Congestæ portantur opes; æraria Regis
Complentur: nec adhuc quartus se verterat annus.
Quid facerent miseræ gentes? sola arva supersunt,
Quæ vendant, si emptorem habeant, nam solus Joseph
Esse potest pro Rege emptor; ergo ille rogatur,
Arva emat, & miseris det opem, nec pacta recuset.
Redditumm cujusque agri quintam dare Regi
Promittunt, sic pacta ineunt, sic fœdera firmant.

Interea, externas quoniam penuria terras
Hæc eadem affligit, populos it fama per omnes,
Ægyptum sat frumenti, quod vendat, habere.
Ergo & Sichenus natos affatur Jacob:
Cur non Ægyptum, nati, cur regna beata
Non petitis, cur non nobis alimenta paratis?
Num perimat nos ista fames? mandata capessunt
Natorum deni; fratrum natu ultimus astat.

Ut vero Ægyptum petiere, & Osyrida terram
Frumentis Præfectum adeunt, & supplice cultu
Ære dato frumenta rogant; cognovit Joseph

Germanos, statuente Deo, non cognitus illis.
Præteritique memor, quamvis injuria multum
Facta potest, tamen & patris, fratrisque misertus
Beniamin, his etiam parcit, tum fatur ad illos:
Unde, & quinam hominum ad nostras acceditis oras?
Illi autem: e terra Canaam, de sanguine Jacob
Venimus huc cogente fame, quæ plurima perdit
Samariam; domus est nobis plenissima, primus
Est pater, undeni nati, parvique nepotes,
Pastorumque manus, vernarum est plurima turma.
Venimus ergo ad te, nobis alimenta rogantes,
Ne pereat gens tanta: tibi justa æra dabuntur.
Nec nos immemores erimus; pater optimus urbem
Ipse regit Sichen, pastor, cui millia multa
Sunt pecudum: quovis pretio da vivere tantum.
His verbis quamquam frater commotus, & ægre
Abstinuit lacrimis, ficto tamen omnia vultu
Dissimulans, quid verba mihi datis, inquit? an ipse
Eludar? nisi me os fallit vultusque loquentum,
Exploratores puto; cur mandata paterna
Non geritis? cur nec frater huc venit & alter?
Ast illi: minime, tales ne crede, precamur.
Per patrem, patrisque Deum juramus, adire
Nos jussit, nos dira fames: natu ultimus unus
Cum patre Beniamin adolescens restitit, & spes,
Solamenque senis: nos, qui sufferre laborem
Possumus, atque moras longarum auferre viarum;
Venimus orantes vitam, mandata putantes
Nulla opus esse istic ferri: miserere precantum,
Et miserere patris, pueri miserere relicti,
Parvorumque (potest pietas si in te ulla) nepotum.
Hic lacrimas vix continuit, convertit & ora,
Toto animo, & vultu multum commotus Joseph.
Inde ait: est mihi firma, viri, sententia menti,
Frater ut huc alius veniat: vestrûm hic erit unus
Obses, vos alii ad patrem frumenta feretis
Interea: haud aliter (per Regem, & Numina juro)
Ulla potest vobis abeundi hinc esse potestas.

Neu faciem ſpectare meam, aut audire loquentem.
Conſulite, & ternis dentur reſponſa diebus.
Sic ait, & cuſtode dato, victuque remittit.
Illi, inter ſe ſe poſtquam diverſa locuti
Viderunt Præfecti animum, præſtare putarunt
Ferri multa domum frumenta, loco obſidis unum
Dimitti, properare alios, iterumque reverti
Emptum alias fruges, alium & conducere fratrem.
Ergo nominibus ſcriptis ſors ducitur, obſes
Extrahitur Simeon, & jam lux tertia mundo
Clara aderat, reſponſa petit Præfectus, at ipſi
Enarrant decreta: igitur frumenta parari
Imperat accepto pretio: clam deinde miniſtros
Admonet, ut ſummis ſaccis æra omnia ponant,
Quod fuerit cujuſque datum, cuſtodibus obſes
Traditur: at fratres oneratis tergora aſellis
Ægyptum, & multo fratrem mœrore relinquunt,
Samariamque petunt: quo poſtquam denique ventum eſt
Atque unum pater e natis ſibi vidit abeſſe,
Clamat, ubi Simeon meus eſt? cur cernere natum
Non datur? eſt ne æger? minime, pater, inquit Judas,
Sed valet, Ægypti eſt obſes tellure relictus,
Dum rurſus redeamus, & hinc ducamus & iſtum
Beniamin, nam qui frumentum vendidit, ut nos
Vidit vir magnus, & ab ipſo Rege ſecundus,
Quæſivit multa a nobis, numquid pater eſſet,
An frater nobis alius: quæ quum omnia recte
Diximus, vos has certe veniſtis ad oras
Exploratores, inquit, mandata paterna
Cur non huc geritis? cur non alium quoque fratrem
Huc duxiſtis? ad hæc reſpondimus omnia; tandem
Summa fuit frumenta dari, nos deinde reverti,
Adduci puerum, interea obſes detur, & unus
E nobis maneat: per Regem & Numina Cœli
Juro, inquit, nec vos aliter frumenta feretis
Poſthac, nec me audire umquam aut ſpectare licebit.
At pater, hæc poſtquã audivit, proh ſumme Deum Rex,
Eſtne adeo infelix alius pater? occidit unus

Na-

Natorum, obses & est alius, subducitur alter
Cum reliquis, simul ut cuncti moriantur, & ipse
Exspectem, ferat hæc nostras crudelis ad aures
Nuncius; o prius hanc miseram, Dii, demite vitam.
Talia fundebat lacrimans; circum undique nati
Solantur, tam adversa bonos non Numina habere.
Mox, ubi depositis solverunt vincula saccis,
In summis æs omne datum, pretiumque repostum
Inveniunt: stupuere omnes, sed tristis Jacob
Hoc deerat, nati, hoc, inquit, quod funditus omnem
Spem raperet, nam si vobis Ægyptia ad arva
Sit reditus, quis vos primum vir maximus ille
Exploratores dixit, nunc nomina furum
Imponet, caussam inquirens, qua perdere possit.
Nempe ego Beniamin puerum, spem patris, & unum
Solamen, non huic tradam, fidamque periclo.
Vos alii, si fata urgent, Divumque voluntas,
Ite, rei fidei promissæ; ego, quidquid apud me est,
Aurique, argentique dabo, quo vos redimatis
Et fratrem, &, si sors aderit, frumenta feratis.
Quem contra illacrimans juvenis sic fatur Judas:
Care pater, nos primum audi, dein consule nobis,
Atque tibi; nam quo pacto continget adire
Illum hominem, qui juravit, per regia sceptra,
Per Superos, nisi Beniamin duxerimus ipsum,
Ille quidem nec nos, nec, qui est in carcere, fratrem
Dimittet, faciemve ejus spectare licebit?
Verum, ut de nobis sint dura, & tristia quæque,
Vos miseri quonam pacto vivetis, & unde
Tanta domus? capiti, quæso, pater optime, tandem
Fide meo, puer iste omnes servabit, & ipsum
Te patrem, mihi præterea duo pignora cara
Sunt, nati, tu illos (concedo) interfice, si quid
Adversi puero eveniat: depone timorem,
Atque omnem defende domum, quod pondera saccis
Sint æris posita in nostris, jussisse ministris
Id dominum certum est, incertum, fraude, dolove,
An pietate magis; nos certe audivimus illum

Insignem virtute omni, nos vidimus illum
Nobiscum flevisse famem, atque incommoda nostra,
Dum teque, & parvum fratrem, parvosque nepotes
Commemoramus, age, o genitor, ne tempora differ,
Neu plures innecte moras; & talia dicens
Adjecit lacrimas; victus pater: Ibitis ergo,
Tandem ait, & puerum, & regionis dona feretis,
Stactenque, & lacrimas terebinthi, & roscida mella,
Et gummi, & liquidam styracen, & amygdala amara.
Insuper & duplex pretium portabitis, & quod
Inventum fuit in saccis, & quod data poscent
Frumenta; interea faciemus sacra parentum
Nostrorum nostrique Deo, quo cuncta secundus
Dirigat, & servos cœlo prospectet ab alto.
Postera Phœbeos currus Aurora vehebat,
Quum pater, & nati sacris de more peractis
Cuncta viæ opportuna parant, & munera, & ipsum
Beniamin: quem jam genitor complexus euntem,
Et lacrimans, I, care puer, felicibus, inquit,
Auspiciis: si te rediturum fata reservant,
Vitam oro, lacrimæ vetuerunt dicere plura.
Tum simul & reliquos natos complectitur omnes,
Commendatque Deo, ast illi bona verba precati
Durum iter, & longum capiunt, camposque relinquunt
Samariæ, Solymenque sacram: jam consita Idumes
Prætereunt palmeta, Geran, & Tartara vasta
Syrbotis, tandemque vident Ægyptia regna,
Optatamque petunt Memphim; quos lætus Joseph
Suscipit: atque una fratrem de carcere solvit.
Ut vero admissis coram data copia fandi,
Sic Ruben: hinc postquam discessimus, optime Princeps,
Venimus ad genitorem, illi tua maxima jussa
Narramus, fratrem duci te velle minorem
Beniamin hunc istum: tum saccis ordine apertis,
Res mira, in summis pretium, atque æs omne, quod ante
Exhibitum fuerat, se offert: quis miserit, & cur,
Ignotum est, Deus est testis, verum, ut pater istæc
Audivit, viditque, imo suspiria cordis
Tra-

Traxit, & heu, nati, dixit, male Numen amicum
Nos aliquod nunc inſequitur, fortuna receſſit
Illa bona, e bis ſex natis amiſimus unum:
In vinclis alius longinquis exſulat oris:
Nunc ſpes, & miſeræ ſolamen dulce ſenectæ,
Beniamin abduci petitur: vos rurſus abitis,
Neſcio quo, & vereor, furum ne nomine eatis,
Omnes ut tandem fato pereatis ab uno.
Nos contra miſerum ſolari: ſide parentum,
Noſtro & fide Deo, genitor: juſtiſſimus ille,
Ille vir eſt, regio quem tota Ægyptia dicit
Servatorem hominum, ſanctumque, piumque fatetur,
Et colit: hinc nihil adverſum, durumque timendum eſt.
His victus ceſſit tandem: Vos ibitis ergo,
Et ducetis, ait, puerum, atque hæc parva feretis
Munera, quæ regio fert hæc, ſtactem, & terebinthi
Reſinam, & liquidam ſtyracen, & amygdala amara,
Mellaque: dein duplex pretium portabitis, & quod
Impoſitum fuerat ſaccis, & quod data poſcent
Frumenta: & demum juſto natumque, patremque
Commendate illi, pueri miſereſcat & hujus,
Atque ſenis natos nimium miſereſcat amantis.
Talia dictabat juvenis, quum lumina Princeps
Vix lacrimis cohibens tali eſt ſic ore locutus:
Eſte bonis animis, juvenes, ego munera grata
Accipio regionis, & hunc, qui adductus ab omni
Suſpicione puer, vos omni a fraude piabit.
Ite, & feſſa via, fœdæ & ſudore lavate
Membra, viri; mox luce bona diſcumbite mecum.
Hæc Princeps; famulorum alii in conclave lavacrum,
Vaſa alii, menſaſque parant; hæc inter Joſeph
Multa ſuper regno, & populis diſponit alendis;
Dein redit ad fratres, magnamque educit in aulam,
Regales ubi monſtrat opes, vaſa aurea ſignis
Cælata, argenteaque abacis, ſtratoſque tapetis,
Necnon parietibus circum pendentia longis
Aulæa, intextis auro, & bombyce figuris,
Quas dicas ſpirare; illic divina locutus

Jussa Abraham, puerum in silvas ducebat Isaac
Mactandum: puer ilignis onerabat asellum
Falcibus, ipse pyram genitor, vittasque parabat.
Ille idem dextram vicina in parte levabat,
Crudelemque ensem: demissus lumina Isaac
Et flexis genibus ferituro colla parenti
Præbebat: cœli demissus ab axe vetabat
Nuncius, & dextram sublatam, ensemque tenebat.
Parte alia fratrem fugiens tendebat Jacob
In patris antiquas sedes, cognataque regna,
Euphratem, Tygrimque inter: patruelibus inde
Virginibus hauribat aquas: tum pastor ad undas
Euphratis dum pascit oves per littora Laban,
Rachelem vocat, & dulces decantat amores.
Talia dum læti spectant Israële nati,
Spemque aliquam sibi promittunt, tum magnus Joseph,
Jam genio libemus, ait: date flumina palmis,
Vos famuli: tum sede altus discumbit eburna.

Morte præventus, hoc item, quod sero inceperat, absolvere non potuit.

ALCON,

Sive de cura Canum Venaticorum.

ASsiduis nuper fessus venatibus Alcon,
Falleret æstivi ut fastidia longa diei.
Corvini qua se nemora excelsissima cœlo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum:
Me segnes artus, defectaque viribus ætas,
Et superare juga & latis discurrere campis,
Et torquere leves hastas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, densaque indagine cingere silvas.
Sed te pulvereum cursu transmittere campum,
Ferre æstum, frigusque, leves agitare Molossos,
Et pinguem silvis ad tecta avertere prædam

Nunc

Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum, pharetramque tibi, jaculumque relinquo:
Ne tamen usque adeo plenæ confide pharetræ,
Ut postrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris prævertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem.
Ergo age, & hæc tecum semper mandata reserva.
Principio ut generosa canum tibi copia numquam
Desit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam semine natos,
Sed quos assidue silvis exercuit altis
Et labor indomitus, sævarum & præda ferarum.
Nec vero parvi formamque, genusque putaris:
Nam neque sunt animi, neque mores omnibus iidem:
Et variæ diversa canum dant semina gentes.
Nam rabidas si forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis,
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa
Quære canes, Libycos illis, acresque Britannos.
Pannoniosque truces, & amantes prœlia Celtas
Adde, nec Hircanos, nec Seras sperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreasque fugaces
Malueris, timidosque sequi per devia cervos,
Delige Pæonios agiles, volucresque Sicambros.
Quod tibi si latebras, abstrusaque lustra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi est,
Hunc usum implebit Perses, & Saxogelonus.
At genere ex omni præsertim delige quæ nec
Corpore sit gracili, nec densis aspera villis,
Sed sublime caput, vivacia lumina, & amplam
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus;
Cui rectæ surgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam descendens spina reflexam:
Sint armi lati, sint æque pectora lata:
Lata alvus, quæ sic costis adjungitur imis,
Ut tamen in spatium sensim se colligat arctum:
Ut cava diductis succedant ilia costis,
Excipiant siccis quos fortia crura lacertis,

Ima pedum parva signent vestigia planta.
Huic similem conjunge marem, quum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum,
Bis quinos tamen ante dies accessus uterque
In venerem, Venere abstineant: sic plena libido
Acrius exstimulat, viresque ad semina præbet.
Hinc major soboles, atque inde valentior exit.
Quæ simulac sese numeroso protulit ortu,
Selige de multis quos jam præstare videbis
Pondere: vel stipulæ flammis include fenoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam sobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis, & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus ætas
Accessit, parvum cursu conscendere collem,
Et molli assuescant sese dimittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbisque viri parere vocantis.
Nulla mora est, ipsis crescant cum viribus anni,
Jam potes hos tuto densis committere silvis:
Perque altos montes, per lustra agitare ferarum:
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni,
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum cursibus illos
Exerce assiduis: ac mox ad tecta reversi,
Vincla pati discant: ita demum libera colla,
Quum res ipsa, ususque vocat, majore feruntur
Impete, nec cursum remoratur pigra sagina.
Hactenus in silvis catulos eduximus altis:
Nunc quæ morbosis sit cura adhibenda, docebo.
Insomnes quum forte canes occulta fatigat,
Vimque assumit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi; dein [illegible] dona rosarum
Misce oleo, & rapidis simul omnia concoque flammis,
Terque die incerto demitte in guttura [illegible].
Si vero nimio venandi langueat æstu,
Butyro lapathi succos, Siculisque Lyæi

Pocu-

Pocula, contusumque piper simul omnia miscens
Prosubige: ut certi simulac commixta liquoris
Praetulerint speciem cupido canis hauriat ore,
Immodicam. sed forte sitim dum sublevat atro
Fonte canis, lymphae mala si successit hirudo,
Cimiceo suffire canem nidore licebit:
Aut oleo pristinum, & spumanti melle subactam
Incoquere, offensoque cani praebere vorandam.
Aut quum terra haec (clavos dixere) palatum
Afficiet misere, silvestria sesama, necnon
Bacchi acidos latices, & chartam sume perustam,
Atque Ammoniaci fructum: dein singula in unum
Confundens, totam causam superilline pestis.
Tum vero, ardentes oculos inimica peruris
Quum tabes, crebraeque fluunt a lumine guttae,
Jam frondes sacrae myrti, silvestris & uvae,
Arentesque rosas diluto concoque Baccho,
Hisque affecta levi circum ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod si nativo stimulatur coxa dolore,
Leniulum lapidem (Meditem nomine dicunt)
Urina semel atque iterum demerge recenti;
Cui Bacchi dulces, acidosque adjunge liquores,
Quaque latet pestis summa circumline penna.
Ast ubi rupta novo manabit sanguine vena,
Tum murem combure, ac telam pendentis Arachnes
Ure foco, cineremque madenti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obstructo vero lotii quum forte meatu
Vexari aspicies catulum, Cerealia dona
Obiice, lacte prius sinu perfusa capellae.
At contra venis si quando sanguis apertis,
Pro facili urina, terram maleolentis atram,
Conveniet lenem ferventi lactis thoro
Mollire, & tenues contundi immittere succos,
Infractumque piper, lenemque unguinis olivi,
Insertoque cani paullatim infundere cornu.
Quid? saevum nimio quum decidit ungula cursu?

Fran-

Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire saliva:
Incipientque novi subcrescere protinus ungues.
Fit quoque, ut immundo catulus juguletur ab œstro,
At tu silvestrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere salubri
Disce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muscarum turba molesta
Impetit usque adeo, mutilatum appareat alte
Ut caput: ipse autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus, viridique putamine tinge.
Quid quum dura canes inter se prœlia miscent,
Alter ut alterius percussus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammæ subjecta voraci
Ossa teres, oleo subigens frondentis olivæ
Unguinis in morem, ac vulnus lethale perungens:
Quamquam etiam possis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero serpentis saucius ictu
Quo valeat, scit sponte sua reperire salubre
Gramen, & ipse sibi nullo auxiliante mederi.
Senserit at rabidos ubi morsus, protinus ipse
Idæam rutæ foliis, acrique Lyæo
Junge picem, læsæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala quum scabies miseros depascitur artus
Latrantum, & fœde miserabile corpus adurit,
Cerussam, abdomenque bovis, resinamque tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque sensim
Lentisci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc præcipue solerti mente cavendum est,
Quum rabie accensus nunc hos, nunc impetit illos:
Ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compesce catena:
Inde rosæ agrestis radicem pondere saxi
Contusam vivi fontis consperge liquore,
Ut potus speciem lino colata nigranti
Præferat: hac sumta, revocari ad pristina tradunt
Sensa canem, ac posita rabie mitescere rursum.
Sunt qui silvestres ficus, adipemque vetustum

Con-

Contundant: ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una supersit
E tribus, atque ipsis foliis, tepidoque liquore
Pascere quadrupedem, Aurora surgente furentem.
Nil tandem usque adeo prodest, ac prima sub ipsum
Principium morbi rescindere semina ferro.
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, & fauces, nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit usque Molossos
Vulnificus vermis, suffunditque ora veneno.
Quem si quis potuit ferro resecare, potentem
Is tanti abstulerit caussam, stimulumque furoris.
Quæ superant, olim: nunc prædam ad tecta jacentem
Ferre monet præsens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos posuit Coridallus acutos,
Et jam sublustres invectat Luna tenebras.

In obitum M. Antonii Turriani Veronensis, ad Joannem Baptistam Turrianum fratrem.

Etsi egomet tanti casu percussus amici
  Solamen nostris discuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
  Pergeret aut tantos urere corda dolor,
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
  Istæc mœsta tibi carmina persolui:
Quo fortasse meis consolarere Camœnis,
  Si miseros quidquam Musa levare potest:
Ac ne tu in lacrimas paullatim totus abires,
  Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te fratris acerbo est
  Rumor in extrema vivere tristitia,
Nec jam posse quietis habere, aut commoda somni,
  Sed cedente die, sed redeunte queri:
Mœrentemque, vagumque, & turpem fletibus ora
  Amissum totis quærere littoribus.
Fertur ut Eridani ripas errasse per omnes
  Anxia fraterno funere Lampetie.

Septem quam perhibent somni sine munere noctes,
Jejunam septem continuasse dies.
Et, quoties longo defessa errore viarum
Umbrosi in ripa concidit Eridani:
Reddite vos Phaethonta mihi, clamabat ad undas,
O quæcumque sub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, alius si cuiquam morte dolendum est,
Justa quidem tanti caussa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater
Commoda, teque ipsum perdidit, atque tuos:
Perdidit heu misero carus tibi frater ademptus,
Quo tibi non ullus carior alter erat.
Ille amor, ille tuæ solamen dulce juventæ,
Ille tuæ fuerat spes, columenque domus:
Quicum versari semper, quicum esse solebas,
Atque animi tecum dicere consilia:
Unum mirari, atque unum præponere cunctis:
Ambrosiæ e cujus effluere ore lepos.
O nimium miseri nos, & genus ærumnosum,
Deterius quorum est conditione nihil.
In nos sævitum est bello, quo durius umquam
Vidit nulla ætas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, & barbara jussa,
Parsque domos caras liquimus, & patriam.
Relliquias, miserosque absumsit tabida cives
Pestis, & huc illuc sævit Erinnys adhuc.
Nec sat erat: miseri crudelia funera Cottæ
Flevimus; o indigna, Cotta, peremte nece;
O Cotta infelix, quem te fata impia nobis
Tam subito ante tuos abripuere dies!
Jam neque finierant gemitus, & lumina fletu
Non bene cessarent tristia flere genis,
Quum tu, Marce, cadis, quum nos tot tristibus actos
Deseris, heu falsus credulitate tui.
Non hoc vivam nos tua jam sperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
Externa miseri conspiceremus humo:

Sed

Sed fore, quem fama virtus æquaret olympo,
Unus qui multos instrueres populos.
Qualis ab aërio decurrens monte jugi fons
Communes multis sufficit unus aquas.
Nam quid ego aut laudes memorē, aut tua maxima laudū
Præmia? quam humano profueris generi;
Aut quam sæpe animas positas jam sedibus Orci
Ad sua Apollinea membra vocaris ope?
Vos testes, Ticine, & qui inter pascua læta,
Medoace, antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama est naturæ arcana docente,
Sæpe inter Nymphas obstupuisse suas.
At nunc amisso turbatis flesse sub undis,
Inque mare assuetas non habuisse vias.
Non tamen aut soli, nec vos magis omnibus, amnes,
Indoluistis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajæ, & Nymphæ flevere Latinæ,
Illum etiam Tuscis Calliopea modis.
Quin etiam silvæ, & montes gemuisse feruntur,
Et vos extremi flestis Hyperborei.
Sed mage Benacusque senex, & Sarca, sepulti
Qui prope vicinum prætererent tumulum.
Sed magis ipse Athesis, olim qui corpus humandum
Condendum caram perferret in patriam,
Ne extra cognatos cineres, atque ossa parentum
Illum perpetuo terra aliena teget.
Tunc vos o patrio prognatæ Najades amne
Spargite odoratis plena sepulchra rosis.
Tempus erit, quum posteritas mirata nepotum,
Quantum isti, dicent, ah tribuere Dei!
Atque aliquis monumenta legens, & scripta jacentis
Devota ad mutos serta feret cineres.
Interea, o vos Benaco centum patre Nymphæ,
Sarcaque ab Alpinis edite verticibus,
Et vos o Naci rupes, & saxa Briani,
Et nemora umbrosis densa cacuminibus,
Ferte aliqua, o nunc ferte meo solatia Batto,
Et tantam ex animo demite tristitiam.

Quem

Quem neque sancta potest Sophie complexa levare,
Musa nec assuetis sedula carminibus.
Batte, tamen vates, longum ut quæsisset ademtam,
Et longum flesset Thracius Eurydicen,
Nullo solatus, blando quam carmine, curas,
Nullo, quam Sophia, dicitur esse magis.
Illi, seu Rhodopes silvis erraret in altis,
Sive in deserti Strymonis aggeribus,
Semper Musa comes, semper pendebat eburna
Ex humero numeris docta sonare lyra.
Ille orbem immensum semper spectabat, & orbis
Ornatum, puris sidera luminibus,
Et maria, & montes vastos, atque irrequieta
Flumina, tum quidquid denique terra parit.
Quorum animadvertens certa sub lege tenorem,
Paullatim caram senserat Eurydicen
Deleri, & tristem mutari in gaudia mentem:
Tantum animos rerum forma levare potest.
Aspice lucentem Lunæ Titanidis orbem,
Et cum Sole suo quæ super astra micant.
Omnia sunt æterna, & vitæ juncta perenni;
Quæ loca felices Diique, animæque colunt.
Inferior Lethi regio est, sedesque malorum,
In qua est, quod felix intueare, nihil.
Quippe solū hoc ventique, imbresque, & cuncta fatigant,
Quæcumque aëria de regione cadunt,
Adde æstusque, hiemesque, & morborum genus omne,
Tum natura aliqua est indiga semper ope.
Nos porro desideriis mala plurima nostris
Junximus, o præceps in sua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta,
Et via non uni plurima aperta neci.
Attamen in tantis ærumnis est animi spes
Unica, quem melior vita beare potest.
Quippe, ubi præfulgens ulla virtute reliquit
Corporeum, sedes advolat ætherias,
Semideûmque domos, & Divûm morte carentum,
Hic, ubi non æstas, nec fera sævit hiems:

Nec

Nec dolor, aut desideria infelicia nostri,
  Nec sors partem aliquam, nec rude vulgus habet:
At sancti heroes habitant, gens inclita bello,
  Ingenuique, novem qui coluere Deas:
Quique pii, justique, Deum præcepta secuti,
  Et sancta insignes qui fuerunt Sophia.
Quos inter tuus ipse recens a funere frater
  Miratur cœlum, Cœlicolûmque domos,
Æternamque diem, & felicem ex ordine gentem;
  Inter quos gaudet se quoque dinumerans.
Quem circum illustres animæ, proavique, paterque
  Intentos oculos ore nepotis habent,
Et pulchram effigiem agnoscunt: miratur & ipse
  Egregiam stirpem, magnanimumque genus:
Agnoscitque suos, & facta, & nomina discit:
  Tum quantum sit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, tristem ante senectam
  Carpere iter cœli cui potuisse datum est.
Quas syrtes, quos & scopulos post terga relinquis,
  Marce! tibi a quanto est salva carina mari!
Fortunate iterum; tu non incommoda vitæ
  Passus adhuc, non quæ plurima habet senium:
Sed dulces inter Musas, & Apollinis artes
  Fortunata nimis vita peracta tibi est.
I, decus Ausoniæ juvenis, numeroque Deorum
  Te immisce: culta est jam tibi terra satis.
Illa tuum, dum sidera erunt, dum flumina current,
  Nomen in astra memor, & benefacta feret.

Ad Joannem Baptistam Turrianum Veronensem.

Batte, animos quando tristes, curasque levare
Musa potest, ego nunc sortem, casusque supremos
Ipse meos tristi solabor carmine tecum.
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abstulit, æterna & pariter caligine texit,
Conquerar: ut saltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis est nostræ, miserorum nomina demam,

Quæ

Quæ potui, dum vita illos, auræque fovebant,
Exhibui genitorque, gubernatorque duorum
Infelix, primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.
Quos ego (ſed Zephyri ſpes portavere paternas)
Cenſueram, ſi fata darent, quum poſceret ætas
Fortior, ad dulces tecum traducere Muſas
Aſſiduos, citharamque humeris ſuſpendere eburnam.
Inde, ubi jam cœlum, ac Solem, fulgentiaque aſtra,
Terramque, & liquidos ignes, æquorque profundum
Mirari inciperent, latiſque animalia campis,
Te monſtrante viam, te rerum arcana docente,
Mens fuerat dulces Sophiæ deducere ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, ſemper cœleſti nectare paſcit.
Hic tremulo, & longa confecte ætate parenti
Purpureos legerent flores: ſeniique levamen,
Threïcia canerent cithara, quæ plurima quondam
Audiſſent te populea meditante ſub umbra,
Divino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum cauſas, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi natorum ore referri
Fata ſinant, ut nata chao antiquiſſima rerum
Materies niſi correpta cupidine pulchri
Arſerit, atque Deûm thalamo complexa, jugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata hymenæis,
Et diviſa locis, ſupremum petiverit ignis
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem juxta per inane amplum ſe fuderit aër:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto
Conſtiterit: quam dudum hinc inde agitantibus undis
Subſidere lati campi, deformiaque arva
Paullatim apparere ſupra, & concreſcere montes
Cœperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides undis manantibus ornos,
Montanis unde ſpeluncis, & rupibus altis
Exſiluere udo formoſo corpore Nymphæ,

In

In viridi flavos ſiccantes littore crines.
  O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Hæc mihi ſervaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verum aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primum
Natorum cœpit producere fila duorum.
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat præbere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, virideſque juventa
Inſpicere, & caræ ad metam deducere vitæ:
Nec potui votis, nec ope adjuviſſe paterna
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota neſquidquam voce vocantes.
Heu mortem inviſam: quis te mihi, Paulle, Deorum
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quod te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat mœroris abunde?
Non gemitus? quid me e tam multis patribus unum,
Cœlicolæ, lacrimiſque novis, & morte recenti
Opprimitis, caroque etiam ſpoliatis Julo?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens! quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, quum te complexa jacentem
Aſpiceret laniata comas & pectora mater?
Ah miſera, ah male fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut ſucciſus aratro
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem.
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam eſt. Vos illam in funere, matres,
Collapſam accipite, exanimemque reponite tectis.
  At vos, inſontes animæ, cariſſima nuper
Pignora (quod miſero ſupereſt optare parenti)
Semper avete mei, ut licuit, ſemperque valete.
Seu dulce Elyſium, functos, umbræque tenebunt
Sanctorum nemorum, puro ſeu ſidera cœlo;
Ipſe ego vos ſemper lacrimis, vos carmine triſti

Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulchris:
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, natis æquat quæ ſola parentes.
Interea curas numeris, Muſaque levemus,
Batte, animos: quando rerum mortalis origo eſt,
Quando etiam vitæ norunt vaſta æquora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis
Illa dies, quum jam curvo ſub vomere taurus
Deſudet, terramque gravis proſcindat arator,
Nunc ubi cæruleæ roſtris ſpumantibus undæ
Sulcantur, verruntque citæ freta longa carinæ.
Nec vos, o liquidi fontes, æterna manebunt
Sæcula, ſe tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumiduſque fluat tot cornibus Hiſter.
Quin etiam aërii montes, mirabile dictu,
Taygetus, Syphiluſque, jugo & Cymbotus opaco
Innumeras poſt æſtates, ac ſæcula longa,
Senſerunt ſeniumque ſuum, ſupremaque fata;
Ex quo materies thalamos, primoſque hymenæos,
Atque elementa novus ſenſit diſcordia mundus.

Ad Danielem Rhainerium Veronæ Præfectum, Senatorem ampliſſimum.

Rhaineri venerande, uno quo ſoſpite, nondum
Juſtitia, & virtus terris antiqua receſſit,
Multa quidem monumenta tuis ſub faſcibus Urbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,
Et Bromii vites, & amicæ Pacis olivæ.
Verum hæc ex Urbis re dilabuntur, & ipſi
Ultro etiam ſua tecta volunt procumbere Divi.
Ah, ſaltem antiquo medicorum parcere ritu
Faſque, & ſuetus amor pietatis, & inclita virtus
Magna tui valeant: valeant hoc more vetuſto,
Quo noſtri vixere atavi, vixere parentes,
Te duce venturi longum ſuperare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Divûm eſt ſanctior aris,

Quem

Quem neque tempus edax potuit, nec sæcula tot jam,
Non belli rabies, non ipsum infringere ferrum,
Tantum est justitiam violari, & fœdera rumpi.
Scilicet & sacra est medicina, vetusque Deorum
Inventum, & sacri medici, quibus auctor Apollo:
Qui revocare animas jam caligantibus Orci
Faucibus impositas ad caræ munera vitæ,
Ætheriosque haustus, & dulcia lumina possunt:
Qui genus innocuum, vitæque ad publica nati
Commoda, divinas tantum didicere per artes
Exercere ævum, atque humanæ præesse saluti.
Hos æquum est te præcipue, longeque tueri,
Rhaineri, ante alios, idem cui cessit Apollo
Ipse suas artes, & munera nobilis otii:
Quemque domos Divûm docuit, perque omnia duxit
Sidera: quem Grajo insignem Latioque cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere silvas,
Et calamos, citharamque humeris suspendit eburnam.
Idem te dulces Sophiæ deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, semper cœlesti nectare pascit.
Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus
Urbem justitia & Divis in pace secundis
Egregiam moderare, Athesis qua flumine pulchro
Labitur, & placido secat arva virentia cursu.
Tu quoque, magna virûm genitrix, urbs inclita, salve
Cura Deûm, Verona: tui cessere labores,
Ærumnæque graves, atque horrida Martis imago,
Sanguinis & vesana sitis, & tristis Erinnys.
Barbara jam cessit rabies, & in Alpibus atrox
Sævitiam miles, gelidumque exercet ad Albim.
Jam duros nimium servitus, & fera jussa
Desuemus perferre, ullos non jam urbe Tyrannos
Conspicimus, sed te, Rhaineri maxime, sed te,
Magne pater, uno tandem quo sospite, nobis
Jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros
Læta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes.
Gaudete o quicumque boni speratis agrestes,

Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites.
Tempus io, nunc tempus adest, quo sæcula Parcæ
Aurea nent, tandem quæ nunc te Præside læta
Incipiunt: sed erunt nobis tunc maxima, quum te
Insignem sceptro Venetûm, sanctaque tiara
Regna salutabunt terris diffusa, tuumque,
Qua Sol exoriens visit, qua deserit orbem
Occiduus, late clarum feret Hadria nomen.

Ad Joannem Matthæum Gibertum, Episcopum Veronensem.

Ille tuus, Giberte, sacras qui in montibus aras
Mellineis tibi constituit, qui teque, tuumque
Per nemus omne canit, perque omnia littora nomen,
Hæc enata suis mittit tibi poma sub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum e finibus Atlas
Transtulit, & magno servabat tuta Dracone:
Mox victor sacra expolians pomaria Perseus,
Dum levibus nostrum talaribus aëra tranat,
Donavit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Insuper hos, Giberte, ubi dat munera pisces
Qui quondam Etrusci nautæ, nostraque fuere
Effigie, nunc Benaci sub gurgite nantes
Cærula converrunt sinuatis æquora caudis.
Quod si forte juvat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam versas audire figuras,
Ipse edam, Salvi quæ quondam ad littora Battus,
Battus amor Dryadum cecinit, mihi retulit Ægon.
Forte senex Cretæ patriis Saturnus ab oris
Ab Jove depulsus, regnum, sedesque quietas
Quærebat Latio in magno, fataliaque arva:
Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum fessus, longaque via siccatus, & æstu,
Ad vada Benaci viridi prospectat in herba
Vescentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miscentes: placido quos ore salutans,

Ec-

Ecquis, ait, vestrûm, pueri, succurrit egenti,
Defessoque seni? quis pocula parva ministrat,
Exstinguitque sitim? poscenti illudere nautæ,
Et ridere senem, quis enim præsentibus undis
Possit habere sitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidaque æstum solabere lympha.
Illusus Deus immissis in flumina palmis
Haurit aquas, pronusque bibit: tum versus ad illos,
Quo tamen e pretio, pueri, duceris ad illas
Remigio cautes, quæ fluctibus undique circum
Clauduntur, mediisque jacet parva insula in undis;
Ostenditque locum: pretium gens impia iniquum
Postulat, at pactus senior tamen omnia firmat,
Adjuratque Deos testes, scanditque phaselum.
Illi autem, dum nave cita liquida æquora sulcant,
Ignari, quisnam sedeat Deus, Eja age nobis
Fare, senex, quonam latebras pro crimine quæris?
Anne fugam subrepto auro, dominoque relicto
In loca tuta paras? sed te tua fata sequuntur,
Demens, quem nullæ poterunt servare latebræ.
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumque reposcunt,
Proferri subreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulsumque rate in media æquora turbent.
Quos placidus dictis senior demulcet amicis.
Etrusci nautæ, quæ nunc mens impia suadet
Nec servare fidem vos, nec meminisse Deorum?
Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,
Qui tandem agnosci posset Deus, Impia, dixit,
Gens inimica Deûm, dabitur, quod poscitis, aurum,
Hoc imo sub fonte aurum pascetis avari.
Dixerat. Ast illis veniam poscentibus, & vox
Deficit, & jam se cernunt mutescere, & ora
In rictum late patulum producta dehiscunt:
In pinnas abiere manus, vestisque rigescit
In squammas, caudamque pedes formantur in imam.
Qui fuerat subita obductus formidine, mansit
Pallidus ore color, quamquam livoris iniqui

Indicium suffusa nigris sint corpora guttis.
Carpus aquas, primus Numen qui læsit, in amplas
Se primus dedit, & fundo sub condidit imo.
Inde alii celeri sese in media æquora saltu
Præcipitant, vacuamque ratem, & sine remige linquunt.
Jamque Deus super unus erat: subit ipse magistri
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis.
Expositus ripa placidas conversus ad undas,
Ecquid io, Nymphæ Benacides, ista supersit
Navis, & hunc amnem sacrum male fausta carina,
Et vestras sulcabit aquas? en certe ita & hujus
Criminis hoc scopulo semper monumenta manebunt.
Dixit, & in partem rupis conversa pependit
Cum remis ratis ipsa, suis ubi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas littore nautæ
Collectas miseri media imposuere carina.
Ex illo nunc Benaci per littora nantes,
Atque auri venas fundo pascuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

Ad Margaritam Valesiam Navarræ Reginam.
Cæsaris Fregosii nomine.

Dum me Cenomanos inter tenet Itala tellus
Zefredique arces, mens autem nescia claudi
Libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,
Trans Ararim, cœlumque beatum, & Gallica semper
Regna videt, Regemque suum, tecumque moratur
Assidue, versatque tuas sub pectore laudes;
Ecce mihi cœlata auro gemmaque nitenti
Armipotens, galeaque ferox & Gorgone Pallas
Oblata est, seu sors tulerit, seu fata dedere.
Continuo visa ante oculos effulgere imago
Magna tui, inque ipsa micuerunt Pallade vultus,
Virtutesque tuæ, moresque, & facta, decusque.
Quippe illam e cunctis sic tu mortalibus una
Assimilas, sic una refers, in Pallade ut & tu
Noscare, & Pallas in te, sive illa Minerva,

Seu

Seu dici Bellona velit, consensus utrimque
Est idem, ora, animi, genius, cognataque virtus.
Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni
Gemma, aurum, effigiesque Deæ; sive est Polycleti,
Sive Myronis opus: placeat tibi munus: imago
Est tua; sit gratus cum munere, muneris auctor.
Quod si digressus paullum, & provectus amore
Pierio, dum me dulces per grandia Musæ
Facta tua, & dum per monumenta heroica ducunt,
Ipse tuas memorem laudes, quibus æthera ad altum
Scandis, & illa simul referam, per quæ una Minervam
Usque adeo assimilas, juvet auscultare canentem,
Si vacat, & solitæ sunt te oblectare Camœnæ.
Illa parente Deo Jove magno, fratre superbit
Gradivo, tum forte acres in bella phalanges
Si quando exacuit, late timor occupat urbes,
Turbati tremuere hostes, ac terga dedere.
Ipsa hastam quatit, atque horrenti Gorgone sævit.
Ante Deam diræ effigies, Terrorque, Minæque
Sanguineæ, & dans terga Pavor, Visque impia, & *Iræ*,
Vinclaque, Vindictæque astant, & *Mortis imago*.
At vero positis armis, atque ægide dira,
Mollius humanas si demittatur ad artes,
Mansuetosque usus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet Musam, aut heroica gesta
Describit, numerisve orbes metitur & astra.
Sin autem imperiis, & majestatis honore
Gaudeat, æternæ ramis insignis olivæ
Aut justas sancit leges, aut jura ministrat,
Aut arces struit, aut medias regina per urbes
Incedit, matresque super longe eminet omnes:
Condensi agglomerant se altis clamoribus Afri,
Spectatumque ruunt, arasque, & publica ponunt
Templa Deæ: plausu resonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum Rege Deoque,
Ac Jove nata simul, Germano Marte superbis.
Nam Martem quisnam esse neget, seu fortia nudus
Brachia, prævalidosque artus, atque Herculis armos

Ostendit, taurumque uno prostraverit ictu:
Sive acrem, pictisque armis spectandus & auro,
Pressit equum, struxitve acies, & victor in hostes,
Ceu torrens, signa atque viros sternitque fugatque:
Fulmineove Jovis tonitrus imitatus, & arma,
Tormento, muros & magnas diruit urbes?
Te quoque tantorum comitem, partemque secundam
Bellorum, si quando acies, atque arma movenda
Perculsæ tremuere urbes, horrorque, pavorque
It campis, Mars germanam comitatur ovantem:
Attoniti spectant populi, gaudentque tueri
Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire
Postremum nunc pellere equum, nunc tendere in hoste,
Turbantem cuneos, & abactis agmina signis.
Assistunt comites circum Solertia, & Astus,
Et magna audentes Animi. & Tolerantia dura,
Curaque, Sedulitasque vigil, Spesque alta, Laborque,
Et Divûm Favor, & ventis Fortuna secundis:
Pone sequens magno graditur Victoria plausu.
Nec minus horrenti a bello, partisque triumphis
Si juvat ingenii, pacisque incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata sorores
Castalias, plectris numeros, & carmina dictas,
Carmina nec rerum fato subjecta, nec ævo:
Nunc magnos dimensa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrioque assuescis Olympo:
Nunc tua describis vel regum gesta tuorum,
Aut eadem depingis acu, stant curribus altis
Et pater, & proavus, cunctique ex ordine Reges,
Captivosque hostes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipsa opus, & textum stupet immortale Minerva.
Quam vero, o quam te dicam, quum legibus æquis
Justitiaque feros populos stronasque, regisque,
Et divina doces jura, & civilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populosque frequentes
Incedis Regina. Favor comitatur euntem,

Ma-

Majestasque, Pudorque, tamen qui Pallada possit
Armatam, & Martis gradientem in bella decere.
It dextra Pax læta manu, & prætendit olivam.
Applaudunt Sequani, floresque & lilia passim
Effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,
Reginamque, Deamque, salutiferamque salutant,
Et pace insignem, & bello ferroque potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Cæsar, & omnis
Suspicit admirans orbis, cui lumine tellus
Felici arridet, totus cui militat æther.
Diis quamquam visum aspectu tibi debita regna
Paullisper privare tuo, seu crimine cives
Id meruere aliquo, seu te tua fata reservant
Ad majora, viamque tuis virtutibus amplam
Expediunt, panduntque. Etenim jam tempora læta
Illa istant, quum post lacrimas, post publica vota
Te tandem sua regna novis decorata Trophæis
Accipiant, & justa tibi solennia solvant.
Jam ludi, festique dies, jam sacra parantur:
Jam placidus ripa gaudet Meniascus amœna:
In templis pueri impubes, mixtæque puellæ
Sacra canent, ortusque tuos ad sidera tollent:
Ut nascentem ulnis primæ excepere Camœnæ,
Melleque, & aonio tetigerunt ora liquore:
Ut Charites fovere Deæ, & decus omne dedere:
Ut parva in numerum pedibus cunabula Divæ
Pellentes, manibus nentes fatalia pensa
Grandia concordes cecinerunt fata Sorores.
Stabunt ingentes sublatis molibus arcus
Cælati gestisque tuis, factisque tuorum.
Super omnes humeris exstans altaque corona
Frater erit, senesque ferox ex hoste triumphos
Ducet ovans, mox fortuna congressus iniqua,
Cum dura bellare Dea, & decernere dure
Cogetur; longe illa Furiis in bella vocatis
Obiicere adversos, & toto nubila cœlo,
Et casus, & monstra modis minitantia miris.
Cernetur: Res contra animis, & fortibus ausis,

Et virtute nova tandem superare cadentem,
Tendentemque manus: tum ferro & compede vinctam
Protrahere, & campo captivam ducere aperto:
Nubila diffugere, & turpi deformia monstra
Victa fuga, vario bello consumta, fameque,
In cæcas latebras obscuraque Tartara condi.
O, mihi si tantum juvenili in corpore vitæ,
Et tantum det Parca mihi, hæc ventura superstes
Ut videam, comiterque tuos, Regina, triumphos:
Mox etiam spectare queam, & majora parari.
En erit, en umquam illa dies, quum Gallica signa
Attolli, & Sequanos compleri milite campos
Cõspiciã, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadurços,
Aulercosque, Heduosque, & pictis Lingonas hastis?
In mediis Regem secum cataphracta trahentem
Agmina, sublimem sanctas procedere ad aras,
Per caput & sacram Regum de more coronam
Jurantem, & Solymas repetentem debita sceptris
Regna suis: te parte alia fortes Ituriscos,
Andelos, Biturasque feros in bella moventem;
Consiliis, tantoque operi comitemque, ducemque
Ascitam: nec non tanto sub Rege coactam
In ferrum ruere Italiam, & socia arma trahentem
Signa sequi, mox o liceat Cœloque secundo,
Et præsente Deo, tot se se addentibus una
Prospicere immensum consterni puppibus æquor,
Carmelique procul rupes, & littora Joppes
Læta Dei classem, & victricia vela vocare,
Et trepidum Euphratem, & magni tremere ostia Nili.
Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poscam
Non aliam mihi: Rex Mavors, tu maxima Pallas
Sola eris, o ego tunc gemino sub Numine tutus
Per medios hostes videor, densosque maniplos
Victor agi, videorque mea sub cuspide fractos
Munera magna tibi captivos ducere reges:
Nec non & spolia ampla tuis addenda triumphis
Jungere, barbaricas vestes, regumque tiaras,
Armaque, Mydoniosque arcus, Lyciasque pharetras

Cer-

Cernere & examimem fuſo cum milite portas
Caucaſeas, atque Hircanos inquirere ſaltus
Maumethem, & ſe ſe extremis occludere Bactris.
Hæc, precor, hæc propere eveniant felicibus aſtris,
Si qua fata dabunt, votis ſi Juppiter adſit.
Interea, ſive hæc te cura, & gloria tangit,
Seu pacem Europæ miſeræ moliris, & arma
In Superûm ſævos hoſtes avertere tentas,
Magnanimo aſſiſtente tuis conatibus Anna,
Anna ſpectato meritis, cui ſumma poteſtas
Tradita, quo rerum moles oneroſa recumbit,
Quidquid agis, ſi quando animum convertis ad ipſam
Italiam (neque enim teneat non hæc quoque cura)
Tunc dicas, Cœlo ante alios mihi fidus in illo eſt,
Qui niſi pro Rege invigilans noctesque dieſque
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica ſuſpiret regna, & tabeſcat abeſſe.
Præterea, Dea bellipotens, quæ munera Cæſar
Fregoſus, parva illa quidem, ſed congrua mitto,
Haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
Una eadem, facieſque tui, facieſque Minervæ.
Quinetiam, quoties Divam ſpectare juvabit,
Te toties ſpectare puta. Sed me quoque tanti
Si facies, ſi me tali dignabere honore,
Quum memor ipſa mei fueris, tum nomine noſtro
Longævamque diem, & felicia cuncta precata,
Diva, tuum ſalvere jube ſuper omnia Martem.

Ad M. Antonium Flaminium, & Galeatium Florimontium.

Dum vos fatidicos vates, arcanaque ſenſa
Volvitis, atque animum cœleſti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei conſueſcitis ori
Felices duce Giberto, Campenſe magiſtro:
Quid dicam miſerum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem; quæ ſe ubi paullum
Oſten-

Oſtendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, converſa ſequentem eludit, & angit
Mœrentem ſeniique horas, caſſumque laborem?
 Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum,
Quæ fluere ex ipſis dicuntur, perque meare
Omnia, dum ſector meditans, tacitusque requiro
Avia ſilvarum, & ſecreta ſilentia ſolus,
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis:
Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſſant,
Perque fores, caulaſque animæ ludantque, meentque,
Ac remeent, ipſamque nec inter ſomnia linquant.
 Ergo hoc eluſum ſtudio, feſſumque labore
Tandem me miſerata ſuos abduxit in hortos
Muſa memor, tenuique animum ſomno, atque quiete
Curavit, numeriſque & blando carmine fovit.
Tum mihi: Quo tandem, o ſemper mortalia quærens,
Hanc colere uſque voles terram? numquamne relinques
Has tenebras, numquamne in lucem lumina tolles?
An neſcis, quæcumque hic ſunt, quæ hac nocte teguntur,
Omnia res prorſus veras non eſſe, ſed umbras,
Aut ſpecula, unde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, & maria alta, atque hic circumfluus aër,
Et quæ conſiſtunt ex iis, hæc omnia tenues
Sunt umbræ, humanos quæ tamquam ſomnia quædam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Numquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunæque globus, fulgentiaque aſtra
Cetera, ſint quamvis meliori prædita vita,
Et donata ævo immortali, hæc ipſa tamen ſunt
Æterni ſpecula, in quæ animus, qui eſt inde profectus,
Inſpiciens, patriæ quodam quaſi tactus amore,
Ardeſcit; ſed enim, quoniam hic non perſtat, & ultra
Neſcio quid ſequitur ſecum, tacitusque requirit,
Noſſe licet circum hæc ipſum conſiſtere verum,
Non finem: verum eſſe aliud quid, cujus imago
Splendet in iis, quod per ſe ipſum eſt, & principium eſſe
Omnibus æternum, ante omnem numerumque diemque
In quo alium Solem, atque aliam ſplendeſcere Lunam
Aſpi-

Aspicias, aliosque orbes, alia astra manere,
Terramque, fluviosque alios, atque aëra, & ignem,
Et nemora, atque aliis errare animalia silvis:
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo, umbras quum jam satis, & specula illa, superq;
Spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atque ipsum perquirere verum.
Quod quoniam longe sejunctum est corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem sensibus ullis
Naturam, scito esse animum tibi dissociandum
Corpore, purgandumque omni contage recepta,
Terrena labe, & mortalis luminis haustu:
Quærendæque aliæ silvæ, callesque tenendi
Sunt alii, meliorque, Deum quæ semita monstrat.
Hæc Musa, o si te comitem dent rura beata
Bardolena mihi, o quis nos propter amœnum
Benacum viridi silvis in littore sistat:
Atque olea, lauroque teget, detque abdita vatum
Sensa, & utramque Dei præcepta evolvere legem.
Rura, oro, Giberte, tuo Benacea vati
Da, viridesve oleas, & multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, & tua facta
Inclita Mæoniis numeris ad sidera tollet.
Ut puerum mirata sacro cum Tibride Roma
Ante annos meritis titulis & honoribus auxit.
Ut res Romana, & sacrorum tradita jussu
Pontificum tibi summa in te uno sæpe resedit:
Ut septem fremuere novis applausibus arces,
Macte animis, macte ingenio, tu turbidus æquor
Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes
Alloquiis frenas, & cœptos ore tumultus,
Armaque, & hostiles animos, & prœlia sedas:
Fœdera, amicitiasque feris, pacemque reportas
Italiæ, populisque Dei; nec te tamen ingens
Terra capit, toto juvenem tot plausibus Orbe
Exceptum; tua te pietas, tua maxima virtus
In cœlum vehit, & terræ dat spernere honores;
Dat contemnere opes, unique incumbere olympo.

Ac

Ac solis Divorum epulis, & nectare pasci.
Hæc ubi perpetuo cantavit carmine, & omnes
Respondent late rupes: tunc concitus œstro
Fatidico, plenusque Deo, Davidica vates
Ipse etiam pater interpres oracula solvit,
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnam,
Quam quondam Solymæ stupuere, arcesque Sionis.

Ad Franciscum Turrianum Veronensem.

Turri, si aut mihi villa & lar sit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem possis, parvosque penates
Urbe procul ruri sese abscondentis amici,
Quantum ego te his mecum Caphis in montibus optem
Montibus his, ubi, si querulæ nemora alta Cicadæ
Non rumpant, equidem vix norim æstatis adesse
Tempora, tam leni mitescit Julius aura!
Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere & omni
Munda situ: dum sit nullo turbata tumultu,
Nescia curarum, nullius conscia culpæ:
Alta ubi per totum sit pax, & amica Camœnis
Otia, & integri per magna silentia somni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum cœlo Jovis igne Typhoëa,
Terrigenasque alios, spirantia signa, videbis,
Admirans opus æterni memorabile Juli;
At bona Libertas aderit, quæ rura beata
Præcipue insequitur, simplexque incedit & exlex.
Hic tibi, si paullo digitus sit inunctior, aut si
Potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque
Non steteris, nemo obiiciet, nemoque sedentem
Arguet. hoc illi si fors super incubuit crus.
Stare, sedere, esse ex libito, & potare licebit.
Forsitan &, mihi quid vitæ, quid sit studiorum,
Nosse optas, quo vel damnes, vel singula laudes.
Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
Nascentem, qui non alio consurgit Eoo.

Pul-

Pulchrior unde nova lætantur singula luce,
Et silvæ, scopulique, & pictis nubibus aër.
Parte alia Benacum alto de colle saluto,
Centum cui virides invergunt flumina Nymphæ:
Ipse sinu magno Genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut spectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.
Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui blatea fuso.
Interea natos discentes rustica amare
Numina, vicina nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui secum horæ solatia portent.
Hic legitur, viridique toro, saxove sedetur
Glandifera sub fago, aut castanea hirsuta.
At variæ circum silvis, & frondibus altis
Assuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.
Tum densum nemus, atque umbræ per gramina læta
Jejunas nos invitant spatiarier horas.
At fessi hæc inter pueri sitiuntque, dolentque
Plus æquo retineri, & jam Musasque, librosque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrère, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores sparsere nitentes.
Advenio; primas atro lita mora cruore,
Aut grossi mensas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
Increpitat seges, & duri sub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, resonat tellus rupesque propinquæ,
Et paleæ sursum strepitu jactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens despectat olympo.
Umbra diem reliquum, somnus, librique, viæque
Producunt, dum siccam æstu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi cæruleis ferus se se extulit undis
Vesper, & in cælum surgentia sidera vexit,
Vicina e specula, magni admirator olympi,

Alta

Alta rupe sedens natis astra omnia monstro:
Accendoque animos patriæ cœlestis amore.
Illi admirari, & cognoscere sidera discunt
Cepheaque, Arctonque, & servantem plaustra Bootem.
Hæc ergo præferre urbi, & contemnere magna
Si possis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has sedes, hæc limina magnus
Naugerius subiit, nec dedignatus adire est
Battus amor Musarum, ipsum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cepinit Telluris amores.
Hic me etiam dilectæ Deæ, mediamque, senemque
Carmina jusserunt canere, & ridere beatos
Illudentem urbem, & male sani murmura vulgi.
Verum, hæc Gibertus ne viderit ipse, caveto;
Ni forsan Dubulone animum, curasque relaxans
Propter aquam viridi lætus consederit herba,
Qua placidus leni descendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aspernatur, & audit
Nos etiam, & nostram, quamvis sit rustica, Musam.
Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit,
Illam alto intentam cœlo, seu sacra sacerdos
Munera obit, totum seu contemplatur Olympum,
Tum supra & musas, & ruris Numina supra est,
Vitam agitans Divûm, Diis se cœlestibus æquans.

In Mortem Alliprandi Madrutii.

Impositum quum te pheretro, miserande Madruti,
Cerneret illacrimans Cæsar, circumque videret
Et spolia, & victis erepta ex hostibus arma,
Et modo victrices juxta mœrere phalanges,
Quantum, inquit, tua Mors nostris inimica triumphis
Lætitiæ, decorisque adimit! spes quanta futuri
Tecum, Alliprande, cadit! seu non tua vivida virtus,
Ut te hunc aspicerem, tua non promiserat ætas:
Sed fore, qui Solymis mecum, atque Oriente subacto,
Barbaricis regum spoliis & mille trophæis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.

In-

Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte Ducis vestri, juvenes, & reddite matri
Exanimi: sed hæc miseræ solatia ferte,
Tantum ipsam peperisse virum, qui Cæsaris usque
Et comes, & bene gestarum pars maxima rerum,
Cæsaris ex animo nullo delebitur ævo.

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem amplissimum.

Priscæ virtutis, Romani & sanguinis hæres,
Farnesi, quoniam nec Dii munuscula læta
Despiciunt, hominum spicas, ac serta rosarum,
Libaque, & exigui devotum turis honorem:
Tu quoque (si mores imitari, ac facta Deorum
Præcipue Heroum est) non dedignabere parva
Frastori quæ dona tui natusque, paterque,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt,
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos
Dat natus sua dona canes. Scyllæ inclita origo
A Nilo est: Lycus a magno descendit Araxe.
Qui quondam Euganeas transmissi munus ad oras
Præstabant cunctis, sive aprum figere morsu
Esset opus, rapidum cursu seu vincere cervum.
Horum igitur sobolem natus tibi ab ubere matris
Nutriit ablatam, & nostris exercuit arvis
Venatu assiduo, & vires durante labore,
Nostrorum famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis si forte sequetur
Gloria, & ignota fors in regione juvabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Hæc tibi: quæ quamquam tristi fugiente senecta
Lætitias, cantusque, tamen voluere Camœnæ,
In te unum, dominæque mei, nimiumque potentes,
Ut canerem, Musaque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,

Si quando defeſſum animum, mentemque remittes
Liber, & ad dulces poteris te vertere Muſas,
Hæc quoque noſtra leges: ea ſi dignabere tanti,
Inter Romanas ut eant ſpectanda Camœnas.
Quod ſi etiam recreare animum, corpuſque juvabit
Venatu, & latos ſaltus, ac denſa ferarum
Luſtra fatigare, & capreas agitare fugaces,
Tum canibus miſcere tuis, tecumque vocare
Ne pigeat nato miſſos; hirſutior ille
Cuncta niger, tantum pedibus, & gutture canus,
Non invitus herum Tiberonis voce ſequetur.
Aſt Athiſo (namque hoc alter de flumine noſtro
Nomen habet) nec curſu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore,
Frontem albo pictus diſcrimine, pictus & albo
Cervicem caudamque imam, pectuſque, pedeſque,
Addictus lateri numquam diſcedet herili:
Tantus amor domini: niſi forte cupidine prædæ
Conſpectæ impatiens etiam retinacula rumpat.
Hic tu, vel pulchro Calai, vel Tyndaridi alto
Polluci ſimilis, ſilvas latratibus omnes
Complebis, rupeſque hominum clamoribus altas,
Vectus equo Hæmonio, & fulgenti clarus in oſtro
Attonitæ viſu diſcent nemora inter amare
Ruſticæ Hamadryades, diſcetis amare, Dianæ
Inſuetæ Comites: volucri ſed concitus ille
Fertur equo, veſtroſque alio deportat amores,
Inſequiturque feras, ah, ne illum accenſa cupido
Venandi, excitos ſilvis impellat in urſos:
Ne in ſævos impellat apros: tibi cura, Dione
Æneadum genitrix, ſit cuſtodire nepotem,
Et juvenem ilicea defeſſum ſiſtere in umbra.
Sat ſilvis animoque datum eſt: illum ſua Roma
Poſcit, & exſpectat lati res publica Mundi.
I, ſpes magna Urbis, rebuſque vocantibus adſis.
Interea, quando mihi Divus habebere ſemper,
Ipſe tibi Caphiis ſacras in montibus aras
Inſtituam, qua ſe ſummo de vertice collis

Tol-

Tollit, & æquatum Benaci prospicit æquor,
Et virides olea ripas, Patriamque Catulli.
Hic sibi solemnemque diem, & renovanda quotannis
Sacra, tuo statuam semper de nomine dicta.
Tunc rosa, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenæque senem deceant, tunc texere flores,
Et virides cano capiti imposuisse coronam,
Lætitiaque diem, & multo producere Baccho,
Fallentem senium, & curas de corde fugantem.
Forsitan & Musarum aliqua, & tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamque dabit: Deus ipse canentem
Perque tuos annos, perque acta illustria ducet.
Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
Accinuit cantu Grajo, cantuque Latino.
Scilicet & fari lingua assuefecit utraque.
Ut puerum Aonio perfusum labra liquore,
Per dulces Musarum hortos, & amœna vireta
Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monstrante viam. nullaque Sororum
Non donante rosas, & serta virentia lauro.
Tum mores, animumque dedit, sensumque senilem,
Atque Urbem regere, ac sacro splendere galero.
Nec jam Roma capit, sed lata in regna vocatum
Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,
Non juga, non toties superatis nubibus Alpes.
Te Pœninæ arces, celerem te Norica saxa
Spectarunt rapido montana per ardua cursu,
Quantum Sol cœli, tantum telluris obire
Matre Dea comitante, & iter monstrante Nepoti.
Nec satis hæc: majora urgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata superbis
Detrectare jugum Imperii, & se opponere Patrum
Sanctorum placitis, & sacris legibus audet:
Nec jam Pontificum, nec jam ullos Cæsaris audit
Infelix monitus, sed lævo numine Divûm
Arma parat: socium Cæsar te poscit in hostes,
Pro sceptro Imperii, pro relligione Deorum.
Tunc primum attonitæ gentes videre Latinæ

Te, fratremque tuum patria virtute, animisque
Invictis pariter, res duri, & munera belli
Tractantes: gemini quales duxisse feruntur
Tyndaridæ pulchri Gr as in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
Visa fuit: Ducibus tantis Mavortia pubes
Magnanimi Æneadæ, memores virtutis avitæ
Bella cient: Italo pleni jam milite campi
Densantur: jam procedunt longo ordine signa
Sublata in ventos, iareque inimica minantur.
Nec mora, jam summis Romanus miles, & arma
Alpibus apparent: concussæ motibus illæ
Fuderunt gemitus: longe vagus audiit Oenus,
Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pavidus fluxit demissis cornibus Ister.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,
Caraque in Hercynias traxerunt pignora silvas.
Sed quo me rapitis, Musæ? quid facta revolvo
Farnesi? Majora animo jam concipe, teque
Impavidum, invictumque, aliis accinge triumphis.

Ad eundem Alexandrum Farnesium Cardinalem, cui Libros de Contagione dedicavit.

Hæc ego florentes Sophiæ digressus in hortos,
Italiæ decus o Juvenis, Farnesia proles,
Condebam, lectasque tibi de more sacrabam
Primitias, dum tu magni inter Cæsaris arma,
Gallorumque acies, recti pacisque sequester
Res miseræ Europæ fractas componis, & omne
Robur, & arma Dei Maumethem vertis in hostem,
Percurrisque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.
Fortunate nimis, quem cunctæ applausibus urbes
Excipiunt, pacisque vocant Patremque, Deumque,
Inque caput, sacrosque sinus, humerosque, manusque
Et nigras violas, & candida lilia jactant.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Assurgit, festosque dies, & sacra nepoti,

So-

Solemnesque agitat pompas, densi undique circum
Stant populi, & studio ingenti, & clamore secundo
Farnesum genus omne, alto de sanguine ductum
Æneadum longa serie, super æthera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille triumphos:
Assensu resonat Tibris, & Tyrrhena resultant
Littora: septeni responsant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, prælataque longe
Progenies, sive imperiis & Marte regendæ
Sint res Romanæ, seu Relligionis habenis.
Atque equidem e fracto Imperio, Romaque cadente
Servatam hanc stirpem fato, statuentibus & Diis
Crediderim, quo Romanum per sæcula nomen
Staret, & ara Dei, quæ primum maxima magnis
Auspiciis fundata fuit, sit maxima semper.
Quo me, Paulle, rapis, quo tuque nepósque vocatis
Laudibus heroum insuetum? tu maximus ille es,
Uni cui regni triplicis capite alta tiara
Consurgit, cui summa uni terna illa potestas
Terrarum, Cœlique data est, vastique profundi,
Illorumque aperire fores, & claudere posse,
Qui Petri, Christique ratem turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte revulsa,
Tempestatem omnem, atque adversos discutis Euros.
Nec sanctam sine honore sinis, sine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine cymbam,
Macte animo Romano, & macte ingentibus ausis.
At tibi quas, Juvenis fortunatissime, dignas
Attribuam laudes, generis spes altera tanti,
Inclite Alexander, puerum quem plurima virtus,
Canaque consurgens teneris prudentia in armis,
Et spondens majora astris felicibus æther
Ad summos meritum ante annos evexit honores,
Et sacri gestare dedit decora alta galeri?
En quantum de te sacri sibi Pastor ovilis
Spondet avus tuus ille, animo quæ gaudia versat.
Forsitan & proprio non tam gavisus honore,
Quam spe sublatus, tanti & virtute nepotis,

Nescio quid majus præsaga mente volutat:
Scilicet & gnarus fatorum, & præscius ævi
Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu
Sede sua, solioque Dei, Diis proximus ipsis
Consideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis
Gratetur, supplexque tuis ferat oscula plantis.
O mihi postremæ tantum dent Numina vitæ,
Ipse etiam ut tum te tremulus, confectus & annis
Aspiciam, sanctosque pedes prostratus adorem.
O & si possim canere, & tua dicere facta,
Et ventura novo tecum secla aurea Mundo.
Nam video sub te victum, longeque fugatum
Maumethem se Caucaseis includere portis:
At Pacem viridi redimitam tempora oliva
Ire per Europam magnam, atque invisere terras:
Quam pia Relligio, & junctis Concordia dextris,
Et Probitas, & Amor recti comitentur euntem.
Salve, magne Tibri. Salve & tu, maxima rerum
Roma parens, salvete artes, collesque Latini;
Aurea qui primi longo meministis ab ævo
Sæcula, quum nulli variarent jugera sulci,
Sponte sua sed terra ferax daret omnia, & ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes;
Et nunc venturis eadem speretis ab annis.

Ad Julium III. Pont. Max.

Maxime Divini Pastor gregis, inclite Juli,
In terris cui summa uni est concessa potestas,
Sceptra, vicesque Dei gerere, & regna infera Ditis,
Cœlorumque fores aperire, & claudere posse:
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum prospicis omni
Europæ, & vasta Mundi sub mole laboras,
Paullisper potes a tantis secedere curis,
Et potes agrestes pastorum audire Camœnas,
Nunc aures adhibe placidas mihi: namque ego, quæ Pan,
Pan magnus cecinit nostros ventura sub annos,
Nunc referam, tua, Magne Pater, pars maxima quorum est,

Cu-

Cujus ab auspiciis Parcæ nova sæcula volvunt.
Nec te pœniteat pastorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formosus Apollo
Pavit ad Amphrysi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare Deum sub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet & tu etiam post grandia nomina Pastor
Diceris, atque hoc inprimis cognomine gaudes,
Et pecudes curare soles, pecudumque magistros.
Forte ego, dum medio terras Sol excoquit æstu,
Ipse Suessani pastor puer incola campi
Ducebam pastas viridi de valle capellas
In nemorum secreta, umbras, & frigora quærens,
Qua placidus cursu descendit in æquora Lyris.
Est lucus, prisci quem sacravere Latini
Silvano: in cujus medio densa ilice cinctum
Est pratum, agrestes ubi Dii persæpe videri
Audirique solent: hic capripedes Satyriscos
Pastorumque manum junctis per mutua palmis
In gyrum canere, & lætas agitare choreas
Invenio admirans; medius Pan magnus ovantem
Ad calamos, cantusque regit ducitque coronam.
Dumque Deus canit ipse, silet tum cetera pubes.
Dum silet ille, alii thiasos, cantusque, sequentes
Instaurant, repetuntque Dei postrema canentis.
Ingeminat postrema nemus, respondet & Echo.
Tum me respiciens; mihi sanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis pastor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neote, & te his adjunge choreis:
Aut, spectare magis si te juvat, aggere ab illo
Prospice, dum saturæ sua ducant otia capræ.
Cui ego: quin potius juvet hoc de cespite vestros
Spectantem lusus, molli requiescere in herba.
Et tum forte Deus buccas sandyce rubentes
Inflans, & picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumsiliens, hæc carmina cantu
Fatidico infanus latas fundebat ad auras:
Dicite io, Satyrisci, & ingeminate, coloni;

Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.
Excipiunt juvenes, iterat nemus, assonat Echo:
Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.
Tum sequitur Deus; ante tamen Rex magnus olympi
Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coërcens
Castiget, fraudesque hominum, fastusque superbos,
Et luxus, & spes miseras, & gaudia vana:
Dum tandem se se, atque Deos cognoscere discant.
Mox tantum exspectatum illud, quod carmine sacro
Tot Vates cecinere pii, felicibus astris
Adveniet tempus, quo Mons ille arduus, ille
Mons ingens, sublime caput super omnia tollat
Culmina, sidereum qui vertice tangat olympum:
Quo neque vis ventorum adeat non fulminis ignes.
Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;
Aurea felici nascentur sæcula Mundo.
Hoc in monte Dei pecudes pascentur & agni,
Graminis æterni pingues, & velleris aurei.
Exsilient & aquæ vivæ, quibus ubera capræ
Grandia distendant, distendant ubera vaccæ.
Non malus hic serpens, non noxia creverit herba,
Non sentes, sterilisve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta seges, sed bis gravis uva racemis:
Corticibusque cavæ sudabunt balsama pinus.
Hinc magnis præstantem animis, & fortibus ausis
Fortunata nimis Pastorem hæc sæcula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus æqui,
Divinas qui pascat oves, & pascua late
Extendat, pecudesque ipsas, & ovilia servet.
Hic primum diram Alecto, & Cocytia monstra
Caucasea ærata religabit rupe catena:
Inde famem miseram e Latio, populisque Deorum
Pellet in hostiles gentes, & barbara regna.
Tum læta Ubertas, segetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras:
Quam circum pueri salient, & rustica pubes,

Ridentesque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Musis Damones & Alphesibæi
Vota Patri magno, laudesque, & sacra canentes
Æternis illum numeris ad sidera tollent,
Heroëmque, Deumque, salutiferumque vocabunt,
Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.
Ille animum mox ad pacem, & discordia regum
Pectora convertet, sanctisque hortatibus iras.
Atque odia, & cæcos regnorum, & laudis amores,
Horrendamque sitim cædis, fusique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivæ,
Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenæus amator
Invisent late populos, Latiique per arva
Lætitiam, risusque ferent: tum justa cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hostes.
Jam video augustis late plena æquora velis
Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemque, Tygrimque suo se condere in amne.
Jam nec Bactra ipsum capiunt, nec India tota
Maumethem fugientem, ipsum non Caucasus ingens,
Non qui tot silvas, juga tot comprendit Imavus.
Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.
Quænam, quæ properant tantæ per cærula puppes
Devotæ ad Tiberim, magnæque ad mœnia Romæ,
Ceu densæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cœlo olim, Divisque fruantur.
En jam sanctam Urbem, jam septem in collibus arces
Impositas, summique pedes Pastoris adorant.
Hos inter, video, & nostri longa æquora sulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades; o soli quondam cantare periti
Pastores, quos Justitia e tellure recedens

Postremos liquit, nunc rursus læta revisit.
O sancti, properate; vocat Deus æthere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque exspectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoque Mœnala nostra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulsi
Fugimus in Latium, longo post tempore tandem
Visamus, dulcemque auram: o placidissime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycæi,
Quando ego per vestros meditabor carmina lucos?
Mœnalios quando recinet mea tibia versus?
Mænalus auritas, dantesque oracula quercus
Semper habet, semper doctas ille audit avenas.
Concipe Mænalios, mea tibia, concipe versus.
  Talia cantabat memorans Pan magnus; at Anthus
Hæc referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto
Nunc parvum: ventura dies majora reservat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,
Dicere & occasus astrorum, dicere & ortus,
Et quid quæque ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres,
Quæ tempestatum, cœli quæ signa sereni;
Denique quæ cunctis natura sit indita rebus.
Virtutem in primis, & honestum, quemque docere,
Ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat pastum deducere capras.

Incidens.

Battus amor Dryadum defunctum pastor Iolam
Flebat; cum fontes, Alpinaque Numina circum,
Sarcaque, pumiceoque sedens Benacus ab antro
Mœrentem lacrimis consolabantur obortis:
Ille autem nulla accipiens solamina, tantum
Deserta sub rupe, in littoribus Benaci,
Talia nequidquam surdas jactabat ad undas:
Immites Divi, & crudeles vos quoque Parcæ,
Crudeles nimium Parcæ; vos ibitis amnes,
Aëriæ stabunt rupes: nusquam amplius ipse

His

His terris, numquam hoc cœlo agnoscetur Jolas;
Ut cecidit? semel in pratis ut purpureus flos,
Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Sirius astro.
Currite jam, fluviorum undæ, & producite vitam,
Et, rupes, durate; tamen non alter Jolas
Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

Incidens, ad Joannem Baptistam Turrianum Veronensem.

Illa colum exercens saxo consedit aprico,
Læta tepore novo, & liquefacta Sole pruina:
At juxta nemore in magno grex pascitur omnis.

Hiems, ad Eundem.

Frigidus at silvis Aquilo si increverit, aut si
Hiberni pluviis descendent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
Upilio ingentem aut fagum, vel sciffile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne soletis,
Juniperi, suaves circum diffundere odores,
Et vos, Palladiæ, flammis imponat, olivæ.
Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, Julus,
Blanditias ferat, & nondum constantia verba.
Ipse legam magni tecum monumenta Maronis.
O fortunatos nimium, si fata, quod ævi
Nos manet, hanc una dederint producere vitam.

Ver ad eundem.

Jam veniet Ver purpureum, juvenisque revertens
Annus aget Zephyros, & cœlo desuper alto
Deducet pleno genitalia semina cornu:
Unde hominum genus, & pecudum, vitæque natantum,
Et pictæ volucres, & amantes roscida plantæ
In Venerem cæco æterni rapiuntur amore.
Gaudete, o quicumque bonum speratis, agrestes,
Quo-

Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
Incolere; & parvas ulmis attollere vites;
Annus io, novus annus adest: mutatur & ætas,
Et meliora novo nascuntur sæcula Mundo.
Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro e Latio, ac sub Tartara mittet.
Tum lethum, & cæcus furor, & vesana cupido
Perpetuis extra terras religata catenis
Persolvent pœnas scelerum: at Pax alta per omnem
Italiam magno populos sub Cæsare viset.
Ille autem insignis spoliis, & mille trophæis
Instituet festos alta ad Capitolia ludos.
Stabit onusta ingens, Tarpeii ad limina templi
Quercus honore sacra, & prænuncia temporis aurei.
Tum vescæ glandes, tum terra sponte ferente
Omnia comparibus disjunget colla juvencis
Agricola, & rudibus mirabitur hordea sulcis
Sponte adolere sua, & nullo frumenta colono
Undantem lætis segetem flavescere campis.
Noctibus in silvas, & mollia prata serenis
Ætherio dulcem commixtum nectare rorem
Sudabit cœlum; tenera qui lectus ab herba
Mortales saturet mensa dapibusque Deorum.
Salve, magne Tybri, & vos, natæ Tybride Nymphæ,
Tuque, senex pater Eridane, & qui flumine Tusco,
Benace, in nostro placidus perlaberis agro.
Tuque, Athesis, cunctique amnes salvete Latini,
Diique omnes magnæ Hesperiæ, qui sæcula soli
Aurea Saturni primo meministis ab ævo:
Quum sepes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera sulci;
Sponte sua sed terra ferax daret omnia, & ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Incidens ad eundem.

Quarum pars brumæ impatiens, & condita terræ,
Exspectat ver egelidum, flatusque Favonii:

Pars

Pars passura hiemem, læta ab radice virescit,
Emittitque comam, siculumque atque altera beta,
Atque ari virides, & odoriferæ calaminthæ,
Atque olus, atque rumex, & salsi gramina crithmi.
Quas inter suaves, mollesque aspirat odores
Nunc decus hortorum, menta; at, si vera loquuntur
Nympharum quondam pulcherrima Grajugenarum.
Tum juvat & frondes apii, & sisymbria læta,
Intubaque, & toto florentes frigore sonchos
Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

Aliud.

Nox venit, & pastæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuso,
At mater longæva, igni dum brassica fervet,
Mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.
Rusticus interea pinguis collector olivæ,
Interea & validus prima de nocte bubulcus
Advenere domum: congesta tûm focus orno
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur lætæ flammæ, lateque relucent.

Aliud Incidens ad eundem.

At nemora, & liquidis manantia fontibus arva,
Et placidus myrteta inter, laurosque virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circum pueri, vernæque canentes,
Dum cœna undanti coquitur silvestris aheno,
Grandiaque exurunt crepitantes robora flammæ,
Suspensæ e summis pendent laquearibus uvæ,
Malaque, castaneæque, & passo fistula ventre.
Hiberna de nocte, boum stabula alta petuntur.
Una omnes matresque, virique, omnisque juventus
In-

Insomnem exercent noctem: pars pensa fatigat:
Pars texit teneros Amerino vimine qualos:
Atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fusum,
Languentes oculos fabella fallit inani.

Aliud.

Mane domi validos pluvia ut conclusit agrestes,
Cæditur iliceo distenta sagimine porca.
Læta domus, tum sollicita in farcimine mater,
Pingue suis niveum, & dissecti frusta cerebri,
Et niveum lac purpureo cum sanguine miscet.
Tum semen marathri, atque arentis gramina thymbræ
Adjicit, & coli insperso sale concava complet.

In Natalem Diem Jani, Fregosii, Cæsaris F.

Sacrorum si plena Deo sunt pectora vatum,
  Si norunt triplices fata futura Deæ:
Fortunate infans, verus tibi gloria vates,
  Grandia concordes concinuere Deæ.
Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortu
  Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito, magnique Patris mirarier acta
  Incipe, & invicti Cæsaris arma sequi.
Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophæis,
  Et fessi rebus compositis Latii,
Barbaricis captis opibus, ducibusque subactis
  Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum læta ante tuum stabit victoria templum,
  Claudet & ærata limina ahena sera.

De Partu Victoriæ Farnesiæ, Guidi Ubaldi Feretrii, Urbini Ducis, Conjugis.

Lucinæ Junonis opem Victoria supplex
  Quum peteret, placido sic ait ore Dea:

Sis

Sis licet Æneadum, & Veneris de sanguine avito
Nata, puella, tamen digna favore meo es.
Quam Charites tanto junctæ comitantur honore,
Grandia quam Parcæ fata manere canunt.
Quippe ubi Junonis flos, & Saturnia quercus
Jungantur, faustis currere Isauron aquis,
Promittique tibi sobolem, qua pristina virtus
Italiæ, & priscus restituatur honos.
Nascere, magne puer, patremque imitatus, avosque,
Magna aude, non vos Umbria magna capit.
Et jam infans sanctasque manus, Divamque secutus
Optati in lumen ætheris exierat.
Ergo & quod potuit, risu agnovitque parentem,
Præsentisque dedit nuncia signa Deæ.

Tumulus Francisci Marii Molsæ Mutinensis.

Quod Molsæ fuerat mortale, hac conditur urna,
Extruxere suis quam Aonides manibus.
Cœtibus at Superûm fruitur nitidissimus almis,
Itque comes magno spiritus Hippolyto,
Quem Medica de gente satum pulcherrima Virtus
Extulit, & cœli templa tenere dedit.
Quemque unum ante omnes coluit dum fata sinebant,
Atque oculis Vates prætulit ipse suis.

Ad Joannem Lipomanum, ex Veronensi Pretura decedentem.

Hadriacum, Lipomane, Athesis dum curret in æquor,
Dum meritis reddetur honos, & gratia, semper
Prætori tibi debebit Verona, patrique
Linquenti monumenta annos mansura per omnes.
Illa tibi semper divinos solvet honores,
Et condet tua perpetuis annalibus acta.
I spes o Venetûm, & quem jam moderamina parva
Non capiunt, i, te majoribus insere sceptris:
Et

Et lacrimas, & vota, quibus comitamur euntem
Accipe, discessusque tui dona ultima porta.

In mortem Joannis Baptistæ Montani, Medici Veronensis.

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
Et Lachesi invita vivere posse diu,
Lethæo indignans pressit te Parca sopore,
Et secuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic animas & tu, Asclepi, dum subtrahis Orco,
Te quoque sævorum perdidit ira Deûm.

Ad Joannem Matthæum Gibertum Episcopum Veronensem.

Melsineæ rupes, subjectaque littora Tusci
Quæ suprema sonans alluis unda lacus.
Annuite: agrestem dum, votum pauperis, aram
E vivo Thyrsis cespite tollit humo.
Nunc herba struit, atque hederis & floribus ornat.
Et, Giberte, tibi rustica sacra facit.
Ast olim auratam niveus tibi taurus ad aram
Cornibus auratis victima magna cadet.

Ad eundem.

Najades hoc, Giberte, tibi Benacides antrum,
Et qui muscoso fons cadit e lapide,
Sacravere; tibi sit cura & fontis, & antri:
Et quandoque Deus ad tua sacra veni.
Et sacer est, & habet spirantes suaviter auras
Hortus: & est nullo gratior umbra loco:
Et nusquam est longæva mage, & felicior arbos,
Pulcher Adoni, tua; pulcher Apollo, tua.
Hic canere, & tenuem posse exercere Camœnam
Ille dedit: sanctus qui mihi semper erit.

His

Hic herbas, succosque tuos, artemque relinquo,
Phœbe: soles Musas tu quoque amare magis.

Ad eumdem.

Ipsa tibi, Giberte Deus, lego lychnida Leuce
Melsineis Leuce cognita littoribus.
Et pulchram cyanum, & canentia lilia necto:
Illa colore magis, hæc & odore placent.
Roma caput sacro decoret tibi magna galero:
Non tamen & Leuce non sua serta dabit.

Ad eumdem.

Et laurum, & citrum hanc teneram de matre revulsam
Giberto sacram Thyrsis utramque serit.
Hanc, Venus, ast illam Juveni servabis, Apollo,
Ne noceant æstus, ne noceatve gelu.
Tu quoque Benaci vicino, Nais, ab amne
Clam gelidas teneris frondibus affer aquas:
Dumque feres, dic: Sancte, humili tibi nunc Dea rivo,
Quum venies, toto serviet amne tibi.

De Marsango Fluviolo, prope Villam Joannis Baptistæ Rhamnusii, in Agro Patavino.

Qui te populea cingit, Marsange, corona,
Dulce ut in umbrosis cornibus aura sonet:
Ac ne umquam inficiat lutulenti sordida plaustri
Te rota, sub firmo dat tibi ponte viam,
Vicinæ cultor villæ, Rhamnusius, horti,
Agrique, & dominus ripæ utriusque rogat;
Lenis vere flue; atque nivali providus undæ
Arida in æstivi sidera parce Canis.
Sic tibi grata Nape geminabit serta quotannis,
Et tua par magnis amnibus ibit aqua.

De eodem.

Qui modo fons, Marsagne, humilis, modo cornibus in- (gens
Per salicum rapido laberis amne nemus.
Vere novo, Marsagne, mihi flue lenior undis;
Uberior, sitiens quum coquit arva Canis.
Frigentes æstate tibi Rhamnusius umbras
Sparget, & ad gelidas ipse sedebit aquas.
Vere rosam, violasque feret: pictasque corollas
Pulchra tibi hinc Naïs, hinc Galatea dabit.

FRANCISCI FRANCHINI

COSENTINI.

Ad Leuciam.

NUmquid adhuc rabida præstas immanis in ira?
Et juvat Hyrcanæ pergere more feræ?
Horribilis niveo feritas in pectore turpis,
Turpis formoso torvus in ore furor.
Nec semper tygris, nec semper sævit hyena;
Sæpe lupæ mites, sæpe leæna pia est:
Et quid erit turbasse comas, rupisse capillum?
Meque oras tunicæ dissoluisse tuæ?
Nonne potis tibi sum tunicas, & tradere pallam,
Quales ferre omnis culta puella solet?
Ad tua qua veni secreta cubilia nocte,
Quaque velim claudes nocte habuisse pedes.
Ædibus ex ipsis mecum nova jurgia traxi,
Quin & mentis egens, & malè sanus eram.
Tuque minis fatui gravibus commota mariti,
Opposita trudis corpora nostra manu.

Cũque ego, quæ nova res? quid nã facis improba clamo?
Quæ clamore novo non maledicta jacis?
Sed non ulla meam poterit divertere mentem
Rixa, nec ex imis vellere visceribus:
Quin te semper amem grato devinctus amoris
Vulnere, quin placido tactus ab igne sequar.
Jurgia concordes gigni juvat inter amantes,
Pectora ut amborum fortius urat amor.
Jurgia sunt blandi non parva alimenta caloris,
Utque diu, faciunt jurgia, duret amor.
Hæc stimulos tardis, hæc frena furentibus addunt:
Hæc querulo frangunt aspera corda sono.
Jurgia quin viduos vidi conjungere amantes,
Pacem perpetuis & peperisse toris.
Finge ab amore minas, litesque, irasque, metusque
Esse procul: tetris non erit ullus amor.
Me miserum, si facta velim, si dicta referre,
Quæ sævis regnis passus amara tuis!
Sæpius & crines, & vultus ungue recisos
Sæpius, heu nulli probra ferenda tuli.
Libera lingua tibi semper fuit, & manus, & dens,
Multa ego; tu solum hoc, ferrea, ferre nequis.
Quid facis o decus, & Romanæ gloria formæ,
Nonne viri spectas gaudia summa tui?
Nunc tacitus quidquid votis optaverat olim,
Victor habet, dum nos bella fovere videt.
Nostro, age, sic hosti nunc assentire precanti,
Perpetuum nobis Leucia dissidium:
Forsitan & de me narrat tibi multa, vocatque
Infidum, atque odii semina mille jacit.
Quæque hominis quondam contemnere dicta solebas,
Nunc facili vereor ne satis aure bibas.
Atque odium crudele reor te pectore duro
Excoquere diu, pulsus ut excrucier.
Jam non posse diem sine te me vivere, nosti,
Me nosti imperio succubuisse tuo.
Uror amore, tui (fateor mea Leucia) amore
Maceror, & toto pectore discrucior.

Non aliter quam tu nostram cum sæpe subibas
Sola domum ignaro, nocte silente, viro,
Sub mediumque diem mutata veste petebas
Cum me sollicito semirecincta pede:
Mutuus est, & erit nobis dum vita manebit,
Insitus amborum mentibus unus amor;
Nec contra pugnare licet, nec tollere vis est,
Quo premimur, cui sunt subdita colla jugo.
En mitis, rediensque tuum complectere amantem,
Quaque soles hilari suscipe fronte, Dea.
Quas ego delicias video cum pace perenni,
Quæ video æterna fœdera juncta fide!

Ad Leuciam.

Quo magis insidias placidi vitamus Amoris,
Hoc magis insidiis nos petit acer Amor:
Ille tuis latitet cum, Leucia, blandus ocellis,
In me mille jacit spicula, mille faces.
Ah vicit, lætorque dolis delusus opertis
Magna tua est facti gloria, nulla Dei.

Ad Leuciam.

Floribus intextam variis tibi mitto corollam,
Quos avida legi picta per arva manu:
Sunt nigræ violæ, sunt lilia candida, sunt &
Purpureæ gelido non sine rore rosæ:
Sperne tamen cuncta hæc, mea Leucia, scinde coronam:
Lilia tu terris, tu rosa, tu viola es.

De Amore, ad Janum Vitalem.

Me jaculis pete, me flammis, me, Jane, sagittis,
Et me præcipitem mitte, vel in pelagus.
Ante suo, quam sævus Amor me vulneret arcu;
Illo, Jane, nihil sævius esse potest.

De Leuciâ.

Pulchra manus Hebe, Juno ulnas, Cynthia ocellos,
Ora Venus, pectus vertice nata Jovis:
Ut faciem videre meæ, formamque puellæ,
Qua non in terris altera pulchra magis,
Hebe optat digitos, pectus sibi Pallas, ocellos
Cynthia, Juno ulnas, illius ora Venus.

In statuam Veneris.

Unde decus tantum saxo? quis nam indidit ipsam
Saxo animam? e cœlo quis tulit huc Venerem
Praxitelis fecere manus, illustris olympus
Ater erit, terras si colet alma Venus.

Aliud.

Egregiam pulchræ Veneris formam adspice; dices
Laudo equidem sani judicium Paridis.

Aliud.

Marmoream adspiciens Venerem Venus: & tamen ausæ
Sunt certamen (ait) mecum iniisse duæ?

Aliud.

Te, Venus, ut Juno, & Pallas videre; querentes
De Paride, exclamant, immerito querimur.

De seipso.

Me sine Romulides Nymphæ duxere choreas;
Nam nescire choros ducere fassus eram.
Sed qui non duxi choreas, suspiria duxi,
Et quem non duxit tibia, duxit amor.

Ad Leuciam.

Quod dederim tibi canâ hyeme violasque, rosasque,
Res nova res mira est, Leucia, visa tibi.

Desine mirari; Latio violæque, rosæque
Sævæ etiam brumæ tempore proveniunt:
Res nova res mira est hac tempestate, virescunt
Quod tot in ore tuo lilia mista rosis.

Ad Gyrenem.

Ornatas auro geris aures, blanda Gyrene,
Pulchrior ante alias ut videare procis.
Improba, blanditiis præstas, auro allicis aurum,
Et componis opes artibus auriferis.
At nostrum allicias ne voce, & in auribus aurum,
Auribus obducam cerea claustra meis.

Ad Leuciam.

Leucia, scis quoties fuerint mihi prœlia tecum:
Pax quoties: & quam nos agitarit amor:
Sæpe fui victor, sum victus; sæpe dedisti
Et mihi sæpe manus, & tibi sæpe dedi.
Verum posthabitis cum me delegeris unum
Omnibus, æternum tu mihi Numen eris.

De Leucia.

Jane, coronatæ venêre ad templa Calendis
Et mea, & Æmilii cara puella tuis:
Tabuit extemplo quam fronte corona gerebat
Nævia, turpis erat cui coma, turpe caput:
Quâ vero cinxit sua tempora, pulchrior auro
Leucia, visa fuit flore nitere novo.
Leucia, tu viridi jucunda corona coronæ es:
Hinc vigor usque tuis perstat, honosque rosis.

De Lysæ gemmâ, dono data Aloysio Gonzaga.

Hæc ego crediderim formosæ lumina Lysæ?
An vulgo artificis munere facta putem?

Tam

Tam similes oculis oculi sunt illius istis,
  Quam nitidis cœli sidera sideribus.
Sic fulgere mihi sic arridere videntur;
  Talis inest illis gratia, tantus honos.
Ah fallor, sic uno ardent, sic torva tuentur,
  Tantus in his rigor est, tale supercilium,
Hi dominæ sunt veri oculi, nil verius ipsis:
  Ipsi adeo nec flent, me neque flere vident.
Quam bene de lapide hæc misit mihi lumina; cum sint
  Lumina & ipsa mihi dura magis lapide!

De eadem re.

Non aliter Perseus, postquam abscidit ora Medusæ,
  Major & in lato clarior orbe fuit:
Quam tu nunc, Gonzaga, geris qui lumina Lysæ,
  Quæ pulchrâ est ipsâ Gorgone pulchra magis:
Quin plus laudis habes: somno namque ille sepultæ
  Abstulit auxilio Palladis ense caput.
Hæc virtute tua, & præstanti pectore capta:
  Meque meosque oculos tu tibi, dixit, habe.

De Leuciâ.

Nox erat & mihi cum dominâ prope Tibridis undas,
  Rixa erat & terris lumina Luna dabat.
Quid facis exclamat Tibris pater? aspice Lunam,
  Pulchra magis Lunâ Leucia, stulte, tua est.

Ad Hieronymum Theodulum.

Quò malesane fugis, tendisque, Theodule? Româ
  Tempore quo sævus Sirius ardet abis?
Verte fugam, caræ linquas si mœnia Romæ,
  Non tua sollicitus pectora linquet amor:
Non, si etiam Gades, tua regna per tumida adibis
  Æquora, possessum deseret ille locum:
Quin serò quamvis redeuntem, fortius uret
  Improbus: & dicet, sic tibi turba levis?

I pete nunc Latium, & latebras, Amor, acer amono
In Latio, in latebris, & latet in latere,

Ad Leuciam.

Quâ nocte fulgent lucida sidera,
Et Luna vultu splendida candido
Terram, & plagas cœli serenat,
Leucia, Luna, meumque sidus,
Vobis voluptas non minima est, leves
Audire cantus, sub Jove frigido
Quos ore facundo usque amantes
Non sine dant fidibus canoris.
En profer altâ de speculâ caput,
Auresque pronas arrige; senties
Quæ pruriant, quæ sint faceto
Sparsa joco, & tenero lepôre.
Armatus ad te cum citharâ & lyrâ
Et barbito, & cum carminibus novis,
Me confero: Cissa invidebit:
Anna premet tacitum dolorem,
Quas comparari se tibi non pudet:
Eja Lycota, Lide, Dinotete,
Dum Leuciam cantô, huc adeste,
Vosque sonora movete plectra.

Ad eandem.

Mobilitas animi summa est tibi, Leucia, verum
Nobilitas formæ, Leucia, summa tibi est:
Dicam igitur, sed pace tuâ; te, Leucia, non est
Altera nobilior, altera mobilior.

De Leuciâ, ad Julium Landum.

Quid faciem, formamque meæ, laudesque puellæ,
Ut lepido celebrem carmine, Lande, mones?
Forsitàn invenies bene qui mortalia laudet,
Sed bene qui cantet Numina, nullus erit.

De

De Leucia ægrotante.

Febre laborabat mea Leucia, febris anhelam
Cogebat gelidi poſcere fontis aquas.
Has ego, ne miſeræ officerent, dare poſſe negavi,
Grataque ferventi pocula nulla dabam:
Sed lacrimis ſuffuſa genas cùm ſæpius amnes
Poſceret impatiens laſſa puella ſitis:
Hei flens ipſe: petis dixi quid fluminis undas?
Has bibe quas largo lumine do lacrimas.

De obitu Leuciæ.

Quem tumulum ſpectas humilem ne ſperne viator,
Exigui non eſt Numinis hic tumulus.
Huc ades, & manibus violas, & lilia plenis
Da tumulo, tumulis munera danda ſacris.
Hîc una integitur Charitum, ſi credere durum eſt;
Adſpice, namque duæ ſunt reliquæ in lacrimis.

De eodem.

Morte tua doleo tantum, mea Leucia, quantum
Non dolet ipſa parens, non dolet ipſa ſoror.
Namque parens natam deflet, germana ſororem:
Nata, ſororque mihi, tu mihi mater eras.

Aliud.

Quas tibi ſæpe fero inferias, quæ dona quotannis
Leucia, pallentes ſunt violæ & lacrimæ.
Delitiis violas ſpargo pro mollibus, & cùm
Reddere non poſſim gaudia, do lacrimas.

In Statuam Veneris dormientis. Ad Rodulphum Pium Carpenſ.

Aura veni, Venus alma dedit per membra quietem;
Dum Venerem ſomnus detinet, aura veni.
Ne ſine, quod Venerem præter quæ labitur unda,
Forte tuo currat murmure blanda magis.

Quin

Quin propera, flatus Veneris quæ spirat ab ore,
Plus tibi suavis erit; quam tuus aura Deæ

Aliud.

In te hominum quod tantus amor, Rodolphe, Deumq; est,
Non jam caussa latet; scimus: habes Venerem.

In effigiem Cypræ puellæ.

Ut Cypriam vidit pictam, nomenque tabellæ
Inscriptum, dixit Diva repente Venus:
Picturæ quid pictor opus fuit addere nomen?
Non mea me notum sola facit facies?

Aliud.

Quid tibi Mars mecum est? non sum Venus, adspice non sum:
Nomen ego, & formam tantum habeo Veneris.

De Himeri.

Intentata mihi via cum non ulla fuisset,
Qua possem dominæ vincere duritiem;
Nec precibus nec missa minis me dona juvarent:
Effudi lacrimas illius ante pedes.
Fregerunt lacrimæ duræ fera pectora Himeræ,
Et cessit lacrimis victa puella meis.
In solis igitur lacrimis spem ponite amantes:
In lacrimis ingens visque salusque latet.

De connubio Victoriæ Farnesiæ.

Quam Roma ante alias gaudet peperisse puellas,
Virgo datur regi, magne Metaure, tuo.
Romanumque tenet nomen Victoria, vincit
Quæ forma Venerem, Pallada consilio.
Ille igitur felix conjunx, Victoria semper
Cui favet, & semper quem Dea magna fovet.

Ad Himeram.

Ut surgens Aurora favet mortalibus ægris,
  Sic mihi fulsit amor primus, Himera, tuus:
Utque die torret medio Sol igneus orbem,
  Sic mea nunc sævus pectora torret amor:
Ut demum extinguit rapidos nox atra calores,
  Sic fera mors ignes auferet atra meos.

De discessu Liviæ ab urbe.

Quæritis unde cadant alieno tempore nimbi,
  Unde tot effusis Roma redundet aquis?
Livia discessit, collesque superba Quirini
  Liquit, amatorum cura nec ulla subit:
Hinc lacrimæ & luctus miserorum, & fletus amantum
  Demergunt toties Urbis utrumque forum.
Quin ego perpetuam timeo per sæcula noctem;
  Secum etenim currus Livia Solis habet.

De Pollace.

Immensas tolerare moras, Valleja virgo,
  Cum non posset amans, fugit ab urbe, tuus:
Verum ubi per nemora, & valles, & littora, & amnes
  Errantem numquam deseruisset amor:
Auræ, ait, ô vòlucres ferte hæc suspiria Romam,
  Et miserum in dura dicite valle mori.

De Himerâ.

Pectora nuda meæ postquam conspexit Himeræ
  Cum Junone Jovis vertice nata Dea:
Ne videamur, ait, Paridis sententia nota est,
  Vinci rursus, erit turpius opprobrium.

Ad Himeram.

Quacumque incedis passim pulcherrima, Himera,
In te oculos hominum vertis; & ora Deûm.
Ille hominum vero, & lætissimus ille Deorum est,
Tu semel in quo oculos figis Himera tuos.

De Liviâ Columnâ, oculis captâ.

Gestabat sine luce faces, fractasque sagittas,
Mœstus Amor: cur hoc? obvia mater ait:
Cui puer; alma parens, mihi cum de more libebat,
Urere mortales, urere Cœlicolas;
Unius ex oculis accendere utrasque solebam
Lampadas, & certâ tendere tela manu:
Nunc quoniam capta est oculis mea Livia, vis est
Ignibus, & calamis omnis adempta meis.

De eadem.

Ardentes animæ, quæ castra Erycina tenetis,
Lugete, & madidos imbre rigate sinus.
Quis teneat lacrimas? oculis nunc Livia capta est,
Queis homines, & queis ceperat illa Deos.

Ad eandem.

Ut nox nube cavâ texit tua lumina, ducens
Ex imo gemitum pectore, dixit Amor:
Sola meæ vires, mea gloria Livia pulchris
Pulchra oculis orba est, orbus & orbis erit.

De eadem.

Flebat Amor, stabatque Venus, lacrimasque ciebant;
Cum, quæ sit luctus causa Minerva rogat:
Tu quoque fle mecum soror, & vos flete Camœnæ,
Et cultæ Charites, aurea Cypris ait:

Quæ

Quæ nostrum decus in terris, quæ nostra manebat
Gloria, nunc capta est Livia luminibus.

Adhuc.

Ante alias formâ pulcherrima Livia Nymphas,
Ipsa est in terris insidiosa Venus:
Quod sit capta oculis caveat sibi quisque Cupido
Cæcus erat tantum, nunc quoque cæca Venus.

Ad Didacum.

Mos duci canibus cæcos per strata viarum est,
Cumque oculis nuper Livia capta foret:
Est data languenti Melitæa catella puellæ,
Omine quæ tristi tacta, repente refert:
Quam bene conveniunt nostræ tua munera vitæ,
Jam cane cæcæ opus est; Didace, grata canis.

Ad eamdem.

Ter tibi dum venas ferit, ægra Columna, Machaon,
Sanguinis & rivi fluminis instar eunt:
Quid facis exclamat vultu pallente Cupido?
Siste manum; non est Iphigenia, Dea est.

De luce ejusdem oculis restituta.

Læta erat ut sensit tua lumina mater Eoi
Memnonis obscurâ, Livia, nocte premi:
Non tulit invidiâ flagrantem Phœbus, ocellis
Non medicâ lucem reddidit arte tuis:
Atque ait: una diem mihi Livia nunciet, una
Qua sit iter, nostris Livia monstret equis.

Ad Amorem.

Improbe Amor, tu lucis egens orbasse putabas
Ipsam etiam matrem? falleris, ecce videt.

Ad

Ad Liviam Columnam.

Quidquid tibi, tuisque ocellis vidimus
Mali accidisse, ne Deorum aut aetheris
Irâ fuisse suspicari te velim,
Columna, nostri saeculi clarum decus.
Te curva Pronome, edentula, & procax male
Ventana vetula fascinavit, ut genas
Tuas, tuaeque frontis adspersit jubar,
Ipsaque formâ te anteire Naiades.
Quin saga, ut oculos habuit in suis tuos
Cœli quidem sideribus aureis pares,
Repente reddidit hebetes venefica.
Quod nube nunc abeunte, lumen lumina
Suum resumant, effici scito meâ
Prorsus opera, nam pessima ni fascinum
Horrenda ni mox destruet cantamina,
Interminatus cum securibus feris,
Fascesque, fustesque, horridamque sum necem
Hinc me daturum protinus te sospite
Pollicitus equidem aranda ad ejus viscera.
Suffarcinata sum pedale fascinum.
Scelesta turpi cum cachinno tussiens,
Erexit ad verba tremulum statim caput,
Et spem futurae lucis annuens dedit.

De Himera.

Spectatum innumeri adcurrunt decus oris Himerae,
Seu sacra templa subit, seu redit illa domum:
Hæc ovat, & curru fertur laudata superbo,
Nec me, nec magnos aestimat illa Deos:
Hei mihi, me perdit populi concursus; Himera,
Vive domi; & tu gens siste proterva pedem.

Ad Felicem Ursinum.

Quod formâ, quod ſis opibus, quod ſanguine felix,
Jure datum Felix hoc tibi nomen habes:
Jure etiam ante alios vir feliciſſimus ille eſt,
Cui fas felici conjuge poſſe frui.

De Himerâ.

Sive ſedet, ſive incedit, ſeu fatur Himera;
Quidquid agit, Veneres ſecum habet, & Charites.
Sed cum dat tremulos lætanti pectore riſus;
Ridet & alma Charis, ridet & alma Venus.

In laudem Jo: Bapt. Salviati.

Corporis egregii formam, vultuſque nitentis,
Ut videre decus, Diique Deæque tuum;
Exarſere omnes; calet hic, illa æſtuat; adſunt
Blanditiæ, dantur munera, fervet amor:
Felix Jane, potes tua ſi bona noſcere magnum eſt
Jus tibi; te poſcunt Numina, terra colit.

De eodem.

Atticus ille puer dulcis fuit ore venuſto;
Cujus in os liquidum mel vaga fudit apis;
Jane puer, puero longe tu dulcior illo es:
Sedula ab ore tuo mel ſibi ſumit apis.

Ad eumdem.

Ut vidit te, Jane, Venus, mirata leporem,
Et magis in roſeo quod nitet ore decus:
Quis puer hic, inquit, noſtrum qui præſtat Adonin?
Abſit Adonis; ades tu mihi, Adonis eris.

Aliud.

Ardebat te, Jane, Venus, sed amore Lupillæ
Audiit ut captum te Dea, tristis ait:
Tu victrix, tuus est Janus: tibi cedo Lupilla,
Romuleâ præstant semper in urbe lupæ.

Ad Liviam Columnam.

Spina pedem Veneri pupugit, tibi Livia dextram:
Effususque cruor tinxit uterque solum.
Ex albâ rubram ille rosam: tuus iste, Columna,
Purpurea e niveis lilia tacta facit.
Jure igitur tam tu Veneris me judice præstas,
Quam præstant pulchris lilia pulchra rosis.

De Himerâ.

Sole comas, ut sæpe solet, siccabat Himera,
Sol fulgore comæ tactus, & oris, ait:
Conde comas, averte oculos, pulcherrima Himera,
Spicula sunt oculi, retia torta comæ.

In nævum Himeræ.

Non procul a mento niveum pulcherrima Himera
Nævum habet, & pulchro nævus in ore decet,
Nec macula est, piceâ insignis nigredine nævus,
Sed lumen, tamquam sidus in arce Jovis:
Lucifer est igitur merito mihi nævus Himeræ:
Tuque Aurora mihi, tu mihi Himera Dea es.

In eundem.

Nescio quis de plebe hominum damnarat, Himera,
Quem pulchrum nævum vidit in ore tuum.
Irridens, salis esse nihil, nihil esse leporis
In facie nævo quæ caret, inquit amor.

De

De eadem.

Iste tuus quàm sit tibi nævus, Himera, decori,
Accipe: sponte sua nævus in ore tuo est:
Ut similem vero nævum ferat, omnis adurit
Igne sibi, & ferro culta puella genas:
Cumque labore gravi curant decus addere formæ:
Quæ specie vera non nitet, arte nitet.

Ad Himeram.

Quod vitio est aliis, tibi, candida Himera, decori,
In nævo Charis est, & Venus alma tuo.

Eidem.

Qui nævum mendam esse tuo contendit in ore,
Fallitur, & nævi nescit, Himera, decus.
Ipse tuo, cùm vult magnis dare vulnera Divis,
Quo latet, e nævo spicula torquet Amor.

De eadem.

Obvius in terris cùm sese ferret Himeræ
Blandus Amor, matrem credidit esse suam:
Cùm tamen e nævo quo matris forma carebat,
Non matrem, matri sed vidit esse parem:
Ore meæ, mœrens exclamat, Himera, parentis;
Nescio quid facies hæc tua majus habet.

Aliud.

Tarpeji sacra templa Jovis mea Himera petebat,
Illius e cœlo Cynthius ora videt.
Incessum & formam miratus, & ora puellæ,
Æstuat, atque novo carpitur igne Deus.
Palladaque & Venerem & Junonem convenit, utque his
Mortali ostendit, quod decus ore nitet,
Cedite, ait, facie, nævoque insignis Himeræ,
Cedite, tres superat pulchrior una Deas.

De Euphemiâ Jozola.

Dum movet insignis dulces Euphemia cantus,
Integrat & molli carmina culta sono;
Sistit equos Phœbus, medioque e vertice olympi,
Miratus liquidæ flumina vocis, ait:
Cedat olor, cedat philomela, huic cedite Musæ;
Vincit aves, vincit docta puella Deas.

Gauro.

Tres nati sunt, Gaure tibi; mas, femina, neutrum,
Gratulor; est soboles congrua Grammatico.

Tullo.

Numquam visa tibi nubit tibi, Tulle, puella,
Cui sub nube cavâ nupta datur, miser est.

Ad Paullum III. P. M.

Paulle moves justa hibernis dum mensibus arma,
Nascuntur molles læta per arva rosæ.
Quam cito victor eris, clarum dat Juppiter omen:
Cum tibi ver blandum floreat ante diem.

Ad eumdem.

Do tibi, Paulle, rosas alieno tempore natas;
Quo rigido spirat frigida bruma gelu.
Quam tua regna, pater, sint florida, noscere fas est;
Quando hyeme in mediâ dat tibi Roma rosas.

Lidya Eridano.

Eridane, ingenti rapidarum flumine aquarum,
Qui petis Hadriaci littora rauca maris;
Redde mihi Fabium incolumem, fluvioque secundo
Duc puerum: fidei creditus ille tuæ.

Cri-

Crimen majus erit Fabium cecidisse sub undis,
Quam Phaëtonta tuis occubisse vadis.
Hic placidus, rex magne; puer fuit ille protervus:
Nec tam pulcher erat, quam Fabius Phaëton.

De Margareta Austria.

Dicam equidem tibi, qui nescis, cur mane tenebræ,
Cur medio regnent lumina clara die.
Aurato invehitur curru, roseisque quadrigis
Austria, quæ magni Martis in urbe Dea est.
Invidet huic Aurora, latetque, pudetque videri;
Pulcher Apollo oculos pascit amore novo.

Liviæ Columnæ.

Quid gemis excisam, generosa Columna, catellam?
Desine: damna tibi non dabit ulla canis.
Quid tibi cum canibus? sat dira, & dura fuere
Fata tibi: rabidi sat nocuere canes.
Sume animum: te certa manet Venus aurea posthac,
Damnosæ postquam procubuere canes.

Paulo III. Pont. Max.

E Libiâ advenit Romanas victor ad arces
Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit, sed tu plus, Paulle, triumphas;
Victor namque tuis oscula dat pedibus.

In obitum Ascanii.

Non obiit puer Ascanius, sed ab alite raptus
Ille Jovis, miscet pocula grata Jovi.
Par Superis, non dignus erat tellure morari;
Sedibus æthereis, & Jove dignus erat.

De Margareta Austria.

Austria habet Veneris formam, mentemque Minervæ:
Non habet hæc, Juno, regna minora tuis.
Cede igitur; cedat Venus, & tu cede Minerva:
Austria sola, tribus quæ tria dantur, habet.

De Himera.

Sponte sua aurato nuper donavit Himera
Me calamo, & jussit scire, quid ille velit.
Aureus, & pulcher calamus quid poscat, Himera,
Scimus; & utemur, quam petit ille, manu.
Non ego describam hoc laudes regumque ducumque;
Describam laudes, aurea Himera, tuas.

Ad Mariam Mendociam.

Jure nites niveo, Mendocia, flore juventæ,
Perpetuoque vires tempore; namque Dea es.

De Hernando Cortesio.

Corniger Eoos devicit Bacchus ut Indos,
Jussa dedit victis, ut sibi thura darent.
Hernandus contra poni sibi noluit aras,
Altera ubi est armis India victa suis.
Est igitur Baccho major Cortesius, hic se
Noluit esse Deum: vi fuit ille Deus.

De Carpento Margaretæ Austriæ.

Invehitur Juno pavonibus; alma columbis
Cypria; verum aquilis Austria præpetibus.
Utque aquilæ cedit pavo, ceduntque columbæ,
Austria, sic cedunt Juno, Venusque tibi.

De eodem.

Axem aquilæ moderantur, equi capita alta ferentes
Temonem currus, Austria magna, tui,
Ergo cum libeat latis decurrere campis,
Cum libeat cursum tollere ad astra, tuum est.

De

De eodem.

Austria, qui teneros depinxit pictor Amores,
Et qui carpento florida serta tuo;
Stultus erat: nam tecum una vectantur Amores,
Erumpuntque rosæ quà, Dea, carpis iter.

De partu ejusdem.

Qua nurus Augusti natum gravis edidit hora,
In medio cœli vertice Phœbus erat:
Et subito adcurrit puerum studiosa videndi
Nascentem, placido cum Jove diva Venus.
Ille igitur felix, uno cui tempore, ab ortu
Certatim adfulgent Numina magna Deûm.

De eodem.

Cæsaris ut gravidâ natum nurus edidit alvo,
Emoritur, partus victa dolore sui.
Improba Mors! verum magnis sine funere matrum
Non datur in lucem surgere Cæsaribus.

De Octavio Farnesio.

Romanus Romanum habitum Farnesius heros
Sumpserat, & Trojam luserat acer equis.
Cum nitidum attollens undis caput amnis Iberus,
Romanos olim qui bene norat, ait:
Octavi, veterum vestemque, & nomen avorum
Non modo, verum animos, & benefacta refers.

De Lucretia.

Edita præclaro Lucretia sanguine, quondam
Vi temerata, suâ concidit usa manu.
Altera nunc humilis, turpique exorta parente,
Ut mœchum fugeret, tetra venena bibis.

Casta est utra magis? rapto cadit illa pudore;
Servato hæc statuit malle pudore mori.

De geminis Farnesiis.

Ut geminos genuit natos gravis Austria, Tibris
Adsurgens placido sic ait ore pater:
Roma olim auspiciis geminorum condita, terris
Jura dedit; victis vi tamen illa dedit.
Nunc vero auspiciis horum majoribus aucta,
Sponte suâ leges Orbis ab Urbe petet.

In obitum Victoriæ Columnæ.

Te licet innumeræ ornarint, Victoria, laudes,
Attamen ante alias clarior una fuit.
Talia condebas nam carmina, qualia condunt
Ad sacra Permessi flumina Pierides.
Quin Dea, Musarum mater, mirata leporem,
Hanc etiam, dixit, me peperisse velim.

In obitum Horatii Farnesii.

Occubuit dignis horrendus Horatius armis,
Belli fulmen erat; fulmine raptus obit.

In Victoriæ Columnæ partum.

Omnibus optatum votis Victoria natum
Tegmine sub magni roboris ediderat:
Cùm se se Hadriacis tollens Neptunus ab undis,
Sic canit ad ripas, flave Pisaure, tuas:
Felix ille puer, cujus Victoria mater,
Et tegit a cunis querna corona caput!

Ad Liviam Colonnam.

Spina tuam fuso violarat sanguine dextram,
Livia, cùm matrem te ratus, inquit Amor:

Quæ

Quæ cunctorum agitas spinosis pectora curis,
Læsit spina pedes, & tibi jure manus.

De Achille.

Impiger argenti pondus quod debet Achilles,
Sponte suâ nobis solvit, & ante diem.
Quid mihi cum magno, expertique timoris Achille,
Cum Larissæo quid mihi, Homere, tuo?
Partus adest alter fortem qui præstet Achillem:
Ille fuit pedibus nam celer, hic manibus.

De Pompejo ruri occiso.

Conjuge cum carâ Pompejus fugerat urbem,
Ducebatque suis otia lætus agris.
Sacrilegi irrumpunt aditus, ambosque trucidant;
Dum somnos placido carpit uterque thoro.
Dii Superi! quæ tuta bonis domus; acribus urbes
Si curis, ferro prædia nos perimunt?

TARQUINII FRANGIPANIS VENETI.

Adventans senectus.

JAm nix alba comas tegit,
Et rugas facies contrahit aspera:
Jam verba ore pigro hæsitant,
Cristalli auxilio luminaque indigent.
Jam aures tardiùs hauriunt
Emissæ sonitum vocis, & in dies
Sensus quilibet interit,
Annorum jam humeri pondere maximo
Curvantur: pedibus ferunt
Infirmis baculo subsidium manus,
Vires corporis aridi
Sensim deficiunt, & vigor igneus
Sic absumitur, ut brevi
Extinguar spatio: languida sicuti:
Lampas, cùm viridis liquor
Defecit, tremula luce caret statim.
Sed quid? Nunc pereat licet
Paulatim gelidis flamma sub artubus
Vitalis, tamen undique
Me sanctis adeo concremat ignibus
Divorum pater optimus,
Ut iam non homo sim, fervor at æstuans,
Ignis, flammaque torrida,
Alterque Ætna. Precor, te precor omnium

Re-

Rerum ingens opifex, dies
    Seu terras nitido lumine, ſeu nigro
Nox velamine conteget,
    Quod vitæ ſupereſt da igne tuo ardeam,
In quo purificer nitens
    Auro lucidior, ſæpius in levi
Quod flamma bonus artifex
    Excudens facili nobile opus manu
Atris ſordibus exuit:
    Ut, cùm mors rapidas intulerit manus,
Flammis è mediis velut
    Phœnix exoriens protinus explicem
Alas, & patrium cito
    Vectus remigio pervolem ad æthera.

LAURENTII FRIZOLII

In Lauret. ædem.

O Grata regi Cœlicolum domus,
  In Nazaræis condita finibus
 Quondam volucres te miniſtri
  Illyricas ſine labe ad oras
Vexere; terras rurſus & æquora
Supra ferentes, te placidum Adriæ
 Ad littus, in Laureti opacâ
  Innocuam poſuere ſilvâ.
Votivo ut auro, veſtibus ut ſacris,
Gemmiſque fulges! quæ te humilem ambitu
 Late tuetur ducta circum
  Marmoreo, ferit aſtra moles.
Sanctam potentum te Auſonidum piæ
Viſunt cohortes: te Rhodani accola,
 Tagique potor, te Liburni

Te

Te Armenii celebrant frequentes:
Audit precantes hinc propius Dei
Mater, periclisque eripit: hinc levat
Morbis laborantes, acerbi
Limine me quoque lethi ab atro
Raptum paternæ restituit preci.
Huc solve vinclis ingrediens pedes,
Huc tende palmas: huc inertes
Tende oculos: domus hæc patentis
Reginam olympi continuit sinu
Augusta parvo: hac nuntius explicans
Cœlestis alas fulsit: orbi
Attulit hæc misero salutem
Proles supremi numinis (ô stupor!)
Concepta in alvo virginis integræ.
Tunc munerum ubertas ab alto
Axe pluens humilem, brevemque
Ditavit aulam: Flaminis imbuit
Hanc aura sancti: filius hoc Dei
Plantis pavimentumque pressit,
Hos manibus tetigitque muros.
Quâ diva mater parte frequentius
Sedit? quo amarum flevit in angulo
Nati innocentis questa mortem?
Limite quo thalami è sepulchro
Natus resurgens constitit? ô ubi
Sopore lethi lumina condidit
Annosa virgo? intaminatum
Corpus ubi jacuit parentis?
Christi peractis quâ socii sacris
Duxere funus? sanctior an locus
Est hic, an ille? an omnia æque
Sancta putem, venererque sancta?
Impressa saxis quâ quibus oscula
Figam? quid o quid mentem agitat novam,
Quod corda numen pungit oestro
Æthereo? procul hinc profanæ
Abeste curæ: nil ego, nil amens

Mor-

Mortale posthac; immemor omnium,
Meique vos complexu in uno,
Nate, colam, genitrixque virgo.

In Nubes.

Neptuni genus humida
Nubes, quæ volucri curritis agmine,
Quæ cæci rapiunt Noti,
E vestro gremio, cum sonitu horrido
Mittit fulmina Juppiter,
Si quando in superos gens fera verticem
Tollit, si veteres manu
Lucos sacrilega polluit: hinc tonat
Arx cœli; hinc micat ignibus
Crebris: vos placidæ frugiferos agris
Imbres mittitis, & sata
Læta humore alitis. Vos sitientibus
Succos vitibus additis,
Mox libanda novis munera poculis.
Vos largas pluviæ nisi
Effundatis opes, gramina non humus,
Non flores dabit, arida:
Arescent viduæ frondibus arbores.
Vestri languida corpora
En desiderio, vix animas suo
Languentes retinent sinu.
Vos o pinifero vertice seu tenet
Atlas, seu Scythiæ latus,
Seu vasto Oceani luditis æquore.
Nunc ceu vellera candida,
Nunc sparsæ maculis corpora fumidis,
Fœtus imbriferos date,
Rores in gremium spargite torridæ
Matris, munera, roscidæ
Nubes, vestra Pio fundite maximo.
Quamquam gentibus imperat,
Non hæc vestra Pius munera negliget.

O tandem requiem date
Fessis irriguo rore animantibus.

In Aquam.

Quicumque divum magna læsit numina,
Aut patriæ ignes intulit;
Quicumque dirus impiam tinxit manum
Fratris cruore, aut hospitis;
Aquam venenis expiandus ebibat
Nocentiorem Colchius,
Quæ non ferendis pestis heu doloribus
Inflata torquet ilia,
Heu, quæ inquietis, qua pererrat spiritus,
Immurmurat præcordiis,
Ut horrido bacchantium Æoli in specu
Turbata ventorum cohors.
O Dii, supremis in malis si vestrum opem
Est ferre, si vixi integer
Unquam, innocensque, pestilentem cur meis
Hanc potionem a faucibus
Non in malas aufertis oras, tetraque
Non in Scytharum pocula?
Scyphos propinent hos in Alpium jugis
Inhospitales incolæ,
Ferrique fessor hæc Iberus apparet
Inempta mensis gaudia,
Facturus hac Erinnibus tristis caput,
Et spargat aras lugubres.
Hic nonus ægrum pura lecto flumina
Dies bibentem me tenet.
Jam spes, manusque. & ipsa languet in cavis
Amata ocellis pupula:
Torpetque lingua, nec valet diras preces
Ore imprecari libero.
Thebane vates, parce, parce; nunc scio,
Est unda rerum pessima.
Huic humidæ natura mater intulit
Cognata morti frigora

Hac

Hac alma tellus, hac putrescit aëris
  Morbos ferentis ambitus.
Hæc monstra gignit, seque in atram congelat
  Infesta Baccho grandinem.
Vires refringit, atque amoris igneas
  Extinguit ardentis faces.
Curas levantis hæc soporis eripit
  Fessis quietem mentibus.
Dicam? an silebo? pessima humanum genus,
  Ferasque, avesque perdidit,
Fluctu minaci cum super cacumina
  Ascendit alta montium.
Et quispiam medentium te prædicet
  Nostro salubrem corpori?
Seu Phœbus ille, seu sit Æsculapius,
  Impune non umquam ferat,
Sed te salubrem tussi anhela percitus
  Ad usque funus sorbeat,
Post insepultum, ne te amicam deserat,
  Tibrim cadaver innatet.

Ad Quercum.

O quondam mihi cognita
  Quercus, parva manu consita rustici
Damœtæ viridi in solo:
  Lascivum quoties a teneris pecus
Virgultis ego depuli?
  Te nunc per vacuum grandia brachia
Pandentem aspicio, tibi
  Ignotus; liquidum cernere quam juvat
Cœlum hoc! tegmine quam juvat
  Messem post decimam glandifero æstibus
Me defendere ab igneis;
  Et captare nigris frigora sub comis!
Quid suaves Ptolemeii
  Fratres, quercus, agunt, dic age? quid meus
Rerum dulcis eques gerit?
  Huic, si quando tui viset amabilem

Um-

Umbram, dic (rogo te) o mea
  Quercus; fronde sub hac, solibus, arida &
Exustus induit siti,
  Laurens ille tuus, qui puerilibus
Annis, auspicio tuo
  Hausit Castaliis pocula fontibus,
Qui tecum modo obambulans
  Sub celso Herculeæ vertice populi,
Qui in læta modo gramine
  Stratus, qua Eridanus præteriens fluit,
Et qua proxima semita
  Herboso ad celebrem tramite villulam
Tendit, se comitem tuo
  Addebat lateri semper, & Atticis
Chartis illita carmina,
  Cantabat: Latiæ sæpe lyræ aureas
Tecum una tetigit fides.
  Quis (dixit) referet dulcia tempora?
O quis purpureum genis
  Ætatis teneræ restituet decus?
Ævi cur celerem illius
  Cursum præcipitis sistere non datur?
Sat felix propriis recens
  Ætas illa opibus, tantum amat in sinu
Dulcis ludere Gratiæ:
  Pubentesque sequi Pieridum choros.
Illam non agitat lucri
  Detestata fames, non malus ambitus.
Mox, ceu Caucaseæ alites,
  Mordaces animos sollicitudines
Rimantur variæ, neque
  Nostris vivere nos arbitriis sinunt.
Hæc illi referes, mea
  O quercus; tua sic alta cacumina
Spissis ditet honoribus,
  Qui te dexter alit numine Juppiter,
Nec sit Chaonio in jugo
  Quercus, nec viridi pulchrior Algido.

In

In obitum Michaelis Sophiani.

In morem rapidi fluminis irruens
Gentes præcipiti Mors rapit impetu;
Sic est; nec Sophiano
Diras abstinuit manus.
Eheu terra parens ingeminat Chios:
Omnisque in lacrimas Græcia liquitur,
Et quicumque benigni
Grajorum ingeniis favent,
Qui Graiis Sophiæ Cecropiæ haud luto
Turbatos latices fontibus hauriunt,
Puros quique liquores
Actæi eloquii bibunt;
Qui Pindi peragrant umbriferum nemus,
Omnes interitu solliciti tuo
Te deflent Sophiane,
Te frustra exanimem vocant.
Vivis post obitum tu tamen, & tibi
Gaudes: nomen enim Mnemosyne tuum
Immutabilis ævi in
Templo consecrat aureo.

In Thomam Aldobrandinum.

Jam me, quod fateor, pocula vitreis
Juvit Castaliæ tingere fontibus,
Atque haurire liquores,
Vatum se quibus imbuunt
Mentes, atque furore intus amabili
Lymphantur, cupide carmina nunc lyra;
Hunc (quæ cuique voluptas)
Leni dicere tibia.
Formæ rerum animo mille volant, velut
Lauru examen apum frondifera: sonat
Blandis aura susurris,
Et mel Pierium fluit;

Aures

Aures suaviloqui quo sapientium
Vates dulce linunt. Hi celebres Deûm
Et laudes meditari
Audent, atque potentium
Altos regum apices tangere. Quem virum
Doctis musa beat carminibus, fugit
Ille oblivia Lethes,
Fama vectus ad æthera.
Vates ipse etiam vivit, & omnium
Linguis pervolitat, qua vaga sidera
Fulgent, qua exoritur Sol,
Præceps qua Oceano cadit.
Huc vitæ innumeros dulcis amor rapit:
Paucos Melpomene sed recipit sinu,
Pauci, quos Dea felix
Tantis auget honoribus.
Arrisit puero Musa Jovis genus,
Thoma, mox alio lumina contulit;
Et rivos mihi clausit
Parnassi, & gelidum nemus.
Non me falsa juvat fingere: sat scio
Ex illo numeros tempore durius
Defluxisse canenti,
Et vocem liquidam minus.
Expertus doleo; sæpe etenim mihi
Te, Etruscumque genus dicere mens fuit,
Qualis sit tua virtus,
Quam sis eloquio potens.
Tu puros latices fontibus Atticis
Hauris; tu ingenuas doctus in intimo
Artes pectore condis,
Teque ornat patrium decus.
Musarum hæc quoties tollere flamine
Cœpi! sed vetuit Melpomene, levi &
Sensim diva volatu
Mollem misit inertiam.
Invita quis amet linquere humum Dea?
Ales fulva Jovis nubila transvolat;

Cor-

Cornix vix movet alas,
Et radit pedibus solum.

In necem Francisci Ghisii Ducis.

Quo nos ferrea sæcula
Servastis miseros? quæ dabitur quies
Fessis? quo satiabitur
Tandem supplicio mens superum gravi?
Inclementia siderum
Ecquando meritis mittere desinet
Terris diluviem, vago
Urbes præcipites quæ rapit impetu;
Ædes diruit & sacras,
Divumque effigies, & cineres pios
Vasto gurgite dissipat?
Heu crudele nefas, heu scelus impium!
Cladi Mars comes additur,
Diris qui populos seditionibus
Miscet, & miserabilem
Involvit vario funere Galliam:
Et nunc exitialibus
Incensus furiis, perdere Regiam
Mœstam cogitat, & genus
Regale e patriis pellere sedibus.
Extincto duce Ghisio;
Unus pro patria qui opposuit feris
Pectus fortiter hostibus:
Unus consilio, quique manu agmina
Forti barbara diruit:
Qui rem restituit, sanguine regium
Hostili redimens decus.
O si ingentem animam victor in horrida
Fudisses acie, neque
Oppressus subitis oppeteres dolis,
Majorem tumulo ducem
Non texisset ager Laomedontius,
Aut pingue Æmathiæ solum.
Sed non fata sinunt quærere gloriam

Mortales superis parem.
Tu felix satis es, qui recipis tuæ
Mortis præmia in arduo
Cum consanguineis regibus æthere:
Quos dulci a patria procul
In campos Solymûm, Christi amor impulit,
Agmen trans mare ducere,
Bellantesque mori; scilicet hoc fuit
Genti præcipuum tuæ,
Pro Christo impavidum, proque focis caput
Objectare periculis,
Et per pulchra necem quærere vulnera.
Quid restat tibi Gallia?
Quis te relligio sancta tuebitur,
Custos si tuus occidit?
Nunc in templa faces lætitiæ ebrius
Hostis barbarus inferet:
Nunc matres jugulans cum pueris, pia
Aras sanguine polluet
Extincto sceleris vindice Ghisio.
Dii tandem miserescite;
Pœnarum satis est, quod dedimus; satis
Fudit Gallia sanguinis.
Quod si culpa latens illam agit, aut furor
Exercet miseram impius,
Ah saltem immerito parcite Carolo.

P. U-

PUBLII FULVII

De Victoriâ Naupacticâ.

HUmani generis rector servator, & auctor
  Christe potens, canimus dum tua dona, fave.
Austriacâ dux gente satus, quo fratre Philippus
  Rex gaudet, Grajo victor ab orbe redit.
Mœoniâ res digna tubâ, geniove Maronis
  Compositos tenui perferet arte modos.
Inter Achæorum terras, & Echinadas, amnis
  Eveni Nereus excipit altus aquas.
Huc classes coïere pares non viribus æquis:
  Frangit, & attollit pectora caussa ducum.
Altera tercentum rostris, turmisque tumebat
  Innumeris, fidens robore Marte, Noto.
Altera freta piis armis, votisque secundis,
  Cœlestique potens alta secabat ope.
Jam propè constiterant acies, atque obvia signis
  Signa minabantur, perfida Luna Cruci.
Parte Ligur dextrâ ductor, lævaque regebat
  Adriacus lectis agmina densa viris.
Regius ast hëros accendens voce cohortes,
  Et classem lustrans, Carolus alter erat:
Postquàm aciem redit ad mediam, dominamq; carinam
  Concinere extemplo classica sæva jubet.
Tartareos imitata sonos dant tympana signum,
  Et rauco clangens increpat ære tuba.
Hic spes arrectæ feriunt clamoribus astra,
  Displosisque globis æthra fragore tonat.

 Spu-

Spumant convulsæ remis stridentibus undæ;
  Concurrunt celeres per vada salsa rates.
In ferrum sine more ruunt, & cominus instant:
  Martius & cuneos miscet utrosque furor.
Ære micant fluctus, fumo subtexitur aër:
  Ingentem referunt littora pulsa sonum.
Jam laxos arcus, pharetras jam sentit inanes
  Barbarus; & jaculis, glandibus, ense perit.
Hostiles cecidere duces, cecidere phalanges;
  Captaque victrici Turcica rostra manu.
Nereidas stupuisse ferunt tot stragis acervos,
  Et tantâ Jonios cæde rubere sinus.
Miratusque pater Nereus, fluitantia vasto
  Gurgite cum vidit corpora, & arma virum;
Invisum pondus siccis projecit arenis,
  Lætatusque sua est regna vacare metu.
Quin ausis etiam ducis, & felicibus orsis
  Arridens, tales edidit ore sonos:
I nunc Turca nocens; oras populare; quietas
  Irrita gentes; frange Tyranne fidem.
Instaura classes armisque, virisque superbas;
  Præda Aquilæ rursus, præda Leonis eris.
Instructis latos campos legionibus imple;
  Magnanimi vires experiere ducis.
Excierat nuper quem Bætica terra, tumultum
  Compressit quanta prosperitate puer?
Acer & ingenio, ferus & certamine Maurus
  Contulit adverso signa nefanda Deo.
Tu quoque terrarum, & pelagi prædator, & hostis
  Impius infenso Numine bella geres.
Hæc ait, atque oculis puppes comitatur ovantes;
  Imperat & Nymphis concelebrare diem.
Lætitiæ nunc ergo novæ dant æquora motus,
  Quæ prius infestas sustinuere rates.
Spectator pugnæ majori lumine lustrat
  Cynthius Hesperias, exhilaratque polum.
Culmina collucent lætis, & compita flammis:
  Alta coronatis turribus æra sonant.

Ful-

Fulmina congeminant arces, tremit arduus æther;
Lætifico plausu tecta, viæque fremunt.
Casta sacerdotum imprimis manus, omnis & ordo
Mollibus assuetum prosiluere thoris.
Sacra urbis delubra adeunt, gratesque per aras
Votaque persolvunt, & pia dona ferunt.
Cunctorum est vox una; Deus, qui temperat orbem,
Non surda justas accipit aure preces.
Hunc tandem afflictis juvenem succurrere rebus,
Ultorem & fratris nominis esse sui.
Prœlia consilium testantur prima Tonantis,
Prœlia palmatæ digna decore togæ.
Quanta gerendarum fuit hæc primordia rerum?
Maxima vis pueri est, quanta futura viri?
Carolus ipse pater modo si reddatur ab alto,
Gratetur nati gloriæ, an invideat?
Perge igitur, cœptum, dux inclite, perfice munus,
Quodque fidem superet posteritatis, opus.
Te Deus ad majora vocat, ne sperne vocantem.
Ille tuo subdet colla superba jugo.
Te Pœni, Thracesque timent, & Isaurica tellus;
Pontica gens horret te, Gnidos, Hermus, Halys.
Te sanctis Judæa locis, te fertilis agris
Syria, & Armeniæ regna vetusta manent.
Te vocat Epirus, cupiunt Pharsalia Tempe;
Te Macedum fines, te Danuumque volunt.
Te vagus Eridanus, Tuscus te Tibris honorat,
Te Tagus observat, Bætis, Iberus, Ana.
Te Messana libens fruitur, te læta tuetur
Trinacria, & Rhenus te colit, Ister amat.
Austriaci generis lux, Regiæ cura potentis,
Es patriæ vindex, Urbis, & Orbis amor.
Æternis mandent vates tua nomina chartis;
Prætereat laudes pagina nulla tuas.
Regales niveo spirent in marmore vultus;
Effingatque novo te novus ære Myron.
Jamque dies aderit Superûm sperata favore,
Cum reducem videat post pia bella Pius.

Roma triumphales arcus, ludosque novabit;
Eriget & mediis pegmata celsa foris.
Atque ades extremis optatus, dicet, ab aris:
Non minor Augustus quam pater ante, venis
Ingredere o felix, Pie, Maxime, Victor; honoris
Nomina sunt meritis inferiora tuis.
Tunc ope barbarico, spoliisque insignis Eois,
Et procerum medius conspiciendus eris.
Cernentur vinctique duces, gentesque subactæ,
Oppidaque, & variis rapta trophæa plagis.
Insolita admirans Tiberis spectacula; credet
Sæcula cum ducibus prisca redire suis.
Vectu, laurigero ad Divum tunc limina curru,
Suspendes pictis hostica signa tholis.
Inde Pius pater accipiet te fronte serenâ;
Et dabit amplectens oscula blanda senex:
Luminaque, ac geminas tendens ad sidera palmas,
Cœlitibus gratas fundet ab ore preces,
Hic magnis majora tuis accedere factis,
Teque frui gestis tempora longa, petet.
Audiet has Christus voces, & vota precantis;
Audiet; & vates sic ego verus ero.

De eadem.

Cum lento nuper Leo forte sopore jaceret,
Extrema huic cauda est dente resecta Canis.
Evigilans fera terribiles exardet in iras,
Et lacerat sævo protinus ore Canem.
I nunc audaci, Canis improbe, dente Leonem
Irrita, ut fias nobilis esca feræ.

In Claram Corneliam.

Cum generi, pariterque trium Cornelia clara
Natorum audisset funera pro patria:
Quid lamenter? ait constanti pectore mater:
Et cœlo, & patriæ me genuisse juvat.

In-

Invideam potius natis, qui sanguine vitam
Æternam in superis promeruere choris.
O Venetas inter clarissima femina matres,
Invictos animi robore vincis avos.
Ergo polo tua te virtus jam clarior astris
Destinat, ut natis digna firmare parens.

In Augustinum Barbadicum.

Et meritis gravior dum Barbadicus, & annis
Turcica navali prœlia Marte gerit:
Dumque pharetratas acies, puppesque nefandas
Urget, & Jonias cæde colorat aquas;
Threicia lævum transfixus arundine lumen;
Et properante necem vulnere, lætus ait.
Æquo animo terris jam cedimus, otia quando
Ausoniæ nostro parta cruore domus.
Quamque brevi natura parat finire senectam,
Exigat hanc patriæ relligionis amor.
Dixit; & æthereum penetravit spiritus aulam,
Summaque virtutis præmia victor habet.
Huic ergo geminam peperit cum funere vitam,
Eminus hostili missa sagitta manu.
Namque animus cœlo fruitur, semperque triumphat;
Nominis in terris fama perennis erit.

De Fœdere in Turcas.

Finge novos, Pie Quinte, orbes: nam fœdere junctis
Unum jam ducibus vix satis esse puto.
Tu quoque, Turca, novas artes extunde, vel arma.
Quid pharetra? aut arcus? quidve machæra juvat?

ANDREÆ FULVII

Ad LEONEM X. Pont. Max.

Interlocutores Pyramus, & Corydon Pastores disputantes de ortu Servatoris; mox certiores facti per Angelum eadem hora, qua natus est.

Pyr. NEscio quid Cœlum, intempesta nocte minatur?
Ecce coruscantes video sub luce serena
Intonuisse polos, nec non & ovilia circum
Pervigiles latrasse canes. Eja ocyus, eja
Surgite, pastores, quid dormitatis inertes?
Sed quid te Corydon tecum garrire jacentem
Præsensi? & tacitæ stertentem somnia noctis?
Cor. En ubi sunt? Quis oves latronum incursus abegit?
Vidi ego tela, faces, Arabum nocturnaque furta,
Præterea sensisse sonos, & carmina visum est
Æthere sublimi (grato dum pressa sopore
Membra solo recubant) resonare recentibus hymnis;
Illuxisse diem tam clara luce putabam.
Nunc certe [nisi fallor] adest, quod sæpius ante
Barbaros memorare senes audivimus, ævum.
Nox ut clara dies nitida cum luce micabit;
Aureus orbis erit; saturnia sæcla redibunt,
Mellaque de quercu stillabunt, balsama pinu,
Nectar & ambrosiam tellus feret omnis ubique
Lacte, meroque novi fontes, & flumina current.
Pyr. Jam tandem memini, si rite audita recordor,
Hoc etiam Hebræos quondam prædicere vates

Pecto-

Pectore fatidico, divinoque ore locutos,
Quippe Deum & regem venturum ex æthere summo
Stirpe prophetarum genitum, summumq; prophetam,
Quo duce, quo domino totus renovabitur orbis,
Quem pater ille Jacob generis clarissimus auctor,
Judææque parens sobolis fæcundior, inquit,
Desinet haud sceptrum, nec dux de semine Judæ,
Donec jam veniat, qui demittendus olympo est
Gentibus, & populo nimis expectatus Hebræo.
Cor. Nonne fuit custos ovium dux inclitus ille,
Quem colimus, Moses, latorem legis Hebrææ?
Ex ardente rubo cœli qui numina vidit,
Ex quo illi quondam (pecore admirante) locutus
Clara luce Deus, tonitru qui concutit orbem,
Cui dedit & binas supremo in monte tabellas
Marmoreas, soceri pecudes dum pasceret olim;
Qui pastorali virga Pharaonis inanis
Postravit vires, & regis numina vicit.
Quem post devictum submersit in æquore rubro
Nos insectantem, magna comitante caterva
In deserta Arabum deductis, roreque pastis
Æthereo, tandem nobis sitientibus, ingens
Uberibus fœcundus aquis fons marmore fluxit,
Et baculi tactu, per quem prius æquor apertum est,
Nos, unde huc Mosis successor duxit, & ultra
Jordanem vitreum trajecit, & omnia nobis
Hæc tam culta dedit liquidis cum fontibus arva,
Ejectis priscis, qui possedere, colonis.
Pyr. Hoc itidem rex ille David cytharædus, & ingens
Vates psallebat, cui vox demissa per auras:
Sin ex te geniti (dicens) tua postera proles,
Quæ præcepta dedi, servabunt rite sequentes,
Sede super, solioque tuo de germine cretos
Constituam, firmans, quæ dixerat omnia, nutu,
Quo mare concutitur, cœlumque, & terra tremiscunt
Pastor & ille ovium puer ad regalia raptus
Sceptra, Philisteum qui fundæ cæde Goliam
Et puer armatum stravit (res mira,) gigantem.

Cu-

Cujus enim torvum caput e cervice revulsum
Rettulit, exultans Hebræa in castra, fugatis
Hostibus, & patriam solus servavit inermis.
Quid sapiens Salomon non vaticinatus? & omnes,
Post ipsum vates, post quos Baptista supremus
Sylvarum cultor, sanctissimus indice vates,
Aurea venturi prædixit sæcula regis?
Quin & fatidicæ pariter cecinere Sybillæ
Assertorem orbis nasci de virgine Hebræa,
Regem magnanimum, cœlesti semine cretum.
Urbe hac in nostra, divina ut scripta fatentur;
Paupere sub tecto, modico lare, paupere matre
Vagitus primos fæno præsepis agentem.
Cor. Dic mihi, cur ovium potius custodibus adsunt
Numina? cur istis apparent sæpius oris?
Pyr. His quoniam terris quondam & præpinguibus arvis
Consedisse ajunt auctorem sanguinis Abram,
Ac nostri generis, patria Babylone relicta.
Cui numen Cœli (ut perhibent) apparuit olim;
Et sub glandiferæ frondentibus Ilicis umbris;
Omnes ille tuo, dicens, in semine gentes
Optatam accipient post sæcula longa salutem.
Tempora post aliquot jubet illi in vertice montis
Sacra sibi offerri cari de sanguine nati;
Pro quo tunc aries, mutata sorte, litatus
De grege non alio quam ovium, nam victima grata
Hæc superis, qui nos, & oves, & septa tuentur.
Sed quid adhuc dubitas pastorum incredula turba;
Nonne omnes uno ore Deum cecinere prophetæ
Venturum in terram, & de virgine paupere nasci?
Afferre in medium possem nunc plurima vatum
Dicta, sed hoc tantum referam de pluribus unum.
Regia concipiet cœlesti semine virgo,
Et pariet Cœli regem, mirabile dictu.
Qui rex Emmanuel, magnusque vocabitur; & qui
Butyron, & mellis comedet rorem, ut sciat apte
Et reprobare malum, bona quæ sunt eligere. Ecquis
Illius egregium genus enarrabit? & ecce

Lux

Lux iterum radians nos circumfulget, ut ante:
Audis? mellifluis concentibus æthera totum
Jam resonare audis, ubi Gloria dulcibus hymnis,
Gloria summa Deo canitur, discrimine vocum
Magnum aliquid terris resonans portendit olympus;
Accidit ut quondam (quem dicunt vivere) vati,
Qui candente fuit sublatus in æthera curru.
Ang. Surgite pastores, vigilem deducite noctem
Hanc, & vestra novos moduletur fistula cantus.
Nuncius e cœlo veniens, nova gaudia vobis
Nuncio, nunc natum regem de virgine matre
Infantem, positum modico præsepis in antro.
Ite videte Deum Cœli, terræque potentem;
Et quæ vidistis, pastoribus inde referte
Omnia vos aliis, per rura, per antra, per agros,
Perque Palestinos saltus, Hiericusiaque arva,
Et per Idumeæ palmeta virentia terræ,
Per juga Carmeli, Jordanem, & flumen Adonis.
Pyr. Ergo agite, & Betleem jam jam properemus in urbe,
Acceleremus iter, pecori custode relicto;
Mystica cernamus pueri mysteria nati.
Quisque genuflexo jam se prosternat adorans
Supplex, pronus humi fundens pia vota, precesque
Cor. & Alme puer, rerumque decus, divinaque proles,
Pyr. Rex, & venturi speciosi pastor ovilis
Dexter ades nobis, ovibusque & fœtibus adsis;
Crescat ut in magnum numerum pecus omne, piique
Pastores gregis incolumes serventur; & agri
Gramine perpetuo, saltusque & rura virescant.
Ipsa, quibus versamus oves, sint flumina pura,
Et vitreis niteant, currantque salubribus undis.
Mox te provectum, cum jam maturior ætas
Viderit; ista tuas cantabit fistula laudes.

Ad Libellum.

Vade salutatum telluris, & ætheris ingens
Numen, deposito, parve libelle, metu.

Et

Et domino rerum me commendare memento,
Qui Codros, Flaccos, Virgiliosque facit.

Sanctissimo Patri Leoni X. Pont. Max. Panegyricus.

Salve, dive Pater, cœlestis janitor aulæ,
Maxime Pontificum: rerum cui summa potestas
Clavibus æthereis, & numine dives olympi;
Mente relaxata placidas da laudibus aures
Quæso tuis; adsisque mihi tua gesta canenti,
Nulla licet tantis sit laudibus æqua Poësis.
Suscipe me placido, quo pectore suscipis omnes.
Sunt tibi cum summo communia regna tonante,
Namque tibi cœlum, tellus, & Tartara parent,
Unde triplex capiti diadematis ordo coruscat;
Unica lux terris, velut inter sidera Phœbus.
Dux, via, præsidium, portusque ad limina vitæ:
Sydus Amyclæum sulcantibus æquora nautis;
Romuleæ princeps, & Præsul maximus Urbis.
Patria quem genuit Tyrrhenæ gloria gentis;
Ingenio pollens, & acumine Dædala rerum,
Unde genus clarum, generosaque sanguine Tusco.
Regia progenies tua, clementissime Præsul.
Clarus avis, atavis, clarisque parentibus ortus;
Stemmate præclaro Medices e gente vetusta
Quid referam castos vitæ sine crimine mores?
Ingeniumque capax divinæ mentis, & altæ?
Relligione Numam superas, gravitate Catonem:
Justus Aristides, & clementissimus alter
Cæsar; munificus veluti Cornelius alter
Sulla: pares animos superis bonitate, fideque
Ac probitate geris; nulli pietate secundus.
Quid gravis eloquii, & Musarum munera narrem?
Virtutesque alias, quæ te ad sublima rerum
Culmina vexerunt, & claves ætheris alti?
Tu siquidem Angelicus divino numine Pastor
Promissus toties, nuper demissus olympo.

Per

Per quem subjectis, renovantur secula, probris;
Per quem triticeas glandes mutantur in escas.
Per te, summe Parens, Ecclesia sancta resurgit,
Justitiæ, pacisque decus; fœcundaque rerum
Copia, & æterno concordia regna tenore.
Cum Deus omnipotens ubi nam sibi ponere posset,
Prospiceret sedem in terris post astra secundam,
Huc illuc vertens oculos, defixus in unam,
Hanc tandem elegit fœcundam fascibus urbem.
Sed regna auspiciis, sacrisque addicta Deorum,
Hisque repurgandis sanctorum sanguine fuso,
Pontifices summos Romana in sede locavit;
Qui jam bis centum viginti quinque fuerunt,
Pontifice a summo, primoque antistite Petro,
Sedis Apostolicæ primus qui munere functus;
Inter quos merito ascitus, Sanctissime Præsul,
Nuper Apostolica Petri jam sede vacante,
Quæritur interea quis tantæ pondera molis
Sustineat residens inter collegia patrum;
Cum discussa tibi patrum suffragia cedunt,
Citra omnes, quas blanda fovet largitio fraudes
Electus, cœlique bonis divinitus astris;
Inde coronatus, magna spectante caterva;
Plausibus altisonis Roma geminante Leonem.
Quod delegisti nomen, tibi convenit apte;
Nam leo magnanimus, sollers, astutus, & acer,
Supplicibus clemens, pravisque acerrimus hostis.
Mox Lateranensem de more profectus ad ædem
More triumphantis pompa comitatus opima
Heroum, & magno, qui convenit, ordine rerum,
Hinc atque inde hominum cuneis astantibus amplis.
Argentum passim per compita fundis, & aurum,
Ut cicer ædiles, & densa tragemata quondam,
Grata theatrali spargebant munera turbæ.
Qualem te gentes exoptavere futurum
Pacis amatorem; talem te compote voto
Rex superum terris demisit ab æthere summo.
Parta quies orbi; nunc aurea conditur ætas.

Mars

Mars silet, & positis belli Tritonia signis
Exercet calamos, sopitaque tempore longo
Excitat ingenia ad certamina docta sororum.
Grata repromittens Augusti tempora, & illas
Mœcenatis opes, & præmia vatibus ampla,
Principe jam rerum frenos moderante Leone.
Unde triumphales titulis insignibus arcus
Tot tibi præclari Musarum munere surgunt;
Atque poëtarum resonantia carmina passim.
Subdita regna tibi cum regibus omnia mundi,
Dive Leo, ut forti bruta inferiora leoni.
Jamque Oratores aderunt tibi dona ferentes
Undique, ut Augusto quondam Garamantes, & Indi;
Grata tuis pedibus figentes oscula sacris.
Servitiique jugum placida cervice gerentes.
Ipse quibus gratis graviora tributa remittis,
Ære levans inopes, & paupertate gravatos:
Omne fugaturus bellum a cervicibus Urbis,
Barbaricasque acies, æterna pace per orbem
Jam parta, clausoque intra sua limina Jano.

Ejusdem Endecasyllabon.

Latrator Cynicus, tumens Palæmon,
Nasutissimus omnis hinc abesto.
Adsit, Dive, tua aura; fluctuantem
Vastum per mare dirigens carinam;
Urbis relliquias vetustiores
Novis dum volo suscitare chartis:
Et delere situm, & graves ruinas.
Sed quis tam bona, si qua sunt, probabit?
Quantum detrahet invidus silendo?
Est nam difficile omnibus placere.

Ad Leonem X. Pont. Max. de Antiquitatibus Urbis Libellus.

Qui modo Romuleos colitis pia numina colles,
Urbis opes veteres, & res mihi pandite priscas.

Et

Et quis in antiquo Latio regnaverit ante?
Et reges urbem qui fundavere vetustam?
Sed quia difficile est adeo confusa ruinis
Scire loca, & signis vestigia nosse locorum,
His permixta magis placuit sacra templa notare,
Quam quæ sæpe suos dominos confinia mutant.
Primus Dictæis venit Saturnus ab oris,
Et vetus incoluit Latium tutissimus exul
Falcifer, hospitio susceptus ab hospite Jano;
Multa rudes populos docuit; Deus unde putatus,
Sæcula constituit felicibus aurea regnis,
A quo jam pridem Saturnia nomine tellus;
Et mons Tarpejus dictus Saturnius ante.
Mox e Parrhasiis venit Tegeaticus oris
Evander, matris monitis, & Apollinis actus:
Atque Palatinum montem rex occupat; hospes
Herculis invicti, cui maxima conditur ara
Ob bene res gestas. Post quem Citherejus heros
Venit, quem contra Rutulos in fœdera junxit,
Quorum jam victor Latia tellure potitur,
Unde genus vetus Albanorum, & regia proles.
Romulus unde satus, Romanæ conditor urbis;
Quam post augurium curvo designat aratro;
Atque bonis avibus quadrangula mœnia condit,
Cui Garmentalis, Mugoniaque addita porta est,
Et Pandana urbi fossis, atque aggere cinctæ.
Romulus hanc posuit primæ lanuginis annis,
Cœlicolum auspiciis, illorumque omine fausto
In regione poli, quo justæ sidera libræ
Flava verecundæ contingunt virginis ora,
Mense Cytheriaco, bisdena atque altera surgens,
Cornua dum lustrat Tauri Titania lampas
Luce sacra positam, sacrisque Palilibus urbem.
Romulus ipse suo dixit de nomine Romam,
Armisonoque patri, quo vinceret auspice, sacram.
Roma decus rerum, superis gratissima sedes,
Magna Deum genitrix, veluti Berecynthia quondam
Fertur multiplici partu fœcunda suorum

San-

Sanguinis Iliaci vetus, & generosa propago:
Regia Dîs genita ad summarum culmina rerum,
Primaque terrarum; caput orbis, alumnaque morum:
Jus bene vivendi, normamque datura beata,
Omnibus ac rebus pollens; rerumque magistra:
Humanas supra vires ad sidera culmen
Justitia extollens, pietate insignis, & armis;
Militia, patriaque toga, densisque trophæis,
Eloquioque potens, & Palladis artibus ingens:
Relligione Deum, & divino numine pollens:
Consiliis animus liberrimus, atque voluntas:
Imperiumque foris justum, pietasque subactis:
Intemerata fides; & gloria parta triumphis.
Ipsa quibus totum superavit moribus orbem.
Nam si quæratur, Roma una est prima, caputque
Terrarum, cœlique vices sortita potentes:
Imperium sine fine datum, sine fine futurum.
Jus tantum sceptri mutatum sæpius Urbis,
Quæ fuit, est, & erit semper celeberrima rerum,
Nunc ubi divina fundata Ecclesia nutu,
Majestatis adhuc retinet vestigia priscæ;
Summi ubi Pontifices, Romanaque curia florent,
Divini cultus præcepta datura per orbem.
Cui clarum, semperque nitens per sæcula nomen:
Summa ubi regnorum, rerumque æterna potestas;
Omnibus in terris Romana potentia fulgens,
Delitiis, opibus, gemmis prædives, & auro,
Dives agris, nemorumque jugis, & saltibus amplis:
Cum Cerere, & Baccho certans uberrima nutrix:
Terra boum, pecorisque ferax, & graminis alti
Ubertate virens, & aquarum uligine pinguis:
Et rerum, quas fundit humus diversa sub astris.
Sed pia virtutum genitrix, & alumna virorum,
Quos claros gignit, peregrinisve allicit oris.
Qua populis mores, leges, & jura ministrans,
Qua patet undanti pelago circumflua Tethys,
Prætulit imperium terris, & nomen olympo.
Romulus Iliades, superum Mavortia proles,

Edu-

Eductus nutrice lupa, & pastoribus infans:
Cognitus inde, prior Romanam condidit urbem;
His ubi nutritus Tyberinis saltibus ante:
Rex inde augurio factus, trabeaque decorus,
Corpus militibus stipat, sellaque curuli
Usus; & ipse suis (non aspernatus euntes)
Jura dedit populis. primus quam condidit urbem
Incoluit; profugisque sacrum patefecit asylum.
Cum sibi rex prudens connubia deesse videret,
Finitimas ergo legatos mittit ad urbes.
Cumque negarentur; ludos de nomine Consi
Sacra Dei simulat certamina compote voto,
Virginibus raptis, fera bella exorta, Sabinis.
Stravit & Acronem regem rex Romulus, unde
Prima Jovi spolia insignitus opima Feretro
Retrulit; hinc Tatio renovantur prœlia rege,
Virgine Tarpeja turmas ducente Sabinas,
In Capitolinam spe pacti pignoris arcem
Pugnatur; venit in medium, bellumque diremit
Turba Sabinarum perculso fœdere, pacem
Conciliant; centumque patres de plebe creantur,
Hique Senatores dicti, mixtique Quirites.
Regnatur paribus sceptris cum forte recenset
Romulus ipse aciem, orta tempestate, repente
Raptus, apud Capream, nec visus deinde, paludem,
Conspectu e medio tenues migravit in auras.
Indigitem hunc dixere Deum, Cœloque relatum
Inter Cœlicolas, Proculo testante, Quirinum.
Quæsivere diu patres de rege creando,
Martia corda virum qui tum revocaret ab armis
Divinum ad cultum, regis post fata Quirini.
Jam tandem curibus parvis accitus in urbem,
Lectus & augurio, ceu Romulus ante, creatur
Rex Numa Pompilius, longo qui marte feroces
Relligione domans animos, ad sacra relegit,
Namque is Pythagoræ callebat dicta magistri.
Inde sacerdotum collegia, templaque condit,
Intentusque sacris, divæ penetralia Vestæ,

Vestalesque creat sacras, primusque dialem,
Atque Quirinalem, Saliosque elegit, & horum
Præsul erat primus, delapsa ancilia cœlo
Curat, & his tantum præbet gestanda per urbem.
Pontificem creat ex patribus, qui maximus esset,
Ac summus tota, cognomine Martius, urbe.
Jusque parentandi primus decrevit avernis
Manibus; & fieri sacra Februa mense secundo.
Is Janum geminum Argileto erexit in imo,
Qui pacis, bellique foret justissimus index;
Occlusus pacem, bellumque notaret apertus.
Idcirco nullus regi Martem intulit hostis.
Utque fides rebus, quas rex impune gerebat,
Major haberetur, sine vindice cuncta gerenti,
Conjugis Egeriæ congressus nocte petebat.
Hic ubi lucus erat, speluncaque frigida luco,
Fons e spelunca vitreis spectabilis undis,
Spargens rore sacro, multaque aspergine lucum,
Rex Numa quem fontem sacraverat ante Camœnis.
Hic annum ad lunæ cursum, solisque redegit
Signa, dies idem fastos creat, atque nefastos;
Numinibus statuens & farre, & thure litandum.
Jam tandem, senioque gravis, morboque solutus
Rex in Janiculo, quo Janus conditus, ante est
Tullus ad arma vocat, desuetaque corda perurget,
Postquam tergemini magno certamine fratres
Albanos superant, ac jam Mavorte soluto,
Albanum sibi Dictatorem in fœdera jungit.
Quem mox perjurum, raptum in diversa quadrigis
Dissecat; Albam omnem Romam deducit, eoque
Augentur cives: mons Cœlius additur urbi.
Hic ubi magnificis habitavit in ædibus, ante
Tullus enim coluit modicas Hostilius ædes,
Parte Palatini montis, quæ Velia dicta est.
Legit & in patres primos de civibus Albæ.
Patribus aucta ædes, hostilia curia primum
Dicta: decem turmas equitum delegit ab Alba;
Inde novas scripsit legiones, atque vetustas

Explevit, pugnans exorto Marte, Sabinos
Vicit; in Albano saxis pluit; unde dierum
Sacra novem vulgo suscepta, ex voce monentis
Auguris, evolvens rex ipse volumina quædam
More Numæ, cupiens solemnia sacra referre
Elicio curanda Jovi sese abdidit. ictus
Fulmine cum tota ipse domo flagrante crematur,
Cum sacra aggressus n. sciret rite referre.
Fortior Iliade, sumptisque ferocior armis
Hic fuit, & bello fortunatissimus omni.
Martius a populo, patribusque ad sceptra vocatur,
Pompiliique nepos ex nata regis, & illi
Par pietate fuit, similisque ad bella Quirino.
Auspiciis Anci deducta colonia regis
Ostia, Tyrrheni, prope Tybrim, ad littora ponti.
Primus ad augendos census tractare salinas
Cœpit: ab hoc media constructus carcer in urbe est,
Summa in parte fori, ad terrorem, & vincula plebis.
Hic primus nexus rex induxisse putatur.
Jus per legatos repetendi primus ab ipsis
Transtulit Æquicolis, raptas ad res repetendas;
Atque ideo ad Circum metam statuere Quirites;
Ad quam finitimis lex congruit hostibus, utrum
Bellum, vel pacem legerent, dum mittitur hasta.
Hic silvas ratibus fabricandis publicat: idem
Æquor adusque novum regnum rex protulit Ancus.
Fertur ab hoc ædes Jovis amplificata Feretri.
Hic & Aventinum collem, montemque Palati.
Ac mox Janiculum rex Martius addidit urbi.
Ne quandoque foret velut arx mons hostibus ille,
Hic primus Tyberim, transmisso ponte, revinxit,
Nomine sublicio. trabe qui compactus, & absque
Clavis, aut ulla ferri compage ligatus
Insolitum præbebat iter pro tempore, donec
Jam Coclite a tergo Tuscos remorante, solutus.
Hic summa, sacraque via consedit in urbe
Rex; nec se talem, qualem promiserat esse,
Monstrare evaluit, præventus funere acerbo.

Natorum, curam parvorum, & sceptra relinquens
Tarquinio Prisco, Romam qui nuper in urbem
Venerat, & regis sibi conciliarat amorem.
Tarquinios urbem, de qua cognomen adeptus,
Factio Tarquinium Priscum immatura coëgit
Adventare prius, migrantem ex urbe Corintho,
Rursum Tarquiniis, fortuna hortante, relictis,
Atque Tanaquilidis suasu migravit in urbem
Romuleam; felix venienti contigit omen:
Cui Jovis æthereus prædo de vertice tegmen
Substulit in cœlum, rursusque reponit eidem.
His sibi portendi regnum intellexit in urbe
Grajus adulator, qui mox infantibus Anci
Rege jubente datur regis post funera tutor.
Ipse quibus regnum sceptro intercepit iniquo.
Primus Hetruscorum regum est insignibus usus:
Primus equis albis evectus in urbe triumphans.
Hic primus Circum, cui nomen maximus, egit;
In quo Circenses Romano nomine ludi,
Et magni, ac celebres sollemni more, frequenti
Consessu, impensis exercebantur opimis;
Et loca distinxit rex spectatoribus, unde
Ludrica conspicerent. Bello surgente Sabinos,
Instructis equitum turmis, certamine vicit.
Mœnibus hic urbem circumdedit, atque cloacas
In Tyberim magnas duxit tellure sub alta,
Ac restagnantes valles siccavit: & ædem
Condidit ipse Jovi Tarpejo in monte supremo.
Isque nova, summaque via consedit in urbe,
Juxta Romuleæ Mugonia limina portæ
Parte Palatini, capita ultra bubula, montis,
Nam locus is fuerat quondam clarissimus urbis.
Interea a natis Anci mittuntur adultis
Pastores gemini, qui conto, & verbere regem
Cæde necant dura; sopito rege Tanaquil
Edicto parere jubet Tulli, mandataque servet
Anxia plebs rerum semper studiosa novarum.
Servius e serva perhibetur Corniculana

Illu-

Illustri genere exortus, nutritus & inter
Tarquinii natos; species cui lucida flammæ
Amplexata caput, Tanaquil portendere regnum
Prædicit puero, nec mentitura fatetur.
Hic prior invito populo, jussuque Senatus
Regnavit, firmo munitus robore rerum.
Filius hic olim servi cognomine Tulli,
Volscorum regis, patria sed in urbe perempti;
Ejus ubi in bello prægnans capta uxor, in urbem
Inter captivas ducta, & servire coacta.
Cecilia hanc Tanaquil vetuit servire, sed ipsa
Liberiore modo usa est, alternantia fata,
Et rerum miserata vices, sortemque malignam.
Ex cinere hæc Tullum genitali credita regem
Concepisse, caput quod protinus ignibus arsit.
Hic primus censum instituit, montemque Quirini;
Viminiique jugum Rex providus addidit urbi,
Ne locus ille olim facilem daret hostibus ansam
Expugnandi urbem, velut arx munita, propinquam.
Auxit & Exquilias, & eas habitavit, & urbem
Aggeribus, fossis, & magnis mœnibus ambit,
Incoluitque locum, & pomeria protulit urbi.
Nam magni proceres, ubi mœnia magna, vel ædes
Condebant aliquas, illic habitare solebant.
Mox regnum repetens, uxore hortante, paternum
Tarquinius, Tullum grandævum aggressus inermem
Ense gener socerum regem obtruncavit acuto.
Tullia nata super patris deforme cadaver
Carpentum immisit, respersa cruore paterno,
(Unde locus Vicus Sceleratus nomine dictus)
Læta forum petiit properans, ea prima superbum
Victorem, regemque salutatura maritum
Regem Tarquinium ob mores, & facta Superbum
Accepisse ajunt diro cognomina fato.
Funere quod socerum privaverit, & peregrinas
Rex sibi concilians mentes, his fretus inhæret.
Moxque dolo Gabios per Sextum cœpit, & idem
Maxima quod fieret curavit in urbe cloaca,

Romano suscepta foro sub monte Palati,
Omnia concipiens expurgamenta vetustæ
Urbis, in hanc reliquæ rapido torrente fluebant,
Atque foros idem in Circo curavit agendos.
Is cum Chalcidicas sortes, & fata timeret
Post se nam veritus quis sceptra capesseret urbis,
Aruntem, atque Titum natos ad Delphica mittit
Limina sacra. quibus Brutus comes additur una,
Brutus ab ingenio longe diversior illo,
Quod per bis denos tacitus simulaverat annos.
Hunc ex germana rex ipse sorore nepotem,
Ludibrii caussa, atque viæ solamine misit.
Et tandem solus nodosa oracula Phœbi
Emissa ex adytis penetralibus impiger hausit;
Namque is sambuco infusum donaverat aurum.
Ille (inquit Phœbus) regnabit, discite recte
Romulidæ juvenes, qui Pythia poscitis antra,
Callida qui matri rodiens prius oscula figet.
Lapsus humi Brutus terræ dedit oscula matri;
Et primus consul post regna creatus in urbe est,
Tarquinius Danaes dum castris obsidet urbem;
Sexte, pudicitiam dum polluis, auspice Bruto
Tarquiniorum omnis proles, domus exul ab urbe est,
Brutus nam populum contra hos armavit, & ensem
De matronali porrexit cæde cruentum.
Brutus Romanæ dux libertatis, & auctor.
Post urbe ejectos reges, stirpemque superbam,
Regnavere pari duo majestate potentes,
Qui consultandis, & summis rebus agendis
Consulerent; Bruto cum consule Collatinus
Consul; namque ambo jure, atque insignia regum
Primi habuere pares, citra diademata, reges,
Atque ex santonico duodenos vimine fasces.
Lictores totidem, totidem velut ante secures,
Ad compescendos, regni novitate, tumultus.
Sed cautum, fasces ne consul haberet uterque.
Hisque magistratus permittitur annuus æquo
Jure; sed in magnis rebus quandoque creatus
Di-

Dictator, regis qui functus jure, peracto
Marte, magistratu se largius abdicat ultro,
Et Dictaturam decreto tempore ponit.
Quam cum deposuit, ridetur Sylla; sed ipse
Quo deridetur deponere noluit unquam,
Donec se fecit de Dictatore tyrannum.
Sic tandem unanimes, & libertate potentes
Regnavere diu patres; sed sæpius ipsa
Libertas trahit in vitium concordia regna.
Idcirco placuit leges spectare Solonis.
Sic porro denos designavere Tribunos.
Legatos mittunt ad divæ Palladis urbem,
Qui referant docti legum decreta Solonis.
Legati redeunt denis cum legibus, hisque
Adjunxere duas; atque hic fecit ordo tabellis.
Et duodena acta tabularum nomine leges;
Mox & in æs fixæ, quibus effusissimus omnis
Crevit in immensum numerus, decretaque legum.
Rursus in antiquas placuit remigrare secures;
Et sub consulibus regnatum est tempore longo,
Divite sub regno, donec civilia bella
Sunt exorta iterum, atque iterum discordibus armis.
Donec se faciens ex Dictatore tyrannum
Occupat imperium Cæsar, rerumque potitus.
Hinc sub Cæsaribus regnatum est, non sine magna
Urbis, & Imperii jactura, & strage cruenta.
Postquam Bizanti, post tempora longa, ruinis
Dux Constantinus Costantinopolin egit,
Divisum imperium geminam concessit in urbem.
Omnia barbaricis direpta furoribus. Unde
Res ad Pontifices summos Romana redacta est.
Qui regnaverunt, stabuntque diutius illis,
Quos modo narravi; variis rectoribus urbis.
Nam Deus hanc statuit divino numine sedem;
Et sibi perpetuo mansuram tradidit ævo,
Ætheris, & terræ mysteria sacra gerenda.
Unde est imperium contra perennius urbis,
Ex quo Romulei fuit inclinatio regni;

Justitiæ, ac pacis studio, quod creverat ante,
Dum sancti, & veteres rem protexere Quirites;
In luxum donec res est conversa fluentem;
Donec marmoribus privata, & publica tecta,
Strata pavimentis priscum excedentia morem,
Marmoribus sectis, pictoque emblemate passim
Externo lapidum splendore exculta fuerunt.
Stabat flavus onyx, vitrea fulgore coruscans;
Et specularis arabs, maculisque insignis ophites,
Sinadicus, thasiusque lapis, viridisque lacænus,
Purpureusque silex, & quem saxosa Caristos
Fert, & inexhaustæ mittunt de rupibus altis
Cyclades, & quidquid lapidum elucescit in orbe.
Picta pavimenta, & tectoria quæque superba;
Artificumque manus, & splendida quæque per artem:
Intra, extraque urbem, cujus surgentia quondam
Mœnia, vel turres, vel propugnacula longum est
Dicere: cum numerum fugiant, carmenque refellant.
Cum sint, qui scribant viginti millia passum
Urbis circuitum se se extendisse vetustæ.
Sicut Roma fuit populis, & mœnibus ingens;
Sic plures habuit præclaro limine portas.
Unde viæ exibant diversas orbis in oras.
Omnis porta vias (ut Publius inquit) habebat;
Quas modo cum portis sum descripturus; ubi nunc
Mœnia non eadem, quæ prisca, nec ambitus idem,
Nec veteres extant in eodem limine portæ;
A quibus auspicium scribendæ cœpimus urbis.
Hic ubi diva parens populi cognomine surgit,
Flumentana subest refluenti a flumine porta,
Ut via Flamminio superest a Consule dicta,
Strataque, qui Ligures devicit Marte secundo,
Consule cum Marco Lepido, consorte triumphi.
Alter ut Æmiliam, sic alter tramite longo
Stravit Flamminiam lepidi collega per agros
Hetruscos, Umbrosque viam, quam rura secantem
Æmiliæ regionis Ariminum ad usque peregit,
Pincia nunc, olim quæ Collatina vocata est,

Ad

Ad Collatinos mittebat porta penates,
Stabat Tarquinius qua Collatinus in urbe,
Immeritæque neci Lucretia debita conjux
Vim passa a sexto, consanguinitate propinquo;
Unde sibi mortem conscivit, & ulta tirannos
Dissimulatoris versuto pectore Bruti.
Proxima Collina est, quæ porta a colle propinquo
Dicta Quirinali; prope quam Sidonia castra
Hannibal expugnans urbem quandoque locavit.
Hic ubi surgebant Ericinæ limina matris,
Circenses ubi fiebant pro tempore ludi,
Flamminius quoties innabat flumine Circus:
Hinc & Agonensis nonnumquam porta vocata est;
Unde via egreditur, quæ dicta Salaria, priscum
De sale nomen habens, qua prisci ex urbe Sabini
In montana salem portabant oppida quondam.
Nomentana subit, quod Nomentana propinqua
Porta viatores in mœnia ducat ab urbe,
Hæc & Vimina, & Figlensis nomine dicta,
Quod prope Figlinæ fuerint in colle tabernæ
Hanc extra portam stadii discrimine templum est
Ad levam surgens vetus, & memorabile Bacchi;
Picta ubi adhuc extant veteri testudine plura
Gesta Dei Bromii: stant circumquaque columnæ
Jam sustentantes delubri immane cacumen.
Hic ubi Sacrophagus rubro de marmore surgit,
Quo Constantini Constantia filia magni
Virgo sacra jacet. Cui mox hanc condidit ædem
Quartus Alexander, mutato numine primo.
Illic nam prudens virgo collegia casta,
Virginibusque sacris Vestales condidit ædes,
Virginis Agnetis titulo, & solemnibus aris.
Cujus adhuc ædes extat tellure profunda,
Est ubi marmoreus gradibus descensus ad imas,
Quæ stant ære, fores, & lato limine postes.
Cautibus interior peregrinis discolor ædes.
Statque decor lapidum, distinctaque marmora circum
Oebalius lapis, & Marpesius undique candor;

Stra-

Strataque purpureis speciosa emblemata vestis,
Rupibus ex altis, humore nitentia lento.
Lapsus ubi e cœlo fuit annulus ille sacratus,
Quo rex Agnetem sibi desponsavit olympi.
Porta fuit quondam celebrata sub aggere Tulli,
Quæ nunc clausa silet priscæ sub mœnibus urbis.
Hic ubi surgebat quondam custodia castri,
Cujus adhuc extat quadratæ forma figuræ.
Taurinam, Exquiliam, Tiburtinamque vocamus
A tauri capite, Exquiliis, & Tibure portam,
Est ubi aquæductus fornix, divisus ab ipsis
Mœnibus ad levam, quare non porta, sed arcus
Dicitur a multis, epigramma ut monstrat ibidem.
Protinus ad dextram via Prænestina notatur,
Unde Labicana assurgit discrimine parvo,
Ut Strabo testatur, scribitque volumine quinto.
Hinc capit auspicium via Tiburtina, sinistro
Tramite, quem juxta Laurentius inclyta tecta
Monstat, Oliveri patris de gente Carapha
Munere, qui templum tecto decoravit, & auro.
Statque pavimentum nitidis insigne lapillis:
Quos Memphis, quos Sparta creat felicibus oris,
Et quas immanes oneraria cymba columnas
Orbe peregrino spumosa per æquora vexit.
Est ubi Laurentis, Stephanique insigne sepulchrum
Marmoreum ferri munitum crate, sub antro;
Et qua combustus, craticula condita, Laurens.
Porta Labicana, & quæ Nevia nomine dicta est,
Nunc autem major, si non est arcus, ut illic
Antiqua ostendunt mensura scripta pedali,
Ad dextram, levamque vetus stat ductus aquarum,
Cælica dorsa petit dexter, sublatus ad auras;
Levus humi repens, binas discurrit in undas;
Mœnibus hic labens Taurinæ præterit arcum,
Maximiani adiens confuso fornice thermas.
Occupat hunc alium sublimis Martia, labens
Antiquam juxta Bibianæ virginis ædem;
Donec consurgens deflectitur abside curva

Ad Caii Marii decurrit lapsa trophæa,
Quæ mutilata patent spatio distantia parvo.
Sub Lateranensi delubro in margine montis
Porta subest, olim concursu nota frequenti:
Cœlius hanc collis gemino de nomine complet.
Hæc eadem a multis Asinaria porta vocatur.
At via Campana est, per quam Campania quondam
Prisca petebatur; nunc ingredientibus urbem
Janua Campanis divulgatum irrogat omen.
Stat prope Metrodii jam pridem janua clausa,
Qua nunc ingreditur Marianus rivulus urbem.
Curvus ubi obliquat se mœnibus angulus, inter
Quæ modo commemorans Asinaria limina portæ
Scripsi, & quæ scribam surgentia claustra latine
Hic ubi Joannes bina veneratur in æde,
Cui divina olim patefacta arcana fuerunt.
Porta Latina, viæ veteri præfixa Latinæ,
Nomen idem retinet; nam porta recentior illa est.
Hac muliebre via Fortunæ immobile signum
Stabat, quod solæ poterant contingere nuptæ.
Dividit & campos hæc semita prisca Latinos,
In longos porrecta sinus, & pervia curvos
Ducta per anfractus, cui nobilis Appia tandem
Obvia miscetur Capuæ præpinguibus arvis.
Porta Capena subest, priscos quæ vergit in agros
Sola Capenates, & eodem nomine gentes.
Prima urbis regio cognomine dicta Capena est.
Extat aquæ ductus nunc intra limina portæ,
Quam prope Marcellus Virtutis condidit ædem.
Hinc celebrata vetus via concipit Appia nomen:
Appius hanc stravit cognomine Claudius, usque
(Ut Strabo fert) Capuam: Trajanus deinde vetustam
Instauravit iter; produxit & usque superbum
Brundusium, effodiens juga summa, & viscera terræ,
Collibus æquiparans depressas fornice valles.
Clara triumphorum pompa, & regina viarum
Hæc erat; & procerum monumentis clara vetustis.
Christus ubi occurrit fugienti e carcere Petro;

Re-

Retractumque fuga, Romam remeare coëgit.
Bina ubi signa pedum, vestigia sacra reliquit,
Marmore pressa cavo, quæ nunc affixa videntur
Martyris in templo, qui corpore saucius omni
Imbre sagittarum fertur confossus acuto.
Ejus ubi corpus, compluraque sacra quiescunt
Corpora sanctorum longis tumulata cavernis,
Pontificis primi cura, ac pietate Calisti.
Proxima Tergemina est de nomine Tergeminorum;
Unde via inceptat, cui præbuit Ostia nomen.
Juxta quam Pauli Tarsensis regia surgit;
Absidibus celsis, & summis ardua tectis,
Exornata notis lapidum, quos Cyclades olim,
Quos sacer Eurotas misit, quos advena Nilus,
Et quos ambiguis leviter disterminat undis
Macra fluens, quas Luna dedit de monte columnas
Classibus advectas. Cineres ubi mixtaque Pauli
Relliquiis Petri, Timotheique ossa quiescunt,
Infantum & cineres, quos rex occidit Hebræus.
Hac regione viæ tenuis delabitur Almon,
Qua Tiberinus aquas senior deflectit euntes,
Et sinuat flexus penitus sub rupe sinistra.
Qua Divum matris simulacrum immane per undas
Navigio advectum Tyberino substitit amni,
Viribus haud ullis humanis inde movendum.
Claudia quinta manu, parvo conamine duxit,
Virgineas victas Vestalis sponte secutum,
Spargendum Almonis simulacrum rore quotannis.
Incertum ne via? an ne viæ de nomine porta est
Dicta? Tybris ripæ quæ condita margine surgit,
Dicta vel a portu, quem Claudius æquore Tusco
Jecit, arenosis, & restagnantibus undis,
Atque incomperta submersit mole triremem;
Qua super injecit portus vestigia prima;
Erexitque Pharon, qua lumina luce perenni
Nocte coruscarent, nautis signantia portus.
Janua Janiculo, quæ prominet ardua colli,
Nomine ab Aureli sortita Aurelia nomen.

Respi-

Respicit a tergo Tyberina per arva refusam
Urbem, a fronte via est Aurelia nomine dicta,
Inter aquæductus veteres sinuata propinquos.
Hanc dux Trajanus de se quandoque vocavit.
Quam prope Pancratii pueri stat martyris ædes,
Quam Sardus præsul fabricavit Symmachus; in qua
Marmore purpureo speculari luce tabellæ,
Oppositas reddunt verâ sub imagine formas.
Janua Janiculi ad radices condita surgit
Septimiana ducis de nomine dicta Severi;
Qui celebres thermas hac in regione locavit,
Erexitque foro titulis illustribus arcum,
Et septizoni præcelso culmine molem.
Sextus Alexander sublimi fornice portam
Hanc instauravit, spatiosis mœnibus augens.
Latior unde via, & longo rectissima tractu,
Littoribus Tyberis protenditur, auspice Julo
Pontifice, immensas moles qui cœpit in urbe.
Nunc ubi magnificas erexit Chesius ædes
Augustinus, opes ostentans divitis Hermi,
Lydorum & vires, illi genus unde vetustum:
Hinc Jacobe tibi surgit venerabilis ædes
Tybridis in ripa; qua sanctus Spiritus inde
Ædibus excolitur: quibus olim admota patebat
Porta vetus, nuper quæ diruta; mœnibus iisdem
Altera facta nova est, pro tempore, rupe sub alta;
Altera prisca fuit Tyberinæ condita ripæ,
Porta olim celebris, quæ Vaticana vocata est,
Sive triumphalis, quidam ut sentire videntur:
Nunc ubi curva sinu Tyberina reflectitur unda,
Pontis ubi apparent confracti signa vetusti,
Juxta Cœnobium, & præcelsis mœnibus ædes,
Quas unus comitum de patribus edidit ante;
Quas Sixtus quartus nuper renovavit, & auxit.
Hic ubi concepti vulgo exponuntur alumni,
Saxia cui nomen, Saxonum a gente vetusta,
Illic quæ fuerat, ne susciperetur in urbem.
In Vaticanæ convallis vertice quondam

Fon-

Fontibus a densis cognomine porta patebat,
Quæ nunc pertusa est; hinc Turrea nomine porta est
In Vaticano, tepidos quæ vergit ad Austros.
Cedit Posterulæ viridaria janua portæ.
Una est cunctarum longe pulcherrima, juxta
Tybrin, Alexandro jam pridem condita sexto.
Hæ Vaticanum circumdant undique campum;
Quem Leo jam quartus conclusit mœnibus omnem,
Atque Leoninam jubet appellarier urbem;
Quam dedit & Corsis habitandam extorribus ante
Regia sacra Petri secessu condita longo,
Barbarico toties ne diriperetur ab hoste.
Has & Alexander portas renovaverat omnes:
Atque viam stadio currendam stravit aperto,
A Vaticano molem usque ad principis Heli,
Qua Transpontinæ Genitricis limina surgunt.
Sunt portæ, quarum nunc nomina sola supersunt,
Ut Carmentalis, Gabjusa, Rudusculæ quondam,
Atque Lavernalis, Catularia, Querquetulana.
Intra urbemque viæ celebres: Nova, Sacra, Suburra,
Lata, Labicana: & quæ semita dicitur Alta.
Extra urbem reliquæ, Cornelia, Cassia, Galli-
Cana: triumphalis Tyberina: & Quintia duræ:
Claudia: & Æmilii, Valeri, Ciminique jugosæ,
Et Laurentinæ Setina propinqua vetustæ;
Et via contiguum, cui præbuit Ardea nomen;
Juxta quam Pauli caput a cervice revulsum,
Tres numero effudit roseo de sanguine fontes,
Nunc appellatos ad aquas a plebe Salinas.
Hic ubi Anastasii stat martyris ara beati,
Quam præsul struxit Campanus Honorius ædem.
Nec procul hinc scalæ surgunt ad limina Cœli,
Per quas sublati scandunt ad sidera manes.
Varro togatorum doctissimus omnia priscæ
Romuleæ loca rite urbis scrutatus, & illa
Cuncta fide scribens oculata, rite notavit;
Et montes, ubi Roma fuit, quorum ordine primus
Nomine Saturni Saturnius ante vocatus;

Mox

Mox a Tarpeja, Veſtali virgine, dictus
Tarpejus vertex, a Cajo principe quondam
Ponte, Palatino Colli conjunctus (ut ajunt)
Monſque triumphalis, ſpoliiſque inſignis opimis,
Atque inter reliquos ſemper primarius urbis
Numinibus, templis, & majeſtate Deorum.
Verticibus binis, Parnaſi more, bicornis,
In Capitolinum collem conſurgit, & arcem,
Quam quondam a Gallis ſervavit pervigil anſer;
Quos inde ingenti Dictator ſtrage Camillus
A tergo aggrediens ſuperavit ab arce repulſos,
Cœlicolis quondam ſacra, ſummoque Tonanti;
In qua cunctorum divum ſimulacra fuerunt.
Stabat ubi Superum rex Juppiter optimus, atque
Maximus, & cuſtos fidiſſimus arcis, & urbis,
Et ſpoliis locuples ex hoſte Feretrius acto,
Et Capitolini venerabilis ara Tonantis,
Quam prior Auguſtus perſtrictus fulmine vovit,
Area qua Manli cuſtodis in arce ſuperbi.
Hic ubi nunc ædes ſtat virginis, araque cœli,
Numine divino, doniſque illuſtris olympi,
Et lapidum decorata notis, quas inclyta tellus
Explicat Ægyptus, Lacedæmon, Cyclades, Ilva:
Ex qua longa graves ſubvexit cymba columnas,
Arce ſub antiqua, clivo qui vergit ad Euros,
Palladis aſtabat, Junonis & ara Monetæ,
Qua domus Oebalii Tatii fuit ardua rupe.
Cum Capitolinis ex ſedibus omnia divum
Numina diffugerent olim, duo numina tantum
Terminus æde ſacra imperterritus, atque Juventa
Immoti, nudo manſere ſub ætheris axe,
Romanum imperium ſine meta, & ſine notantes.
Urbe prius tota Capitolia bina fuerunt:
Colle Quirinali, & Tarpejo in monte, quod extat
A capite humano dictum, regnante ſuperbo,
In fundamentis effoſſum apparuit ædis
Tum Capitolinæ, idcirco conſultus aruſpex,
Portendi imperium terrarum dixit, & orbis.

Sedibus his, quoniam pars corporis altior illa eſt.
Hoc in colle nihil nunc eſt memorabile, præter
Nomen, & antiquæ quondam ramalia quercus;
In qua victorum ſuſpendebantur opima
Priſca ducum ſpolia, & ſacrata trophæa Feretro,
Et Capitolinum prærupto vertice ſaxum.
Stat nunc præcipiti parvum ſub rupe ſacellum
Ad Libyn aſpiciens, cui dant æraria nomen:
Hic ubi Saturni, ac Opis delubra fuerunt;
Divitis & populi Romani æraria quondam,
In quibus ex omni fulgebant orbe tumentes
Theſauri, ſene falcifero cuſtode ſub uno.
Qua Capitolinum collem pater inter, & arcem
Pendula planities, & topho ſtrata platea eſt;
Conditor urbis ibi templum inviolabile primus
Romulus inſtituit, ſacrum cui nomen Asylo,
Et locus intactus ſe proripientibus illuc
Omnibus, ex toto quocumque ex orbe profectis;
Lucus ubi ſacer, & latè frondentibus umbris.
Alta ubi nunc extant, & clara palatia, lautis,
Magnificiſque viris Conſervatoribus urbis
Culta, magiſtratus tantum ſortita togatos.
Quorum veſtibulo, & qua porticus ardua ſurgit,
Stat caput ære tumens, quod ahenea forma Coloſſi
Subſtulit, atque pilam, ejusdem manus ænea torquens.
Eminet ante fores, primoque in limine portæ
Ærea forma lupæ, flexa cervice gemellis
Sedula Martigenis infantibus ubera præbens.
Limina prima patent cuſtode ſub Hercule tuta;
Æneus ad dextram qui marmore prominet alto:
Cujus clava canes olfactu territat omnes.
Stantque ſub impluvio magni fragmenta coloſſi
Marmorei, caput atque pedes, gradibuſque ſiniſtris
Sphynges adhuc recubant nigro de marmore binæ.
Surgit ubi aſcenſus ſuprema ad limina ducens,
Qua patet ingreſſu primo ſpectabilis aula,
In qua picta nitent priſcorum geſta Quiritum;
Bina ubi cernuntur ſimulacra ex ære vetuſto

Pu-

Pubertate pares juvenes, alterque togatus,
Atque peroranti similis, sublatus ad auras.
Altera forma sedens sese curvantis ephebi
Ærea, nuda, oculis intenta, & pectore prono,
Visa pedis labem, & contagia quærere, sicut
Pastor acu spinam contracto crure revellit.
Nec procul inde forum stat judiciale togatæ
Urbis: ubi prætor, domus & prætoria surgit.
Hic ubi clamoses in Stentoras Æacus ardens
Clamat; ubi rabulæ pretio Minoa subornant,
Dum Rhadamantheas formidat transfuga leges;
Mars ubi judicii reus exeandescit, & horret
Conscius ipse sui decreta asperrima Pagi.
Heu quoties incensa gravi Capitolia flamma,
Pauca quidem retinent veterum vestigia rerum!
Præter adhuc stantes a tergo in monte columnas,
Martyre cum Baccho colitur qua Sergius æde.
Inde Palatinus Pallantis nomine collis
Dictus, sive ovium quondam a balatibus extat;
Sive Reatini mons dictus ab arce Palati,
Hunc Aboriginibus sic appellantibus olim.
Arcades hunc primi montem coluere, subinde
Romulus, auspiciis bene succedentibus, urbis
Fundamenta locat prima incunabula Romæ;
Quæ tam parva habuit primordia Romula tellus,
Tam diffusa orbi porrexit sceptra subacto.
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma;
Romuleoque recens horrebat Regia culmo,
Æditiuis sacris multos servata per annos
Ne rueret; ficus ne unquam exaresceret illa
Romula, tanta suis trabeæ reverentia primæ;
Romuleæque Lupæ fuit hoc in monte Lupercal.
Unde Lupercales nutricis nomine dicti,
Sacra Sacerdotes referentes prisca Lycei.
Mons natura humilis, sed mœnibus editus altis,
Atque cavernosus mons intra viscera, totus
Pensilis, immodicis quibus eminet arduus antris.
Stat fundamentis totus solidisque opertis.

Undique & in medio moles operosa minatur
Semisepultarum nunc, & sine nomine rerum.
Hoc Stator antiquas in vertice Juppiter aras
Incoluit, Zephyri qua spirant parte tepentes.
Cum bellum ingrueret Tatio duce, jamque fugatas
Milite Romuleas acies agitante Sabino,
Romulus hic trepidans; Stator audi Juppiter, inquit,
Palantes quocumque meos mihi limite sistes;
Sacra Palatino statuam tibi limina colle.
Substitit hic acies, & rex hic templa dicavit.
Mox ubi Tarquinius Priscus sua regia tecta
Condidit, & Cicero Latiæ lux unica linguæ,
Nunc ubi sunt ædes, & magni vinea Phædri,
Hoc reges in monte domos, hoc vertice sacri
Protinus Augusti proprios posuere penates,
Relligione loci, vel majestate Quirini,
Urbis ob imperium, & Latii primordia regni.
Quin ab aruspicibus priscis quandoque relatum,
Romula dum sedes habitari desinet omnis,
Desinet imperium submissis fascibus urbis.
Nunc nec tecta quidem superant in monte, nec ædes,
Sacrave relligio, aut ulli velut ante coloni,
Hic ubi templa Deum, tot sacra palatia quondam
Clara Palatino delubra in monte fuerunt,
A claris, summisque Quiritibus edita quondam.
Advectam Matrem Phrygia tellure Deorum,
Alta Palatino cœpit Victoria templo,
Auspiciis magni quondam fundata Catonis.
Mox ubi sacra Deæ Berecynthia limina Brutus
Erexit, lapidum diverso strata nitore,
Pulchra pavimentis, & celsis fulta columnis,
Ampla ubi verticibus surgebat porticus altis.
Quin etiam Brutus sacram cum dedicat ædem,
Tum magnos celebrat, Megalesia nomine, ludos.
Stabat ab augusto sublimis Apollinis ædes
Structa Palatini, vicinaque porticus ingens,
Clara voluminibus variis ubi, magnaque vati
Bibliotheca Deo, Musisque dicata patebat.

Ex-

Exposita ingeniis virtute nitentibus ipsa.
Mons hic exiguus spatio, sed moenibus ingens,
Mille patet circum per valles undique passus.
Constat Aventinus vario de nomine dictus
Mons, vel ab adventu gentis quandoque Latinae;
Vel quod Aventinus rex Albae in monte sepultus;
Aut avium a pastu, aut cymba adventantibus illuc;
Picus ubi, & Faunus responsa referre solebant
Fontibus e gelidis, silvisque; ubi caede cruenta,
Ossibus, & tabo squallens sub rupibus altis
Stabat semiferi spelunca asperrima Caci;
Quem clavae nodis domuit Tirynthius heros.
Servius hic Tullus templum sublime Dianae,
Emporiumque jubet simul hoc in monte locari,
Romae, & finitimis populis commune Latinis.
Ut Diana Ephesi fuit urbibus una propinquis,
Et populis Asiae cultu celeberrima sacro.
Bos enormis agro fuit enutrita Sabino.
Haec in Aventinum Triviae mactanda Dianae
Ducitur a quodam (vetus est ut fama) Latino;
Cujus eam cives mactassent urbis, eisdem
Fata repromitti terrarum sceptra futura;
Hospite decepto specie pietatis iniquae
Ne prius admonitus rem sacram illotus obiret,
Quam se loturus Tyberis descendat in undas,
Quod facit: interea solemnibus immolat aris
Romanus vaccam, & voti fit compos haruspex,
Resque fidem sequitur socero regnante Superbi.
Laurea sylva Jovi quondam hoc in monte virebat,
Libertatis ubi templum fuit, auspice Graccho,
Atriaque, & Lunae spectabilis ora bicornis,
Atque Bonae delubra Deae, quae Claudia quinta
Vestalis posuit, collapsaque protinus aevo
Dives honoratis reparavit Livia tectis.
Hic ubi Junonis captivo ex aere Camillus
Delubrum posuit, Veiis Mavorte subactis;
Notus apex, templis positis per culmina montis.
Surgit ubi ingenuae matronae in monte Sabinae

Templum marmoribus, densisque insigne columnis,
Quod Petrus Illyricus quidam ditissimus egit.
Stat lare sub patrio, nec notus Alexius ulli,
Pauper, inops algens, modica, vilique profectus,
Sub gradibus latitans, ubi plurima passus iniqua est.
Stat quoque diva parens extremo in margine surgens
Montis Aventini, templo minitante ruinam.
Surgit ad Auroram Priscæ sacra virginis ædes,
Hic ubi aquæductus vestigia magna videntur
Thermarum, Decius quas Cæsar condidit amplas.
Statque pater Sabas locuples, pauperrimus ante.
Stat quoque Balbinæ Romanæ virginis ædes
Supra Piscinam, quæ quondam publica dicta est.
Imminet hic Tyberi collis porrectus ad usque
Tergeminam portam, vicinaque mœnia Romæ.
At latere ex alio, Circo, qui maximus extat,
Hæret, & ad portam protenditur usque Capenam
Cœlius, a Tusco duce dictus Cele Vibenno,
A quo præsidium contra ducis arma Latini
Romulus accepit, cujus pars maxima Romæ
Substitit, incoluit quod protinus Alba [illegible],
Tuscaque gens pariter, quam secum Porsena duxit
Rex, dum Janiculo contra urbem castra locavit,
Regnum Tarquiniis ut redderet Urbis ademptum;
Hinc vicus Tuscus de nomine mansit Etrusco.
Vallibus, atque viis mons hic concluditur omnis
Undique diffusis, partim quoque mœnibus urbis,
Hic ubi parvus apex, & collis semotus ab omni,
Nomine Cœliolus, porta in quo monte Latina est.
Hic ubi Joannes olei ferventis aheno
Principis edicto, ac toto spectante senatu,
Obrutus incolumis, sospesque evasit ab illo.
Sed redeo ad Cœlij, cujus pars maxima, montem.
Sanctorum templis passim manifesta liquescit.
Post Lateranensis præcelsa palatia sedis,
Qua via porrigitur de nomine dicta Labici,
Surgit ad Odrysios axes in valle sacellum,
Hic ubi cum Petro stat Marcellinus in æde,

Auspiciis Helenæ magni Constantis alumnæ
Martyribus posita; nec longius inde patescit,
In laribus patriis, & avitis ædibus ara
Cœlica Clementis, primus, qui e gente togata
Sponte sua victus secum baptisma recepit.
Collis in extremo surgens in rupe propinqua
Una Coronatos suscepit quatuor ædes,
Martyribus posuit quam primus Honorius illic.
Hinc jam digrediens ad Septizonia ducor;
Et Scauri Clivum summi e regione Palatj;
Hic ubi Gregorii magni sublimia surgunt
Limina, conspicuis & in ædibus ara paternis
Surgere verticibus mons Cœlius incipit altis
In dextros apices Lateranum culmen ad usque,
Instar Achæmenii sese fastigiat arcus.
Nec vos prætereo, fratres, germana propago,
Martyres egregii, cum Paulo dive Joannes;
Pulchra quibus posita est titulis communibus ædes.
Quondam ubi consiliis Hostilia Curia regis,
Sacraque magnanimi surgebat Regia Tulli.
Nec procul hinc olim Græcostasis illa patebat,
In qua legatis externa e gente dabatur
Temporibus certis solito de more Senatus;
Namque ibi magna exstant veterum vestigia rerum.
Stant ubi ad dextram Thermarum in colle cavernæ,
Cujus nam fuerint non extat nomen in albo;
Hic ubi aquæductus Caii damnosa vetustas
Ad Boream deflectit iter Palladis in arcem,
Tecta Nosocomii captivorum hospita surgit,
Quos e barbarica redimebat compede Thomas,
Dum melior cultus mortalia corda fovebat.
Stat prope Virgo parens veteri spectabilis æde,
Ante fores cujus de marmore cymbula surget,
Cujus tecta ædis jam collabentis longe
Splendidiora novo reparas, potioreque cultu,
Dive pater Leo, delubrorum maxime rector.
Martyris hinc Stephani stat sphærica forma sacello,
Cornipedi Fauno quod dicitur ante dicatum,

Quod post Simplicius Stephano sacravit, & inde
Nicoleos quintus pictis laquearibus ædem
Totam exornavit renovans, ut marmore tectum est.
Hac regione viæ, ductus qua surgit aquarum,
Protinus ad dextram surgentia tecta videntur,
Plura ubi languentum ægrotantia corpora longo
Ordine dispositis recubant a fronte grabatis,
Grandibus impensis ubi procurantur, & omni
Si qua ex Pæoniis petitur curatio succis,
Nil pietate magis, Romano & nomine dignum,
Quæ pia tecta prior fundavit diva Columna,
Post alii magni proceres auxere Quirites,
Et spatio tecta, atque locum proventibus amplis.
Hoc in monte domus Cornelia nobilis olim,
Et Lateranorum patuere palatia gentis,
Et Constantini generosi principis aula.
Hic ubi constituit sacrato fonte lavacrum
Argento radians, & eodem ex ære figuras,
Fundentesque undam simulacra argentea cervos.
Stant & adhuc ibi Baptisteria sacra, rubræque
Ex porphyriaca præcisæ rupe columnæ
Erectæ circum; stant circumquaque sacella
Antiquata situ. Stat Principis aulula parva,
Sola patens maribus, muliebribus invia votis.
Stat Laterana ædes, & regia sacra sub auras,
Regia prima Deo quæ consecratur in urbe,
Relligionis apex, Ecclesia prima sub astris,
Quam Constantinus fundavit magnus, & illam
Muneribus multis argenti ornavit, & auri,
Et quam Sylvester sacravit episcopus Urbis
Supremo vatum, qui protulit indice Christum;
Cujus enim nutu, templo præfectus, & ingens
Præsul, & antistes, magni vice functus Olympi,
Summe pater rerum, & commissi Pastor ovilis.
Nil ibi nunc extat præter vestigia templi
Conspicui quondam generosi marmoris arte.
Statque columnarum seges intercisa cremati
Marmoris, & templi facies excussa vetusti.

Extat adhuc Apsis sublimi emblemate fulgens;
Extat ubi in medio nova Servatoris imago,
Visa prior populo divinitus illa togato.
Stat sublimis apex majorem desuper aram,
Marmore compactus, nodisque arctatus ahenis,
Quo Petri, Paulique caput sacraria condunt
Alta, sub Herceis adytis, ferrique rigore,
Nec procul alter inest ubi plurima condita sacra
Christiparæ matris, natique; sed omnia longum est
Dicere sanctorum quæ concluduntur ibidem.
Nec circumcisi præcisa caruncula Christi,
Nec te mensa quidem tacito sermone silebo,
Qua cum discipulis cœnaverat ante magister,
Quam Judæ insidiis venundatus esset Hebræis;
Hic ubi conspicitur divini fœderis arca,
Virgaque, qua quondam utebatur maximus Aron,
Statque pavimenti, & lapidum structura, decorque
Purpureus, viridisque silex, magnæque columnæ
Ignibus exustæ quondam, quos barbarus hostis
Impius admovit, templumque incendit opimum.
Stant & Sarcophagi jam circumquaque vetusti.
Statque Columnensis Martini ex ære sepulchrum,
Qui pictura ædem decoravit, & inclyta templo
Strata pavimentis asarota instravit opimis.
Nec vos transierim navali ex ære columnæ,
Quas quondam Augustus post bella exhausta triumphans
Ac Pelusiacis Pellæa ex urbe trophæis
Conflavit, rediens Capitolia vexit in alta,
Quo prius erectæ fuerant in monte columnæ.
Æde sub hac extat de tot, nunc una tabella
Ærea, adhuc ubi plebiscita antiqua videntur.
Nec procul extra ædem, Boreæ spirantis ad axes
Inter aquæductus, Lateranaque mœnia surgit
Ærea de statuis priscis, & equestribus una,
Cæsaris Aureli Antonini erecta sub auras
Munere Pontificis Sixti cognomine quarti,
Æthere sub nudo, quæ marmore prominet alto;
Pacantis forma signante silentia dextra,

Symmetria vultus, & majestate decori.
Haud procul inde frequens ascensus dexter aditur
Marmoreis gradibus, solidi qui ex ordine surgunt,
Attriti genibus cuneatæ plebis, & usu,
Per quos Pilati conscendit in atria Christus.
Stant ex ære pares æquo discrimine portæ,
Tres numero ad dextram, lævamque, ubi porticus ingens
Surgit ad æstivas sinuosis flexibus umbras.
Juxta summorum deserta palatia patrum,
Quæ tu, Dive Leo, collapsa, incultaque multo
Nunc, & operta situ, reparas, habitandaque præbes.
Hic ubi Pontifices hac tempestate recentes
Pernoctare solent, primum Laterana potentes
Tecta, quod auspiciis felicibus, auspice cœlo,
Munus obire paras triviis reboantibus urbis,
Quondam ut Cæsareis plaudebat Roma triumphis,
Nec tu parva ædes niveo decorata nitore,
Prætereunda meis numeris Laterana manebis,
Sancta ubi sanctorum penetralibus abdita sacris;
Gratia ubi pleno cœlestis clausa locello est,
Ædicula insignis, tota illustrata tabellis
Undique marmoreis, & picto fornice toto,
Atque pavimento variis radiante lapillis;
Nicolei cura, Ursinorum e gente peractum
A fundamentis opus, & spectabilis aula;
Quod summota procul non intrat femina limen.
Sacra illic quoniam stat servatoris imago
Prima Urbis, gemmis, argento insignis, & auro.
Quæ circumfertur populo stipante quotannis
More triumphanti Tarpejas usque sub arces,
Perque vices ea subcollantibus, inde movetur,
Annua jam repetens genitricis limina divæ,
Cujus in Exquiliis extat venerabilis ædes,
Magno ubi suscipitur Romanæ plebis honore,
Quæ subit, & manibus nutantia fercula gestat,
Artificum quoque præcedentibus, agmine denso,
Pegmatibus pictis, & festo lumine tædis,
Sacrorum, pompæque subit longissimus ordo,

Donec

Donec ad excubias vigilanda locetur imago,
Pernoctanda sacris ubi lectisternia fiunt.
Hinc primas reperit sedes jam luce propinqua
Unde amota prius Laterana insignis imago.
Hinc mons Esquilius cunctis spatiosior unus
In plures apices velut hydra attollitur altos.
Dictus ab excubiis; vel ab excultoribus olim
Regibus antiquis, Tullo, generoque superbo.
Gallorum a Bustis paulatim assurgit in auras,
Curva carinarum species ubi, magnaque moles
Thermarum diffusa Titi, per culmina montis,
Sacra ubi nunc ædes, nodosaque vincula Petri,
Et celebrata suis Sextilibus ara Calendis,
Et mutata dies de tempore veris in æstum:
Luce hac Augustus rediit nam victor in urbem.
Nec procul hinc extat Martini præsulis ædes,
Jam prope collabens senio confecta vetusto.
Cernitur hinc divæ Praxedis nobile fanum,
Marmore diverso fulgens, ubi parva columna est
Ædiculæ latebris, qua dicitur esse revinctus,
Atque flagellatus Pilato præside Christus.
Namque Columnensi tulit hanc de gente Joannes
Cardineus præsul, Judææ missus in oras:
Unde locus sexum muliebrem eliminat omnem.
Stabat in Exquiliis, ut Varro Terentius inquit,
Quondam Lucinæ Junonis lucus, opaca
Ex fago surgens, prægnans ubi languida partu
Implorabat opem mulier clamoribus altis,
Nunc ubi diva parens virgo cognomine major
In lucem partu emisso, parientibus affert
Auxilium lassis, exoptatamque salutem,
Atque puerperiis dat Virgo Puerpera vitam.
Namque ibi Christiparæ genitrici Regia surgit,
Indicio nivium templum signante futurum,
Arva Cleonæo graviter dum sidere fervent:
Dum ferit ardentes latrator Sirius æstus;
Dum sitiunt herbæ, tellusque caloribus hiscit,
Divitis auspiciis ædes fabricata Joannis

Nomi-

Nomine Patritii; præsul quam dedicat Urbis
Liberius, primus qui fundamenta locavit,
Tertius aut Sixtus, quidam ut sentire videntur.
Strata pavimentis ædes, & fulta columnis
Diverso lapidum tota exornata nitore,
Quales purpurea mittit de rupe Syene:
Quales Oebalia mittit de caute virentes
Laurifer Eurotas, & quæ Berecynthius Attys
Saucius infecit rutilantia saxa cruore.
Quidquid & in thermis lapidum fuit ante decoris.
Stat pictus fornix, vitro decoratus, & auro;
Christus ubi exornat sacro diademate matrem,
Nicolei quarti pulchrum, & memorabile munus.
Sextus Alexander nuper laquearibus aureis
Tecta exornavit longo radiantia tractu.
Stant diversa locis complura recondita sacra,
Statque sub altari corpus majore Mathiæ.
Stat dexter, stat lævus apex de marmore totus.
Virginis hoc magnæ fulget genitricis imago,
Nobilis Assyrius quam designavit Apelles
Scriba Dei Lucas, Grajo sermone peritus.
Plura latent alio sanctorum fornice sacra,
Dicere quæ longum est, dum singula dicere tento,
Virginis ætheree vestes ubi, zona, capilli,
Et lac, & infantis sacra incunabula Christi.
Stat prope Hjeronymi venerabilis ara beati,
Qua latet & corpus, juxta penetrale sacellum
Præsepis, sanctosque lares, ubi virgine natus
Primos in fœno vagitus edidit infans;
Namque ibi natalis tellus advecta recumbit
Femineos gressus non admissura profanos.
Stat quæ Pontifici instauravit imago Leoni,
Quam sibi præcidi dextram præceperat ante.
Stat porphyriaco tumulus e marmore celsus,
In quo Patritius stat templi conditus auctor.
Hinc mox digressis ad lævam cernitur ædes,
Supplicibus votis, & cœli numine dives.
Hic ubi promissa stat barba Antonius horrens.

Ex anachoritis senior celeberrimus unus.
Extat ubi a tergo variis distincta figuris
Ex lapidum crustis Andreæ annosior ædes,
Edita Simplicio Tiburte, ut carmina monstrant.
Haud procul hinc Viti stat Martyris, atque Modesti
Instaurata ædes a Sixto præsule quarto;
Hic ubi pars urbis cognomine dicta Macellum
Stat Libyæ quondam Sanctorum a strage cruenta.
Stat prope, qui gladio jugulavit utrumque parentem
Inscius, annosa, modicaque excultus in æde.
Stant ubi nunc Marii Arpinatis bina trophæa
Disjecta a Sylla, instaurata a Cæsare rursus,
Nunc mutilata tamen, capitumque carentia formæ:
Hic ubi aquæductus confracto fornice surgit,
Lapsa fatigatis ubi Martia desinit undis.
Nec procul a tergo Bibianæ cernitur ædes,
Corpus ubi, & sanctæ requiescunt virginis ossa,
Olim Simplicius quam Papa erexerat ædem.
Quam prope, & a tergo moles ad sidera surgit,
Atque ruinosæ culmen testudinis amplum.
Porticus hæc ingens, & regia sacra putatur,
Quas Augustus avus, Caii, Lucique nepotum
Condidit in laudem, monumentum, & pignus amoris,
Ut Tranquillus ait: post Pantheon altera tecta.
Quamvis esse putent thermas ea mœnia quidam,
Illorum vulgo corrupto nomine dictas.
Hinc senis Eusebii trahor ad spectabile templum,
A tergo cujus longo discrimine, Cauros
Versus Hyperboreos, inter vineta videntur
Signa vetustatis vitio temerata caducæ,
Quæ plerique domos, ejusdem & principis altas
Esse putant thermas, cujus fuit inclytus arcus
Ille triumphalis spoliis & onustus opimis
Altius effossus dudum a radicibus imis;
Campus ubi Exquilius patet, inter limina portæ
Appositæ Aggeribus, quæ nunc est clausa, vetustis.
At qui nunc campus Vivari nomine dictus,
Brutorum quod ibi fuerunt vivaria quondam,

Stabat in Exquiliis sublimis Regia Tulli;
Regis mox ubi detestabilis aula Superbi,
Cujus in hoc agro vestigia multa supersunt
Antiquorum operum. Tellus ubi pinguis adustis
Facta cadaveribus, defunctorumque sepulchris.
Mox ubi Mæcenas excultos condidit hortos.
Sic tandem Exquilias mutata sorte salubres
Reddidit, & cœlo longe meliore colendas.
Cum prius inficeret jam totam fœtidus urbem
Exhalatus odor bustorum, & nausea vehemens;
Tabifici cineres, ustrinarumque favillæ.
Hic ubi Virgilii vatis domus illa Maronis
Extitit, ingenio, doctisque ornata Camœnis.
Quis tibi rite potest jam dignas dicere laudes,
Musarum splendor Latiarum, & gloria vatum?
Imminet Exquiliis prope thermas Maximiani
Mons cœlo assurgens, cunctorum altissimus urbis,
Mæcenatis ubi fuit illa altissima turris,
Ex qua Roma omnis prospectabatur, & omnis
Undique quantus erat spectabilis ambitus urbis;
Qui mons nunc vulgo super Aggere dicitur, unde
Impius ipse Nero Trojana incendia lætus
Scenica decantans spectavit in urbe Quirini;
Nam dirus princeps offensus flexibus urbis,
Exosusque situs, veterumque angusta viarum,
Urbem omnem incendi jussit spirantibus Austris,
Omnem reiiciens in Christi dogmata culpam,
Persuadens populo Romam incendisse latenter.
Mons hic Exquilius reliquis cum montibus urbis
Præter Aventinum finitur vallibus imis;
Nam quota pars urbis pomœria tangit ad Euros.
Inde Quirinalis sequitur mons nomine dictus,
Vel quod ibi templum fuerit quandoque Quirini,
Vel quod eum montem prisci coluere Quirites,
Cum Duce qui Tatio Romana ad bella profecti.
Rex ubi Pompilius consedit, Regia donec
Laomedonteæ fieret prope limina Vestæ,
Sub gelido quondam nemorosi monte Palati.

Ipse

Ipse Quirinalis gelidos porrectus ad axes
Plurimus ad lævam Mavortis prominet agro:
Hic ubi nunc Roma est campo diffusa patenti,
Hinc per radices, & per pomœria priscæ
Urbis habet metas, & lævis mœnibus urbis,
Viminaeoque jugo, thermisque in colle propinquis.
Inde Quirinalem vallem, Vitalis & ædem
Præterit, atque Agathæ templum sublime beatæ
Virginis Ætneæ: secessu gratus amœno,
Ante tibi locus a curis, sanctissime præsul.
Inde per antiquæ vestigia prisca Suburræ
Ad fora deducor quondam pulcherrima Nervæ.
Turris ubi assurgit Comitum sublimis ad auras,
Quas modo distantes modico discrimine turres,
Pontifices summi Comitum de gente Latina
Fundavere ambas, decus, & monumenta suorum.
Altera, quæ major Comitum cognomine dicta est:
Altera Militiæ, quæ surgit ad æthera, turris,
Dicta a militibus qui illic quandoque fuerunt
In statione, fori Trajani in parte suprema:
Hic ubi nunc Comitum interclusa sub ædibus extat
Forma theatralis caveæ, parvique theatri,
Fornicibus densis ab humo surgentibus ima,
Ipsa quibus Comitum curvata palatia surgunt,
Haud procul hinc magni surgebant balnea Pauli,
Jam quoque corruptum vulgo servantia nomen.
Mox Constantini thermarum in parte sinistra,
Hic ubi Pontificis Silvestri Ecclesia surgit,
Exiguus spatio collis consurgit ad auras,
Cujus in extremo sublimis margine turris
Prominet ad Zephyros, semesa, & discolor altis
Rupibus assurgens, & mœnibus addita magnis,
Quæ Constantini thermarum extrema fuere,
Pars nunc altus apex magnæ super alta columnæ
Tecta, celebrato generosæ stirpis, & alto
Assaratti genere exortæ, Martique dicatæ.
Hortus ubi ad lævam Samnis Gargeticus herbis,
Arva Foeni [illegible] Suani:

 Hic

Hic ubi Roma sues mercarier ante solebat,
Extat ibi templum porcorum a nomine dictum.
Montis in hoc clivo stat Saturninus opaco
In luco latitans: nec longe in vertice montis
Tres Constantini statuæ de marmore surgunt.
Stant ubi marmorei, geminique in monte Caballi,
Quos gemini aurigæ nudi moderantur, & illud
Par opus artificum geminorum, & gloria cœli,
Usque ab Armenia quæ munera missa Neroni.
Haud procul ingentes immani mole recumbunt,
Marmorei, geminique senex Achelous, & Ister,
In quorum manibus pleno stat Copia cornu.
Nec longe mons Clatræ, & Apollinis eminet altus,
Tecta Dicarcheæ stant in quo picta Caraphæ
Gentis, Oliveri patris fastigia sacri,
Qui montem excoluit totum, & pomaria fecit.
Post apicem Clatræ, collis consurgit ad auras,
Quo Capitolini Jovis antiquissima quondam
Arx erat, ad pilam, quæ Tiburtina vocatur,
Vatis ubi nasuta domus, lascivaque Marci.
Concava vallis ubi clamosi more theatri,
In quo lascivo Floralia rustica motu
Scorta celebrabant populo spectante togato,
Scorta verecundum trepidantia nuda Catonem.
Herculis in dextro surgebat vertice fanum,
In lævo quondam templum sublime Quirini;
Marmorei unde gradus cœli visuntur ad aram,
Prætoris jussu, cujusdam Insubris Othonis.
Stabat & a Fabio, monte hoc depicta Salutis
Ædes, & Pharii Memphitica templa Serapis,
Hoc via per dorsum directo vertice montis
Protendebatur, quæ Semita dicitur alta.
Hic ubi Dalmaticæ stat virginis ara Sosannæ,
Vicus ubi, & statuæ quondam liventis imago,
Plumbea Mamurii, qui scuta simillima fecit
Cœlesti clypeo, qui lapsus ab æthere summo est,
Hinc versus Boream, & Collinæ limina portæ,
Ima subest vallis, utrinque angusta, profunda,

Mœnibus ex omni parte interclufa vetuftis;
Crifpus ubi irriguos habuit Salluftius hortos,
Uberibus lymphis, & fontibus undique denfis,
Artificum ingenio, e terra manantibus ultro.
Nec procul inde Forum feceffu erexit amœno,
In quo magnarum rerum monimenta locavit;
Namque rapax dudum prætor fpoliaverat Afros.
Stat prope Collinam portam locus editus, alto
Aggere, qui campus Sceleratus dicitur, in quo
Antrum erat obfcurum camerato fornice quondam;
Defuper exiguum tenebrofa luce foramen,
Per quod Veftalis ftupro deprehenfa nefando
Viva fubibat humum populo fpectante frequenti,
Qui veftalem alta terra condebat in antro.
Ac ne forte fame periiffe inclufa tenebris
Illa videretur, fpeluncæ in parte, feneftra
Extabat, qua lactis aquæ, mellifque liquores
Stabant, & parvæ, caligantefque lucernæ.
Donec paulatim fpelunca occlufa fileret,
Mæftaque plebs omnis, lacrimanfque recederet inde;
Hæc erat atra dies, & luctus publicus urbis.
Inde fubit collis lento de vimine dictus,
Aut quod Viminii fleterit Jovis ante facellum.
Hoc in monte tuum fuit, Agrippina, lavacrum,
Perniciem humani generis connixa Neronem.
Quod mox collabens reparavit denique princeps
Helius inftaurans, cui fummo in vertice pinus
Grandis erat, circum ramorum brachia fundens;
Uberibus fecundus aquis, ubi fonte perenni
Rivus erat, tubulis circumfundentibus undas;
Qui locus a vulgo nunc Panifperna vocatur,
Martyr ubi veteri colitur Laurentius æde.
Stat quoque Patritio veneranda Pudentia clivo,
Quod Plus extruxit primus, rogitante forore
Praxede, in collis templum radicibus imis.
Hic ubi Olympiadis, thermæque fuere Neruti,
Hoc in monte domos celebres habuere Quirites;
Marcus ut ille aquila flavum cognomen adeptus,
Qui

Qui de fraude, doloque malo legem intulit ante.
Marcus item Catulus Marii collega triumpho
Cimbrorum, Marcumque orator Crassus ibidem
Tecta habuit quondam: tum læva in valle Quirini
Incoluit sanctas Pomponius Atticus ædes;
Hic ubi Vitalis stat martiris ara beati.
Julius ante diem Proculus qua valle Quirinum
Obvius offendit scandentem limen Olympi,
Quem videt humana majorem incedere forma,
Romanosque suos jus custodire monentem,
Nomine mutato appellari deinde Quirinum,
Inter Cœlicolas numero crescente relatum.
Hac in valle Probæ puteus fuit altus, & ingens
More fluentis aquæ vitreis sanissimus undis,
Parvo ubi dividitur discrimine collis uterque
Usque ad Viminiam directo limite portam.
Parte alia Exquiliis mons hic absolvitur omnis,
Quamvis scriptores dictum de vimine collem,
Atque Quirinalem confuso nomine sonant
Ambos Exquilias inter, collesque vetustos.
Roma sibi montes, quibus edita surgeret ante,
Elegit tantum velut arcis culmina septem;
Nam reliqui montes excludebantur ab urbe;
Collis ut hortorum dictus cognomine Pinci;
Inde senatoris, qui illic habitaverat olim,
Cujus in extremo, celsoque cacumine surgit
Dimidiata ædes, gravibus collapsa ruinis;
Magna prius moles, quam sphæricus ambiit orbis
Bardocucullati prope, quam nova dogmata Galli
Stant anachoritæ, jejunia crebra domantes,
Regibus a Gallis domus illic edita nuper,
Antiquam juxta Felicis martyris ædem.
Colleque in hoc cineres, & principis ossa Neronis
Condita, qui mortem sibimet conscivit acerbam.
Gentis ubi ipsius monumentum in colle vetustum,
Et circumseptum Thasio de marmore totum,
E Martis campo quod cernebatur aperte.
Colle sub hoc ædes celeberrima Virginis almæ

Ad

Ad Flumentanæ consurgit limina portæ,
Quam Sixtus quartus quondam instauravit, & auxit
Mœnibus & forma, Populi cognomine dictam.
Plurimus hic collis Mavortis prominet agro,
Unde patres niveis induti vestibus ibant
In Martis campum, Romanaque Septa Quirites,
Empta magistratus dum per suffragia quondam
Corruptis peterent blando custodibus auro.
Hic ubi mons parvus surgit tellure regesta
E fundamentis vicinæ Cochlidis imis,
Atque obeliscorum qui sunt tellure sub alta
Nunc ibi submersi, mons Acceptorius ipse,
Sive Citatorum corrupto nomine dictus.
Tres numero similes terreno ex aggere montes
Nunc ubi Roma est, existunt, hic unus & alter,
Parvus item collis cognomine Cincius, inter
Labentem Tyberim, Judæorumque plateam.
Protinus Ursinæ gentis clarissimus ille
Mons Jordanus, ubi claros posuere penates
Ursini proceres, belloque, ac pace potentes.
Inclita progenies diffusa prole per omnem
Ausoniam, magnisque viris heroibus Urbis.
Unde genus ducis maternum, maxime Præsul.
A quo jam veteres leges, & pristina jura,
Muneraque & longe majora, & plura recepit
Reddita Roma sibi Romani præsulis aura.
Stat modicus spatio, sed fama, ac nomine magnus
Vaticanus apex, Phœbo sacratus, ubi olim
Auguria Etrusci vates captare solebant
Ilice sub gemina, condentes fata, vicesque,
Ac mundi sortes; ubi nunc sublime cacumen
Sedis Apostolicæ, quæ præminet omnibus una.
Per quam terrarum, & cœlestia quæque geruntur
Munera, fatidicas ubi Vaticanus Apollo
Reddebat sortes alta celeberrimus æde.
Hic ubi piscator de piscatore supremus
Præsul honestatus cœlesti numine Petrus,
(In quo summa extans Romana Ecclesia surgit)

Vaticana jugo meruit sibi templa locari.
Hæc est illa frequens, & patribus inclyta summis
Regia terrarum, totum celebrata per orbem,
Clavibus ætheriis, & cœli numine, sedes,
Relligionis habens, & tuta piacula vitæ.
Quam sibi Pontifices sedem elegere supremi.
Ipse quibus faustis successibus, optime Præsul,
Dive Leo, nuper Roma plaudente locatus
Sede sedens sacra succedis, vectus in ædem
Clavigeri magnique senis, sublimeque templum,
In quo sanctorum tot condita sacra, tot urnæ,
Totque ex ære fores, tot densa sacella, tot aræ,
Totque Jugurthinis, Libycisque excisa metallis
Saxa, rubensque silex punctis interlitus albis,
Et Lacedæmonii de rupe virente Lycurgi,
Atque tot insignes peregrina ex caute columnæ
Ingentes, parvæque, & marmoris arte decoræ.
Arbor uti myrrhæ surgentes stipite curvo,
E quibus una omnes lymphatos liberat, in qua
Innixum perhibent Christum Salomonis ad ædem,
Dum nova differeret Judæis dogmata duris.
Stat lapidum exquisitus honos ex omnibus oris,
Quem Tibur, quem Luna creat, Liguresque propinqui,
Quem ferri, ac lapidum spectabilis Ilva metallis,
Et quem Cycladibus mittit Neptunus ab altis;
Quorum nunc lapidum vestigia rara supersunt.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine templi,
Atria lata patent, ingens ubi pinea surgit
Forma. Perilleo circumspectabilis ære,
Idæos Phrygiæ sacros imitata tumores.
Porticus hinc surgit, spatiosaque limina templi,
In quibus ære fores nunc, & ferrugine nigra,
Argento quondam radiabant postibus altis.
Ad dextram templi, qua Porta est sancta, locellus
Marmore consurgit, vinclis arctatus ahenis,
Vera Dei facies ubi servatoris imago
Sudore ex atro, squallente nigerrima vultu,
Sacra catenatis penetralibus eminet altis;

Qua-

Qualem candidulo mulier sanctissima velo
Excepit magno Berenice exterrita signo.
Stat caput Andreæ delubri in parte sinistra,
Gregorii magni qua molliter ossa quiescunt,
Quod Constantini devectum ex urbe Secundus
Papa Pius capiens in fornice condidit alto.
Statque una Judæ, & corpus Simonis in urna,
Inter sublimes, ubi prominet ara, columnas.
Stant diversa locis, & clavibus inclita sacris
Ærea Pontificis simulacra sedentia Petri.
Stat Sixto quarto monumenti maxima moles
Ære ex Calliaco fulgens, cœloque Myronis;
Circumspecta sacris, doctisque ornata Camœnis.
Stat quoque qui Sixto successit in ordine patri,
Janua quem genuit, simili conflata metallo:
Altera forma sedens, læva cui ferrea cuspis;
Nam regnante illo vecta est ea cuspis in urbem,
Qua latus effossum crudeli vulnere Christi.
Stat penetrale Sacrum templi majore sub ara,
Quam Constantinus sacratæ conditor ædis,
Argento, & cupro, gemmisque ornavit, & auro,
Muneraque ejusdem largitus plura metalli.
Hic ubi Clavigeri Petri, commixtaque Pauli
Ossa simul recubant, communi tecta locello.
Petre, decus mundi, cœlestis claviger aulæ,
Dexter ades vati surgentia templa canenti
Hæc tua, quæ Julus de Robore Papa Secundus
Incepit, Sixtique nepos ex ordine Quarti,
Italus exortu, patria Ligur, urbe Saona,
Quam tu perficies, Præsul sanctissime, molem:
Sic erat, alme Pater, superis decreta voluntas.
Stat moles duplicis spatium complexa theatri,
Brachia diffundens huc illuc undique longa,
Quæ distincta patent Megarensi condita norma,
Cecropio moderante fabro nova tecta Bramante.
Nec te transierim Juli cognomine Lena,
Ingenio pollens Latio, & virtute togata,
Antiquos superans Musarum munere fabros.

Desine mirari spectator Pantheon ingens,
Quisquis es, & veterum delubra antiqua Deorum;
Atque huc verte oculos, & suspice fornicis altas
Absidas, atque lacus convexo in fornice pictos,
Et caligantem curvæ testudinis orbem.
Aspice Tartareo nova fundamenta profundo
Jacta, fatigatis operum tot millibus: ergo
Hoc opus immensum, cui mons non sufficit unus,
Unica nec rupes, nec cæmentarius unus,
Praxiteles unus, Cous non unus Apelles,
Ac Thrason unus satis est, vel Dædalus unus,
Una Syracosii vel dimensoris amussis.
Forma vetus templi penitus discussa recessit,
Et nova concepta est species, ex arte recenti,
Priscorum superans moles, Ephesique Dianam,
De qua se toties Ephesus jactare solebat.
Mœnia quid referam, quid tecta, quid atria narrem?
Quæ Vaticano fundata in monte videntur,
Symmachus hæc primus vicina palatia Petro
Condidit, hinc alii longo post tempore Patres
Ædificaverunt, coluereque protinus ædes:
Hic ubi Conclavis radiat sublime sacellum,
Legis ubi antiquæ atque novæ pictura renidet,
Quam Sixtus Quartus cœpit, perfecit Julius;
Qui Vaticanas ædes ornavit, & auxit.
Hæc loca tuta parum, primus munita reliquit
Nicoleos Quintus, qui mœnibus ambiit altis,
Struxit, & ornavit pictis laquearibus aulas;
Binaque, ubi fieret res sacra, sacella peregit:
Multa quoque incipiens, eadem imperfecta reliquit.
Prosequiturque Pius, Paulusque, & Sixtus, & Innocentius octavus, qui dextro in vertice montis
In Vaticano secessu condidit altas,
Conspicuasque ædes gelidos Aquilonis ad axes,
Pulchri Conspectus merito cognomine dictas,
Solibus æstivis Cœnacula grata sub umbra,
Strata pavimento, & pictis decorata figuris.
Quæ loca porticibus longis, ceu pontibus altis,

Ædi-

Ædibus antiquis opifex conjunxit Julus;
Collis utrumque jugum superata valle coæquans:
Pensilibusque viis stat pervius additus usus.
Sextus Alexander postremò in vertice turrem
Addidit antiquis, quæ præminet ædibus, altam:
Cui testudineum perfecit Julius orbem:
Indeque suggestum, quod cœperat ante supremum
Nicoleos quintus structura marmoris auxit:
Hic ubi Pontifices claræ numine dextræ,
Astantis populi commissa piacula solvunt.
Idem secreto deducens tramite cautus,
Pensile fecit iter per mœnia summa coactum,
A Vaticano ad molem Ælii principis usque.
Julius his longe majora exordia rebus
Cœperat æternis, invidit livida Clotho,
Stamina sacra senis praeduro pollice rumpens.
Nec te, transgrediar, fons Vaticane, nec illa,
Quæ nunc spectantur simulacra nitentia circum,
Fons ubi Juleus salebroso e murice surgit;
Dulcibus æquorei ludunt delphines in undis.
Stat Cleopatra super, cubito subnixa gravato,
Serpentis spira; quo concidit ipsa, revincto.
Statque coronatus, glauca projectus in alga,
Incumbensque lupæ tergo Tyberinus, at illa
Admovet ut nutrix infantibus ubera parvis,
Marte satis, quos ipse Deus Tyberinus ab undis
Servavit, parcens dominos violare futuros.
Haud procul arcitenens, formaque decorus Apollo,
Atque pharetratus, cornu qui spicula torquet.
Stat prope Laocoon, innexus membra colubris,
Qui nec opem sibi, nec natis clamantibus ullam
Ferre potest miseris, moribundus, squalidus ore.
Stat quoque cum puero Citherea Cupidine parvo,
Quæ nuda aligero blandis arridet ocellis,
Hesperidum servans pomaria sacra sororum.
Sub Vaticano jam Quinctia prata fuerunt,
Paupertate potens, quæ Cincinnatus arabat.
Hinc mons Janiculi consurgit vertice longo,

Regia celsa senis fuit in quo culmine Jani,
Qui moriens etiam fuit hoc in monte sepultus.
Rex ubi Pompilius, longo post conditus ævo.
Hic ubi cum libris reserata est arca vetustis
Secula post aliquot sub vulnere vomeris unci,
Arcaque cum libris combusta jubente Senatu,
Sacra quod his essent inscripta levissima quædam.
Mons hic præcipiti clivo se attollit in auras,
Tybridis a ripis in lævam porrectus, ubi nunc
Crinibus horrescens modica stat Honofrius æde,
Arboribus densis, lucoque umbratus opaco.
Pars illa editior circumdata mœnibus altis
Protinus hostilis belli formidine clausa est,
Ne foret interdum Tyrrhenis hostibus instar
Arcis, & altus apex, & inexpugnabile culmen.
Nunc ubi consurgens Aurelia porta videtur
In dorso montis, qui dicitur Aureus, in quo
Supplicio Petrus Crucis est affectus, in altum
Elatis pedibus, versa cervice deorsum.
Rex Alfonsus ubi, de stemmate gentis Iberæ,
Montis adæquato instauravit vertice templum,
E regione Aræ longo discrimine Cœli.
Transtyberina subest regio cui plurima colli,
Urbsque Ravennatum quandoque vocata, quod illic
Castrorum legio consedit ab urbe Ravenna.
Transtyberina Parens ubi Virgo ingentia tecta
Strata pavimentis habet, & suffulta columnis,
Munere Pontificis primi fundata Calisti.
Qua prius extiterat meritoria parva taberna;
In qua fons olei tellure erupit ab alta,
Perque diem solidum Tyberim defluxit ad usque.
Stat quoque Chrysogoni Romani martyris ædes:
Sacraque Cæciliæ Romanæ virginis ara,
Atque ubi casta Deo fundebat vota, proseucha.
Inter confusas veterum vestigia Thermas
Quadraginta una coguntur martyres æde.
Statque cucullatus sacra Franciscus in æde,
Pauper, inops, modico contentus, & omnia pauper,

Quæ vult, salus habet, tanta est in paupere virtus,
Qua Judæus ager, recutitaque busta videntur,
Æthere sub nudo, pede conculcata frequenti.

De antiquitatibus Urbis Liber secundus.

Urbis apud veteres regionum multa fuere
Nomina cum rebus, præter quas scribo, vetustis;
Carmine quæ nequeunt proferri, & dicere longum
Esset, in his vicos, stationes, castra, cohortes;
Atria, vestibulum, delubra, sacella, plateas:
Quæ fuerint ædes, collegia, Vicomagistri,
Armi, & Lustra urbis, pistrina, macella, tabernæ,
Stagna, lavacra, lacus, piscinæ, balnea, fontes,
Insulæ, & Euripi, nymphea, & compita, ludi,
Et Curatores, habuit quos Roma, locorum:
Strata pavimenta, & pictis asarota lapillis,
Et quæ confusis latitant adoperta ruinis,
Plurima signa, aurum, lapides, & vascula, gemmæ,
Multaque præterea simulacra ingentia, parva,
Dimidiata Deûm, atque hominum, complura ferarum,
Aurea, marmorea, exornata, inculta per urbem:
Intus, & exterius passim diffusa videntur.
Et quæ porticibus, delubris, fontibus, hortis,
Ædibus, impluviis, stratisque admota viarum
Labra, lavacra patent mutilata, vel integra passim.
Temporibus priscis, nisi lintribus Albula parvis
Pervius amnis erat Latiis cultoribus olim;
Qui Latium a Tuscis labens disterminat agris,
Ex Apennino, quo vertice nascitur Arnus,
Nascitur & Tyberis, qui longo flumine lapsus
Quadraginta in se diversos suscipit amnes.
Naris aqua, Fabarisque tumens, Anienis & unda;
Quem dictum constat Tyberini ex nomine regis,
Illic submersi, latroneve nomine Tybri,
Amnis apud ripas quondam exercente rapinas.
Rex Tybris, & dominus fluviorum Aquilonis ab axe
Ingreditur, dirimensque urbem decedit ad Austros.

Nec prius artatus sub pontibus extitit amnis
Collis Aventinus, quam mœnibus additur urbis.
Primus Sublicius pons est, compactus ab Anco,
Sublicibus longis nulla compage revinctis
Clavorum, aut ferri, positis pro tempore lignis.
Ut posset subita novitate urgente revelli.
Mox interruptus pons est a Coclite primum,
Tuscorum a tergo dum sustinet agmina solus,
Armatusque narans Romana in castra refugit.
Quem lapide Æmilius prætor solidavit, & illum
Æmilium de se mutato nomine dixit.
Princeps marmoreum Antoninus condidit, unde
Posterius vulgo retinet de marmore nomen;
Cujus sola quidem nunc fundamenta videntur:
Hæc ubi cymba frequens navalibus applicat urbis,
Qua sub Aventino Caci prius extitit antrum.
Inde Palatinus, montis de nomine surgit,
Sive Senatorum pons longior omnibus unus.
In se nam bifidas Tyberinas excipit undas,
Ponsque frequens olim dum Roma celebrior esset,
In Tuscos, Latiosque iter alternantibus agros.
Hic ubi se geminas scindit Tyberinus in undas
Insula saxorum solidissima molibus extat
Parva, Lycaonia antiqui Jovis insula dicta;
Hinc pons Fabritius, pons Cestius eminet illinc.
Insula curvatæ formam sortita carinæ
Fluctibus ambitur Tyberinis, hic ubi quondam
Templa Jovis fuerant, vicinaque templa nepotis
Phœbigenæ, Stygio manes revocantis ab Orco;
Cui rate devectus serpens Epidaurius hæsit,
Numinis ut Genius, quo pestis ab urbe fugata est.
Nunc ibi Virgo Parens, & Bartholomæus ibidem
Tybridis in ripa, templis venerantur in altis.
At qui nunc Sixti dictus cognomine Quarti,
A quo instauratus pons est, Aurelius ante,
Seu Janiclensis, qui monti proximus esset
Janiculo, faciles aditus adeuntibus urbem
Quæreret, abruptus bellis civilibus olim,

 Unde

Unde nova assurgit via Julia, nomine dicta
Pontificis Juli, qui recto tramite jussit
Jamdudum sterni per littora Tybridis usque
Ad veterem pontem; cujus vestigia sola
Nunc tantum superant medio surgentia Tybri,
Per quem Tyrrhenos accedebatur in agros,
Et Vaticanum campum, Circumque Neronis,
Olim dum partis florebat Roma triumphis.
Integer, & clarus pons Ælius omnibus unus
Nobilior. celebri concursu, & tramite denso,
Alternante vices, Euripi more fluentis.
Ælius hunc Cæsar moli, quæ proxima surgit
Instaurans, pontem conjunxit, ut omnibus esset
Transitus hac, molisque altæ monimenta viderent;
Ejus ubi cinis, Antoninorumque recumbit.
Quæ tormentorum nullis obnoxia moles
Ictibus, hostiles propellit ab urbe furores.
Hic ubi præfulgens apparuit Angelus olim,
Ense cruentato, manifesto numine visus,
Unde recens nomen locus hic accepit ab illo,
In qua comprensus periit Crescentius arce,
Theutonicis quondam cum sese traderet armis;
Unde arx Crescenti appellata prioribus annis.
Quam prior elegit nonus Bonifatius, arcem
Muniit, & turres, & propugnacula fecit.
Mox primo adventu Gallorum nuper in urbem
Mœnibus, & fossis, atque aggere muniit alto
Sextus Alexander, fossis majoribus illam
Duxit, & aggeribus circummunivit Julus,
Et Vaticanum campum cum colle propinquo
Mœnibus amplecti cum decrevisset, eorum
Quæ prius incepit plura imperfecta reliquit
Ipso opere in medio, superas digressus ad auras.
Milvius a Scauro pons primum conditus extat,
Sæpius eversus, sæpe instauratus ibidem,
Flaminiæ impositus Tyrrhenos ducit in agros;
Ponsque frequens, reliquis quamvis pons distet ab urbe:
In quo præclari Ciceronis Consulis arte

Leo

Legati Allobrogum, nocte intempesta fuere
Deprehensi insontes, interceptæque tabellæ,
Conjuratorum fraudes, ac tela repulsa.
Quo Constantini Maxentius arte tyrannus
Concidit & finis datus est civilibus armis.
Roma bonis avibus cum condita montibus esset,
Pingui Roma solo, sed fontibus indiga tantum;
Tum primum externas altis siphonibus undas
Decrevere Patres sitientem ducere in urbem,
Propter aquæductus, quæ post uberrima facta est;
Undarum scatebris sitibunda rigantibus arva,
Atque suburbanos hortos: hinc densa per urbem
Balnea, naumachiæ, pistrina, stagna, lacunæ,
Thermarumque decus, nimphea, lavacraque passim.
Marcia limpidior, cunctisque salubrior undis,
In Pelignorum postremis montibus orta,
Inter dona Deum concessa, cucurrit in urbem.
Rex Ancus primus tentavit, denique prætor,
A quo nomen habet, deduxit Marcius illam.
Præterit hæc Marsos, qua Fucinus explicat undas;
Mox in speluncam demersa, per intima terræ
Viscera delabens, prope Tibur deinde resurgit:
Unde ea concipitur, deducta per absidas altas,
Majorem juxta portam decurrit in urbem,
Exquilios adiens obliquo tramite colles.
Intermissa diu vitiato fornice, tandem
Rursus ab Agrippa reparatur, tempore longo
Post Antoninus Pius instauravit, & amplas
Auxit aquas, fontisque novi nova flumina jungens,
Arcus ut ostendit Taurinæ in fornice portæ,
Fontibus elicitur geminis aqua Claudia, quorum
Alter Cæruleus stat nomine, Curtius alter.
Mixtus aquæductum sed uterque excurrit in unum,
Quem Cajus princeps multa vi cœperat ante,
Claudius absolvit, sed Claudia dicitur unda:
Moxque repurgata, qua curreret apside, rursus
Vespasianus aquam labi curavit in urbem,
Ut spectare licet majoris in abside portæ;

Quam

Quam prope labentem mons Cœlius excipit undam,
Ipsa Palatinam donec se flectit in arcem,
Ac prope Joannis, Paulique elapsa sacellum.
Inter Septodium, Constantinique trophæa
Ejus aquæductus vestigia magna videntur.
Militibus quondam Latiis quærentibus undam,
Conceptam quo fonte sitim restinguere possent,
Ostendit tenues tunc quædam virgula venas
Emanantis aquæ, scatebris humoris aquosi;
Quam lapide octavo via Prænestina notabat,
Unde decens nacta est aqua Virgo a virgine nomen.
Non illum esse reor Trivii cognomine fontem,
Qui Collatinæ currit sub limine portæ,
Ipse licet Naso Juturnæ scribat ad ædem
Virgineum fontem labi Mavortis in agrum.
Fons nisi nunc ille est, Janum qui surgit ad imum,
Cujus aquæductus media scaturire Suburra
Cernitur; at Virgo potius suppressa putetur
Unda, velut reliquæ quæ ducebantur in urbem,
Juturnæ fontem multi, nunc esse fatentur
Hunc, quo Ledæi sese lavere gemelli,
Quod prope jam fuerit communis fratribus ædes.
Montibus ex altis Anio novus, atque vetustus
Fornicibus summis Romam deductus uterque est.
Hunc censor Curius, Frontinus Julius illum
Intulit a divo Nerva Curator aquarum
Factus, aquas omnes labentes, scripsit, in urbem.
Julia, Juleo quondam de nomine dicta
Agrippæ cura, per subterranea primum
Antra, fluens, arcus per summos currere jussa est,
Coctilibus tandem formis pervenit in urbem.
Longinus Tepulam, & Censor Servilius undam
In Capitolinum pariter duxere cacumen.
De Lucullano ceu Claudius Appius agro,
Appia cui nomen, Censor deduxerat undam,
Cujus aquæductus currebat ad usque Salinas.
Post has innumeræ delabebantur in Urbem,
Augusta ut torpens, stomacho non utilis unda;

Et quæ Sabbatiis de stagnis venerat olim,
Cujus aquæductus via nunc Aurelia monstrat.
Extabantque locis sive ex auctoribus undæ,
Montis aqua ut Cimini, Trajana, Aurelia duræ,
Annia, & Herculea, Antonina, & Cærula molles,
Septimiana repens, & Alexandrina nivalis.
Romulei proceres opibus, luxuque fluentes
Ut tepidis bruma, gelidis se æstate lavarent
Fontibus, ingenti condebant fornice thermas,
Omne quibus lapidum decus, ornamentaque mundi,
Gemmarumque faces adhibebant, arte nitentes.
Crustatus paries, diverso ut marmore tecta
Exornata forent, cameratæque absides essent:
Picta pavimenta, & claris Asarota lapillis,
Mulcerent ut luxu animos, curisque levarent.
Stabat Erithræi lapidis transllucida forma,
Stabat fuscus onyx, maculisque insignis ophites;
Stabat & Idæus Phrygii cruor Attydis, & quem
De Palamedea lapidem fert cymba Carysto:
Et quem tum Cyclades, vel mons mittebat Hymettus;
Stabat purpureus punctis Mareoticus albis.
Atque Terapnæa viridis de rupe Lacænus.
Ac prius Agrippæ fas est de nomine thermas
Dicere, quas egit spatioso Martis in agro,
Post Jovis ultoris, cognomine Pantheon, ædem,
Quarum magna licet vestigia cernere passim
Ad medium conversa diem diffusa per hortos,
Amplaque nobilium, Romanaque tecta Quiritum,
Portia ubi domus, & lenarum, & rustica surgit,
Cæsariæque ædes, Ursina relictaque tecta.
Qua patet Eustachii sacra & venerabilis ædes,
Thermarum apparent vestigia magna Neronis.
Quas & Alexander Cæsar reparavit iisdem,
Sive novas, dictasque suo de nomine fecit:
Quarum confusas non est discernere moles.
Hic ubi nunc ædes Medicæ, pater optime, surgunt,
In medioque urbis sua prisca palatia centro;
Qua regione olim gens consedere vetusta,

Lin-

Lingones, & Bardi miſcentes nomen utrinque,
Unde platea vetus retinet cognomen ab illis.
Stat diffuſa Titi cognomine Veſpaſiani
Thermarum moles, cujus fragmenta videntur
Inter ſacra ſenis delubra, & vincula Petri,
Martinique ædem, Clementis, & Amphitheatrum.
Nunc ubi cernuntur ſublimibus ampla carinis
Antra, & ciſternæ jam ſub tellure capaces,
Laocoontis ubi, & natorum ſigna duorum
Effoſſa, amplexis morientis membra colubris,
Artificum quondam Rhodiorum gloria triplex.
Haud procul Auroram verſus, Taurosque frementes
Thermarum ſuperant veſtigia magna Philippi,
Qua collis vertex vallem declinat in imam,
Qua colitur veteri Matthæus Apoſtolus æde.
Quas alii cœpere prius denſa abſide thermas
Indup ratores, monſtrum crudele Diocles
Abſolvit princeps, a quo ſunt nomen adeptæ.
Molis opus magnæ ſpatio complexus, & ingens
Antrum, ubi ciſternæ ſtant ſub tellure capaces,
Hic ubi Viminius collis confunditur altis
Exquiliis, lævaque jugi ſub parte Quirini,
Sacra ubi conſurgit nunc virginis ara Soſannæ.
Hoc etiam dorſo porrecti montis ad Auſtros,
Hic ubi Pomponi Læti domus extat, & ædes
Viſuntur Platinæ, ſibi Conſtantinus ad auras
Erexit thermas. ubi ſunt in monte Caballi
Marmorei, & parvum Cybeles de marmore ſignum.
E regione ſenex colitur qua Sixtus in æde,
Qua via dicta nova eſt, piſcinaque publica quondam,
Nerei, Achilleique ſuper venerabile templum,
Montis Aventini Caracalla in parte locavit
Ingentes thermas, altum ſuperantia montem.
Ad quas depreſſo currebat fornice quondam
Parvus aquæductus, qui cernitur ante Capenam.
Plurima adhuc extant thermarum nomina tantum,
Ut quas Trajanus, quas Cæſar Commodus olim,
Et quas Septimius, quas ipſe Aurelius egit.

Trans

Trans Tyberim thermas æstivo frigore gratas.
Extant & parvæ nunc, & sine nomine thermæ,
Sive lavacrorum, cisternarumque lacunæ,
Intra, extraque urbem, multo squallore sepultæ.
Jamque triumphales arcus, & sacra trophæa
Urbe videbantur tota, dum Roma triumphis
Clara duoum fuerat, spoliisque insignis opimis.
Quorum tres arcus extant candore nivali
In sacra, celebrique via, discrimine parvo
Distantes; olim per quos Tarpeja petebat
Tecta triumphator, summo concepta Tonanti
Vota soluturus, solito de more Quiritum.
Stat Constantini jam proximus Amphitheatro
Arcus civili, superato in Marte tyranno,
Illic ut scriptis epigramma pedalibus extat,
Ac pompæ series, ubi fercula prisca coruscant
Absidis in summa jam fronte, alata videtur
Bina trophæa manu gemina Victoria gestans,
Qua cecidit dirus justis Maxentius armis.
Statque Titi parvus cognomine Vespasiani,
Sed spoliis quondam spectabilis arcus opimis,
Judæis victis Mavorte rebellibus acri;
Gentis ut apparent ibi candelabra, tabellæ,
Aurea cum spoliis & mensa, & fœderis arca
Sacra, Hierosolymis captis, adlata triumpho.
Parte alia fasces sunt, & quadriga regentis;
Fornice supremo Victoria clara videtur,
Quæ penitus titulos, & vires fregit Hebræas.
Extat apud Tulli tenebrosum carceris antrum
Montis Tarpei radicibus editus imis.
Ingens Septimii speciosior omnibus arcus
Surgit ubi terrestre ducis, navaleque bellum
Instructæque acies, tormentaque bellica, currus,
Fulmineusque aries, navesque ad bella paratæ.
Fronte in utraque arcus geminis alata trophæis,
Ornatura ducem Victoria bina Severum.
Est in Velabro prope Janum, & templa Georgi,
Principis ejusdem titulis numerosior arcus,

Rex ubi sacrorum præpingui corpore taurum,
Ob bene res gestas, solennibus immolat aris;
Nam Mercatorum fuit ille Boarius arcus.
Hic ubi nunc Libyæ pars urbis dicta Macellum est,
Ara ubi nunc Viti stat martyris, atque Modesti,
Stat Tiburtinis compactus rupibus arcus
Integer, atque rudis, Galeni principis, olim
Qui se dicebat flecti virtute, nec auro.
Haud procul Odrysii gelidos Aquilonis ad ortus
Inclytus arcus erat, clypeatis undique signis,
E regione situs portæ super aggere Tulli,
Exquilio in campo, cujus Marpesia saxa
Exornant Damasi instaurata palatia templi
Juxta Lucinam, gelida qua martyr in æde
Excolitur Laurens, antiquo Martis in agro,
Extat adhuc arcus senio confectus, & igni,
Quem dicunt Claudj (si vera est fama) Neronis?
Signa ubi Naumachiæ, & thermarum magna videntur:
Nunc ubi Sylvestri celeberrima visitur ædes,
Qua caput inspicitur summi venerabile vatis,
Qui digito Christum venisse ostendit, & ore.
Alter apud Sarræ (superant nam signa) plateam
Eversus Sixti jussu, antiquissimus arcus.
Alter & ante viam stabat, quæ lata vocatur,
Tiburii (ut scriptum est in marmore) pervius arcus,
Dirutus Octavo Genuensi Antistite, nuper
Proxima dum renovat Genitricis limina magnæ.
Nec procul ad Zephyros in eodem tramite surgit
Arcus corrupto cognomine Campilianus.
Et sub Aventino quondam juxta Herculis aram
Marmoreos arcus hausit calcaria fornax,
In laudem Coclitis structos & nomen Horati.
Extabant alii. Fabianus ut arcus; & illi,
Quos de coctilibus fecit barbara vetustas.
Parva theatrorum spectacula prima fuere,
Et compacta levi, pro tempore, machina ligno;
Ductile pro scænis, aut versile pondus habebat,
Frontibus alternis picturas intus inanes

Fron-

Ostendens populis, & spectatoribus urbis;
Pompejus magnus spectacula prima theatri,
Mœnibus erexit solidis Mavortis in agro,
Qui locus a vulgo fertur cognomine Satri;
Quod totum externa decoravit marmoris arte,
Et loca distinxit gradibus circumsona curvis,
Undique diffusis adoperta, obtectaque velis,
Ob pluvios imbres, & hiulco pulvere soles;
Tum mimos adhibet scenis, grandesque cothurnos,
Atque humiles soccos, quos histrio Tuscus aperte
Exprimeret, lætosque daret plebecula plausus.
Extat adhuc caveæ moles diffusa vetustæ,
Quam prope nunc surgit campus cognomine Floræ;
Juxta quem Damasus Laurentis condidit ædem,
Quæ jam collabens, & squallida tota, gravique
Deformata situ, instaurata est denique, & omnis
Prima novæ cessit facies mutata locorum,
Auspiciis renovata tuis, pater ample Raphaël,
Dives. Apostolici custos sanctissime fisci.
Quid referam sacro connexa palatia templo,
Contiguasque ædes meliora in tecta redactas?
A fundamentis educta ad sidera cœli,
Conditaque in centro, clarisque in partibus urbis
Omnia: nil passus formæ superesse prioris.
De Tiburtina stat rupe quadrangula moles.
Stat perpendiculo pennati condita fabri:
Statque Syracosio diametro, & pervia circum:
Ædibus in primis stat porticus alta columnis,
Atria circumdans veluti spectacula bina.
Portarum vario fulgent de marmore postes:
Nulli par forma, ac spatio spectabilis aula.
Stat distincta novis nova contignatio cellis:
Stat facie insignis, quæ servat limina custos,
Pace fruens placida positis Tritonia telis,
Hic ubi nunc ædes & celsa palatia surgunt,
Atque Sabellorum domus antiquissima, claris
Magnanimisque viris, & fortibus inclita dextris.
Stabat ibi antiquo Pietas plebeja sacello,

Qua

Qua nata in matrem functa est, ut Plinius inquit.
Mox ubi Marcelli spectacula fausta Theatri
Condita, quæ locuples Augustus avunculus egit
Nomine Marcelli; nam nomine multa suorum
Condidit, ut molem hanc, Tranquillo teste, theatri.
Quo spectatores spectabant scænica, sicut
In Pompejana cavea descripsimus ante.
Præterea Barbi surgebat in urbe Theatrum;
Sed nec parva quidem nunc ejus signa supersunt.
Extat adhuc ingens, media quod cœperat urbe
Vespasianus opus memorabilis Amphitheatri;
Nunc interruptæ penitus spectacula molis,
Quam Titus exequitur, quam frater perficit omnem,
Post obitum patris, cui successere; sed illud
Cœptum parte domus auratæ stabat, & amplæ,
Qua prius extiterant immitis stagna Neronis,
Assurgebat ubi incomperta mole Colossus;
A quo mox caveæ locus ipse vocabula cœpit,
Unde Colosseum vulgo dixere minores,
Cui spatiosa subest ingentibus area saxis,
Qua super immanis moles solidata recumbit,
Mœnibus exterius ductis ad sidera circum,
Ex Tiburtina compactum caute per orbem,
Paulatim interius se dimittentibus usque
Ad mediam caveæ, qua certabatur, arenam.
Subter humum passim latitabant antra cloacæ,
Et densi fontes, & humo salientibus undis,
Ordine dispositis sitibundæ ad pocula plebis,
Stabant fornicibus simulacra sub omnibus, albo
Undique cælatis gypso, formisque ferarum.
Distinctique gradus circum ad spectacula plebis.
Unde Senatores, Equites, orchestraque tota
Spectarent ludos, caveæ flaventis arenæ,
Sive pares gladios, vel equo certare leonem;
Sive Caledonios Hyrcanis tigribus ursos.
Extat adhuc Statili Tauri vetus Amphitheatrum,
Templa ubi juncta habuit Paphia cum matre Cupido;
Nunc ubi divæ Helenæ surgunt penetralia sacra,

Conspicuis adytis, ubi sancta recondita terra est,
Vecta Hierosolymis, locus unde vocabula sumpsit,
Est ubi pars Crucis, & titulus, compluraque sacra
Urbis ubi ejusdem, & clavorum cernitur unus,
Supplicio affectus quibus atro vulnere Christus,
Fluctibus Hadriacis reprimendis obrutus unus.
Alter equi fræno, galeæque imponitur alter,
Constantine, tuæ, tibi quo victoria parta est.
Aureus in tectis fulgor, magnisque columnis
Sustentata ædes, & pictis strata lapillis,
Quam Mendosensis Petrus renovavit Iberus,
Cardineo quondam sacro decoratus honore.
Ampla Foris inerant, spatiosaque jugera priscis,
Conditaque illa locis non deterioribus urbis,
Nobilium statuis circum exornata virorum.
Causarum primumque Forum, & venale fuerunt.
Mox procerum luxu leges superante severas,
Quisque suo Fora cognomento erexit in urbe.
Quorum nunc etiam vestigia magna supersunt.
Romanumque Forum primum describere fas est;
Inter Tarpejum, spatiosa in valle locatum,
Atque Palatinum montem, sub rupibus altis,
Qua rupes Pallara patet, templumque Georgi:
Est ubi planities, qua Consolatio divæ
Virginis apparet, divinaque gratia templis.
Omnis ea interior tellus sub carcere Tulli,
Stat Latium complexa forum, Romanaque rostra,
Centum ubi namque viri causas prudenter agebant.
Stabant Rostra foro patribus celebrata severis,
De consultandis ubi summis concio rebus.
Nam locus hic olim cunctis celebratior Urbis,
Quem circumsteterant septem mox quinque tabernæ.
Fixa columna foro stetit hoc spectabilis, unde
Quæque via auspicium sumebat itura per orbem.
Nunc ubi tres extant una compage columnæ,
Atque sub oppositi nemoroso monte Palati,
Curtius ante lacus fuit, & telluris hiatus
Ad manes imos; eques in quem Curtius, unus

Ci-

Civibus e cunctis, a Postulione petitus,
Se dejecit, equo existens, armatus, & ultro.
Terra coit, fata implentur, pestisque fugata est,
Propter quam Stygio sese devoverat Orco,
Solus pro patria, dubiaque salute Quiritum.
Illa Palatini vergens Aquilonis ad ortus,
Parsque forum spectans Romanum, Velia dicta est;
In qua pastores ante usum forficis, olim
Vellebant ovium lanas, hinc Vellera dicta.
Hic ubi rex Tullus modicas Hostilius ædes
Incoluit primas, ubi sacra penatibus inde
Ara locata fuit, mox consulis aula benigni
Publicolæ, & Catuli, Catilinæque impia tecta.
Haud procul hinc regis præcelsa fuisse putatur
Regia Pompilii, & Vestæ spectabilis ara
Sacra, Palatini ad radices condita montis;
Instar ubi Albani surgebat lucus, & ædes,
Quam Numa rex fertur conformavisse rotundam,
Ac terræ similem, quam sphæricus orbis obibat.
Hic ubi Sylvester præsul tellure sub alta
Ore capistratum fertur religasse draconem;
Parva ubi nunc ædes inferni nomine dicta est.
Quam juxta, ac circum nonnulla sepulchra reperta
Nuper, nec dubiis rem confirmantia signis,
Effossæque sacris positæ Vestalibus urnæ.
In quo Palladium, Romanaque sacra, sacello,
Effigiesque Deæ, Trojano condita ritu,
Ignibus assiduis fulgens, ubi Troicus ignis
Luce coruscabat vigili penetralibus altis.
Casta ubi virginitas, intacta, & munda sacerdos,
Pulchra, decens, gracilis, sacrum cui nomen Amata,
Labe carens omni, niveis & candida vittis,
Moribus, & vita satis exornata probatis,
Undique Vestalis Dea quam capiebat in ædem.
Cautum lege fuit, numerum ne excederet ordo,
Nec plures senis admitterentur, & essent
Ingenuæ, incolumes, Italæ, quibus esse liqueret
Vivus uterque parens, non sex minor orta, nec annos

Major habenda decem Vestalis alumna puella.
Cui post octo tamen jam nubere lustra licebat,
Sed cunctis inerat nubentibus exitus ater,
Pessimus at stupro deprehensas quasque necabat.
Stabat Ledæis templum commune gemellis,
Communi & titulo, quibus erexere Quirites.
Hi quia sudorem abluerant in fonte propinquo,
Nec noti juvenes, Jovis est ea credita proles.
His quoque contiguam possedit Mulciber ædem,
Ante fores cujus celeber scyphus ille pependit,
Martis ubi expositi pueri divina propago,
Matre gemellipara Vestali natus uterque,
Territa vagitu Tyberis quibus unda pepercit,
Abstinuitque suos dominos violare futuros.
Namque Palatini montis sub rupibus altis,
Qua colitur martyr Theodorus in æde rotunda,
Illic alveolo expositis lupa fœta gemellis
Ubera præbebat, ceu nutrix, mellaque Picus
Marte satis pueris, volitans ex arbore fici.
(Romula ficus erat ripis affixa fluenti)
Donec vagitum admiratus Faustulus inde
Sustulit, uxorique Accæ mandavit alendos;
Regius is pastor Tyberino in littore versans.
Verum huc usque Tybris tunc divertebat, aquosis
Vorticibus sinuans flexus, & viscera montis
Intima radebat, donec repressus, iniquos
Mutavit cursus, & recto calle cucurrit.
Tarquinio reprimente sinus cognomine Prisco.
Mox intra ripas Agrippa coërcuit illum,
Ripa in utraque gravi saxorum mole locata,
Quæ Tyberim attingunt, binis a mœnibus urbis
Unde urbem ingreditur, labensque recedit in Austros.
Hic ubi marmoreo moles quadrangula Jano,
In Velabrensi surgit regione propinqua,
Hac in parte forum Bovis a cognomine dictum est,
Quod bovis hic olim simulacrum ex ære patebat:
Vel quod ibi fuerit celebrata boaria merces,
Arcus ut ostendit prope limina sacra Georgi.

Hæc loca sæpe prius restagnans vallibus imis
Albula turbabat, refluis non pervius undis.
Unde locus veteris Velabri nomen adeptus,
Quadrantis pretio quod velatura daretur,
Insudata seni sulcanti stagna Charonti,
Qui rate suspectos ripa ulteriore locabat
Montis Aventini, Victoris ubi Herculis ædes
Mox fuit, indigenam quod ibi prostraverit olim,
Semiferumque Cacum latebroso victor in antro.
Nec procul hinc fuerat, quæ Maxima dicitur ara
Numinis ejusdem, quondam celeberrima votis.
Unde canes, muscæque aberant formidine clavæ,
Quæ posita ad postes limen servabat opacum:
Hanc Sixtus quartus quondam a radicibus imis
Funditus evertit qua nudo corpore signum
Effossum fuit, & Tarpejo in monte locatum
Conservatorum dextra intra limina tectis,
Æreus Alcides, & clava notus aliena.
Stabat ab Æmilio quondam venerabilis ara
Structa Pudicitiæ, Tyberi vicina fluenti,
Hoc & sacra foro olim subterranea Consi
Ara, ubi res tacitæ, fidæque silentia linguæ,
Decernebantur scrutanti incognita plebi:
Namque is consilii Deus, ad consulta vocatus,
Ad quem descensu descendebatur opaco.
Cuncta licet gradibus divorum limina multis,
Aut saltem ternis conscenderit ipsa vetustas,
Plutonis, Consique Dei sola abdita terræ
Limina, quandoquidem debent arcana latere,
Consilii ne fama prior, quam facta liquescant.
Surgit Anastasiæ qua nunc templum, ante patebat
Sacrum Argiletum, Argiletanæque tabernæ.
Inde forum extabat, cui nomen oluscula præbent,
Præterlabentis vicino in littore Tybris,
Templum ubi Fortunæ, & Matutæ sphæricus orbis,
Fastorum libris ut Naso probare videtur.
Hæc Ægyptiacæ Mariæ sub nomine sacra,
Altera juxta ædes Stephano sacrata, rotundum

Qua regione habuit Spes admirabile templum.
Hoc affixa foro Lactaria parva columna,
Ad quam lactentes deportabantur alumni.
Hinc fora contiguis inerant Piscaria mensis,
Sub Capitolini radicibus edita montis,
Inter honoratam, cui nomen porticus, ædem
Virginis æthereæ, templumque insigne Georgi.
Stabat in urbe forum sanctæ post limina Pacis,
Nomine Palladium, clivosi in parte Palati,
Surgit ubi Andreæ Pallaræ nomine templum,
Nomine corrupto, quidam ut sentire videntur.
Pacis ubi est ædes a principe Vespasiano
Condita, juncta Viæ celebri cognomine sacræ.
Hic breve, sed pulchrum fundatum a Cæsare quondam
Dictatore forum, cujus brevis area multis
Milibus empta fuit, statuis sed magna decoris:
Inter quas sibi loricatam ponere jussit
Cæsar, & edomiti simulacra gementia Rheni.
Inter magnifica, & clara ornamenta vetustæ
Urbis, in urbe forum fuit hoc, ut Plinius inquit;
Quod prope Pontificis fuerant, & Cæsaris ædes,
Pauper cum modicas habitaverit ante Suburræ.
Hic ubi cum Cosma colitur Damianus in æde,
Quam Felix quartus condens decoravit, ut extat;
Et qua Faustinæ, Antoninaque porticus alta,
Ac mutilata patet, sublimibus alta columnis,
Augusti complexa forum, brevis area quondam,
Civibus auferret ne possessoribus ædes.
Tanta erat in cives clementia principis ampli.
Ultor ubi Mavors Geticis horrebat in armis,
Castor ubi & Pollux, etiam victoria magni
Regis Alexandri, bellique insignia, & ipsa
Effigies juvenis, Cous quam pinxit Apelles,
Corvinique caput vindexque in casside corvus.
Inde forum Nervæ surgit post tecta beati
Martyris Hadriani, conclusum mœnibus altis;
Hortus ubi ad lævam Samiis uberrimus herbis.
Ad reliqua hoc urbis stabat fora transitus uno

Per-

Pervius, unde forum cognomen, ut autumo, sumpsit.
Lamina fulva nitens. Orichalchi summa tegebat
Hujus tecta fori, proceris fulta columnis,
Lumen ubi ambiguo discernebatur olympo,
Ut perhibent, extant arcus, incisaque Nervæ
Nomina marmoribus, qua porticus inde perusta
Surgit, & Albana paries de rupe quadratus,
Ante ædem Quirici, comitumque cacumina turris.
Non fuit in tota res tam mirabilis urbe,
Quam fuit illa fori Trajani insignis & ampla
Area, mox inter Tarpejum condita montem,
Atque Quirinalem, multoque æquata labore,
Collis ubi quondam se conjungebat uterque,
Verticis excisa postrema parte Quirini.
Ne locus ipse foret spatio contractior æquo,
Neve suo genio defraudaretur, & arte
Summorum artificum, quorum exquisita liquebant
Ingenio, totum ornamenta reperta per orbem,
Et lapidum diversus honos, diversaque signa
Phidiaca cælata manu, celoque Myronis,
Credita non hominum, sed viribus esse gigantum.
Omnia, ubi Cochlidis nunc moles maxima surgit.
Sunt & ab eventu, auctorum vel nomine dicta,
Ut fora Gallorum, pistorum, & rustica, quæ nunc
Nulla extant usquam, sunt & Cuppedinis, & quæ
Committi nequeunt concinne versibus istis.
Regia sacra domus regum stat nomine dicta;
Quæ nequit his numeris proferri nomine Grajo;
Inclita qualis erat præclari regia Pauli:
Qualis porticibus decorata ingentibus olim
Porcia, qualis item surgebat Julia, qualis
Ulpia, marmoribus mox Constantinus in urbe,
Petre tibi, & Paulo, Cœlique in monte Joanni
Condidit; & qualis stat regia virginis almæ
Exquiliis celebrata jugis, præsepis ad antrum.
Stat Pacis templum, quod Vespasianus in urbe
Artificum celeri studio fundavit, & arte
In Sacra, claraque via, sub monte Palati,

Post civile nefas, intestinosque furores.
Extat adhuc templi fornix, pars cetera lapsa est,
In quo plura Titus, Genitorque locavit opima
Dona, Hierosolymis captis, & divite templo,
Argentumque, aurumque vetus sacrasque tabellas
Legiferi Mosis, mensamque & fœderis arcam,
Munera quæque Titus vexit captiva triumpho.
Imminet ad dextram Mariæ sacra Virginis ædes,
Quæ nova dicta, viæ sacræ conjuncta vetustæ,
Quam Leo fundavit dictus cognomine quartus.
Ædis ubi a tergo tellus inclusa sub Euros,
Hortus ubi magnus, moles ubi maxima surgit,
Amplexata pares diversi numinis ædes.
Respicit hæc Zephyros, hæc altera vergit ad Euros.
Illic Pæonia celeberrimus arte, Deusque
Patre satus Phœbo, hic autem Concordia felix
Æde colebatur, prope quam stat Gallica turris,
Gallorum a Bussis corrupto nomine dicta;
Illic nam Gallos a dictatore Camillo
Cæsos strage gravi stat fama fuisse sepultos.
Haud procul hinc altis vicino in monte Carinis
Stabat Telluris quondam spectabilis ædes,
In qua nocturnus quandoque coire Senatus
In rebus solitus magnis, ut Tullius inquit,
Hic ubi Pompei quondam domus inclita Magni,
Libertique ejus, Lenæi ludus & ædes.
Hac regione fuit recidiva, immensaque moles
Aurea crudelis domus admiranda Neronis,
Instar præcelsæ spatiosis mœnibus urbis,
Romam pæne omnem, cum conditur, occupat; unde
Tot privata urbis, tot publica tecta ruerunt
Usque a Septodio inter colles ducta propinquos.
Inde per Exquilias passim diffusa patentes
Ad Mæcenatis tendebat denique turrem.
Jugera multa premens, ubi campi, pascua, saltus,
Et nemora, & pecorum diversa armenta, gregesque
Pascebantur agris, ubi tempestatibus horrens
Æquor, & Euripi, & delphines in æquore nantes.

Stagna, lacus, fontes, piscinæ, labra, lavacra;
Balneaque, & tubulis diffusa unguenta supernis,
Atria ubi, magnæque ædes, & porticus ampla;
Cujus vestibulo magnus stetit ille colossus,
Cujus adhuc etiam fragmenta videntur in urbe.
Cetera namque domus gemmis radiabat, & auro,
Stabat ubi effulgens Arabum de montibus illud
Fortunæ inclusum speculari luce sacellum,
Intima pars cujus foris apparebat, ut intus.

Curia, quod curet divina humanaque dicta est,
Ut vetus & Calabra, atque ingens hostilia Tulli,
Et cum Tifata Pompei curia magni;
In qua dictator confossus vulnere Cæsar,
Spurinæ vocem cum sperneret idibus illis,
Ipse quibus cecidit, Bruto assertore vetustæ
Regibus exactis, jam libertatis avitæ.
Terna Senatorum patuere Senatula primum
Auri nomen habens, pr pe rostra antiqua secundum
Flaminio in Circo, Bellonæ ad templa furentis.
Extra portam, aliud Mavortis in æde, Capenam;
Tum matronarum postremum in monte Quirini.

Porticibus tum magnus honos, & amœna voluptas,
Gratus ubi incessus quondam, & gestatio mollis.
Altera pars umbras, brumales altera soles
Excipiebat, iter producens tramite longo,
Ordo columnarum per quas longissimus ibat.
Livia qualis erat tractu gratissima lento,
Sacræ juncta viæ, celebres ubi Cæsaris ædes
Dictatoris erant, mox Flavia limina Pacis:
Bina locis binis Octavia porticus, una
Juxta Marcelli, quod scriptum est ante, theatrum,
Altera Pompei caveam prope, diruta tandem,
Rursus ab Augusto fratre instauratur ibidem.
A Pompejano, quæ Pompejana, theatro
Porticus auroram versus porrecta patebat,
Mœnibus effusis, & densis fulta columnis;
Cujus adhuc extant etiam vestigia quædam,
Hic ubi sacra Rosæ cognomine dicitur ædes,

Judæam juxta sunt altera signa plateam,
Porticus a vulgo quæ Pompejana vocatur.
Haud procul hinc extat Piscaria nomine dicta
A salsamentis & piscibus, æmula merces.
Surgit ubi titulis, & nomine parva Severi
Porticus, ante ædem illius, qui pensitat æqua
Lance, graves scelere, & diuturno crimine manes;
Sed piscatores non æquo pondere pisces.
Stabat Flaminio vicina Corinthia circo
Porticus ære olim pretioso insignis Achæo.
Claudia diffusas fundebat porticus umbras,
Alta peregrinis, & magnis densa columnis.
His longe plures surgebant ante per urbem,
Namque columnarum fragmenta videntur ubique.
Inter Aventinum collem, montemque Palati,
Murcia vallis inest, priscum cui Murcia nomen
Nympha dedit quondam, quæ versabatur ibidem.
Mox ubi circuitu longo ad certamina, circus
Maximus efficitur, cui nomen Maximus inde
Extitit, hic ubi Circenses cognomine ludos
Roma celebrabat, dum res Romana vigebat.
Ambitus hic totam capiebat circiter urbem;
Interior gradibus locus exornatus, & auri
Colla pavimentum decorabat, & ambitus omnis
Heroum statuis circumdatus, atque columnis.
Tres circo in medio stabant Samothracibus aræ,
Ad ternas tria signa pares affixa columnas;
Unaque diis magnis, diis una Penatibus ara,
Tertia diis cœli, & terræ, quibus omnia constant
Orta, Deos magnos illos Samothracia fatur.
Roma suos genios, custodes, atque penates,
Quos tulit in Latium secum Sigæjus heros;
Quos multo Latium quondam decoravit honore.
Stabant & circum clarissima templa Deorum;
Stabat ubi divæ Veneris spectabilis ædes,
Quam Fabius Gurges fundavit consule natus.
Stabat Mercurii, pubentis & ara Juventæ.
Extat adhuc caveæ species, & forma vetustæ

Sole

Sola, coaxantes ranas, & oluſcula fundens.
Extat Flaminius medio nunc Martis in agro
Circus, quem trito cognomine vulgus Agonem
Dicit, ubi Emporium ſcrutis celebratur emendis,
Mercurii quaque ad lucrum ſurgente dierum.
Hic ubi Apollinei ſacro certamine ludi
Urbis agebantur populo ſpectante, togatæ,
Extat adhuc ædes ab Apolline nomen adepta,
Quæ ſtadii ſignat juſto diſcrimine metam.
In Vaticana, ad ſpectacula grata Neronis
Circus erat valle, in qua ſæpe auriga ſolebat
Eſſe ſibi princeps, & ſcænica ſæpe referre,
Nunc ubi pinguis ager peregrinis oſſibus albet,
Julia ubi moles Obeliſci ſurgit ad auras.
Hic ubi nunc longo via panditur Appia tractu
Extra urbem ad lapidem, lævaque in parte, ſecundum,
Intima vallis ineſt, tacito ſemota receſſu,
Auroram verſus brumalem, & mole ſub alta,
Quæque Caput bovis agnomento dicta vocatur;
Circus Olympiacis erat in qua longus, & anceps
Flexibus, & metis, & fervidus axe citato;
Cujus adhuc ſtadium, & metarum ſigna ſuperſunt.
Stabant marmorei, fulvove ex ære Coloſſi,
Terrigenum formas ſuperantes ſæpe gigantum,
Ut fuit ille ingens, & clarus Apollinis; & qui
Cæſaris Auguſti templo ſacratus, & ille,
Quem Martis Campo compegit Claudius; & quem
Suſtulit ingentem domus aurea magna Neronis.
Multaque præterea ſimulacra ex ære per urbem
Pulchra videbantur vivo ut ſpirantia vultu,
Nuda, togata, ſolo, vel equis ſurgentia, qualis
In Lateranenſi dorſo ſpectatur equeſtris
Cæſaris Aureli ſtatua antiquiſſima, qualis
Ante domum Veneris Genitricis forma ferocis
Stabat equi, cui prima pedum veſtigia viſa
Unguibus humanis diſtincta: & conſcius ille
Inſeſſoris equus patiens niſi Cæſaris ibat.
Nunc ubi tres extant una compage columnæ,

Roma-

Romanique fori postrema in parte locatæ,
Tres prius, atque decem surgebant ordine junctæ;
Quas super illustris statua effulgebat equestris
Aurea, sacra tibi victor, Germanice, Rheni,
Romanum complexa forum sublimis, & ingens,
Ac Germanorum domitrix victricibus armis;
Sub cujus pedibus Rhenus demissior ibat,
Atque catenatus manibus post terga revinctis.

Quos Obeliscorum lapides spectamus acutos,
Proceros, solidos, quadratæ molis in Urbe,
Rupibus excisos Ægyptia terra ferebat;
Hi ut opum luxus ostentarentur inanes;
Rex qualem Ægypti mira dedit arte Sesostris,
Qui lapis Augusti jussu devectus in urbem est,
Et Martis Campi postrema in parte locatus.
Stabant æquales gemini discrimine parvo
Ambo, Citatorum sub monte, eversus uterque
Nunc, alter partim apparet tellure regesta,
Ignibus exustus confracto stipite toto,
Fusus humi, sub humo totus latet alter opaca.
Omnibus eversis, terraque latentibus alta;
Integer unus adhuc a Cajo principe quondam
In Vaticano sublatus monte videtur,
Qui nunc a vulgo perhibetur Julia Petri.
Sunt duo inæquales, & uterque palude sub alta
Obrutus, in circo, cui nomen Maximus, extat;
Quorum alter toto non usquam visus in orbe est,
Erectus numquam præ magna mole, gravique
Pondere, nam circi partem lapis occupat amplam.
Multi præterea parvi spectantur ubique,
Quorum extant variis fragmenta notata figuris;
Namque characterum tales Ægyptus habebat
Formas, ipsa quibus signabat nomina rerum;
Nam sola Ægyptus quondam hos mittebat in urbem.

Surgit forma teres cochlidum, & procera columnis,
Gesta quibus procerum designabantur opima.
Extat Trajani, Antoninique altera in urbe.
Principis una foro Trajani erecta videtur

A po-

A populo rerum domino, ſacroque Senatu,
Principis in laudem, monimentum & pignus amoris,
Poſt obitumque ejus tanta ejus gratia manſit,
Cujus geſta patent in marmore cochlidis altæ;
Per cujus medium ſublime cacumen aditur.
Altera Martis agro paulo procerior extat,
Ignibus admotis, qualis mutilata, videtur,
Quam Pius erexit quondam Antoninus, ut ejus
Geſta patent circum numeroſa, & clara trophæis.
Donec Saturni felicia ſæcula manſit,
Roma probe vixit, ſine vindice tuta ſevero,
At poſtquam ſcelerum petulans audacia crevit,
Hic ubi Saturni ſteterant prius aurea tecta,
Carcer Tarpejo ſub clivo, nomine Tulli,
Summa in parte fori, media fundatur in urbe
Terribili ſquallore rigens, & fornice petro.
Pars hæc, illa fuit conſtructi carceris ante;
Tullius extruxit, Tullique a nomine dictus
Res Ancus voluit, quem mox ſolidavit, & auxit,
Ad ſcelerum pœnas, ad terroremque malorum.
In quo deprenſis conjuratoribus Urbis
Supplicio affectis a Conſule libera Roma,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit;
Mox Mamertini dictus cognomine carcer,
In quo cum Paulo preſſura compede Petrus,
Quod nunc nomen habet, latuit regnante Nerone.
Carceris ante fores ſimulacrorum immane recumbit,
Nomine Marforius, ſolido de marmore ſignum,
Quem dixere Deum piſtorum, namque tumentes
Marmore ſculpti circumſtant undique panes.
Protinus a tergo Martinæ virginis æde
Extant marmorei vultus, & pompa triumphi,
Cum genitore pio, quem Cæſar Honorius egit.
Alter carcer erat Romanæ plebis in urbe,
Juxta Marcelli coëuntia ſaxa theatri,
Eſt ubi Nicoleos in carcere Regillano,
Quem Regillanus fundavit Claudius ille,
Qui fuit e denis primus collega tribunis,

Et

Et quem construxit, perit hoc in carcere primus,
Dum vim Virginiæ petulans inferre pararet;
Cujus Virginius, gnatæ pater esse peremptæ
Maluit, & castæ, quam vivæ, & turpis alumnæ;
Bibliothecarum fuit antiquissimus usus,
Primus apud Grajos, sed Pollio primus in Urbe
Spectandum dedit ingeniis, ut publica dona.
Protinus Augusti numerosior altera, Phœbo
Sacra Palatino, totum celebrata per orbem,
Post hanc Trajani fuit altera, nomine magna.
Stat Vaticanis nunc ædibus, æmula priscis,
Bibliotheca, novis, priscisque referta libellis,
Munere Pontificum spectanda legentibus ultro;
Quam primus statuit quæsitis undique libris
Nicoleos Quintus; post illum denique Xystus
Quartus honestavit libris, atque ædibus auxit.
Urbis Naumachiæ quondam pro tempore factæ,
Tyro quibus primis exerceretur in annis,
Ingens æquorei certaminis instar habebant;
Illa velut juxta Circum, qui Maximus olim:
Altera crudelis sub nomine parva Neronis;
Tertia, quæ domiti stabat cognomine Calvi:
Qua delectatus sedato pectore princeps
Spectabat pugnas, soles perpessus, & imbres;
Cujus adhuc extat curvatæ forma lacunæ,
Inter Flaminiam, & montem cognomine Pinei.
Stabat Roma cavis, quasi pensilis ante, cloacis,
Regis opus prisci sapientis acumine Grajo,
Quæque vehem capiens fœni sub fornice curvo,
Proluviemque trahens urbis torrentibus ibat
Undique conceptis, ductis tellure sub alta;
Maxima quos omnes in se capiebat, & omnes
In Tyberim rapido eructabat concita lapsu.
Extat Martis agro prope Pantheon alta cloaca
Auspicium sumens, quam Tybridis excipit ingens
Alveus; hanc locuples Agrippa capacibus egit
Fornicibus, pluvios campi sorberet ut imbres,
Exciperetque undas, & restagnantia Tybris

Flu-

Flumina, siquando concresceret Albula nimbis.
Hisque repurgandis, si numquam occlusus hiatus
Fluctibus instaret rapidis, ædilis agebat,
Vel curator opus regerendi occlusa lutoso
Antra cloacarum fluxu, si Tybridis unquam
Alveus immundis obducebatur arenis,
Effluceretve aliquis de tot labentibus olim
Urbis aquæductus, vitiata segnior unda,
Sive ædes sacræ, vel magnæ mœnia Romæ,
Scenarumve gradus, vel publica si qua ruinam
Tecta minabantur, reparabant omnia passim;
Sordida sive luto torperent strata viarum,
Omnia curabant nitido mundissima cultu.
Quis non Septhodii molem admirabitur altam,
Celsa Palatini, Cœlique cacumina montis,
Inter quos surgit, superantem vertice summo?
Sive viis septem distinctam condidit auctor,
Seu septem zonis, Grajo stat nomine dicta;
Terna columnarum nam contignatio molem
Sustentabat, ubi mollis gestatio quondam,
Nunc tantum Paphiis statio tutissima nidis,
Hic ubi Septimii simulacrum immane Severi
Mole superpositum, spectandum gentibus Afris,
Romuleam ex Lybia tum sæpe petentibus Urbem;
Nam genere hic Afer fuit, & cognomine princeps.
Pyramidas primum Memphitica condere tellus
Ostentavit, opum luxu, cinerumque sepulchris;
Extat adhuc Romæ contexta e marmore tota
Juxta Tergeminam portam inter mœnia surgens
Pyramis e multis eversis, una superstes;
Cajus ubi veteri requiescit Cestius urna,
Ex septem quandoque viris Epulonibus unus,
Litteræ ut ostendunt cubitales solis ad ortum.
Multa sepulchrorum monumenta antiqua videntur
Marmoribus spoliata suis, ut diruta nuper
In Vaticano moles altissima campo:
Principis ac Ælii, Tyberi quæ proxima surgit,
Quæ vice Tarpejæ quondam, nunc utitur arcis.

Plu-

Plura viis extant admota celebribus urbis,
Ad dextram, ac lævam monumenta eversa Quiritum,
Appia ut ostendit quondam regina viarum.
Inter Aventinum, Tyberimque, & mœnia Romæ
Mons cognomento, mediis, Testaceus, agris,
Ex figlinarum testis consurgit, & urnis;
Namque ibi figlinæ surgebant ante tabernæ,
Hic ubi diis Stygiis, Summanoque annua patri
Mense gubernantur Taurisia sacra secundo;
At nunc præcipites tauri mittuntur, & axes
Vertice de summo, grave, & irrevocabile pondus;
Quin & carceribus Pisæo pulvere missi
Alipedes agitantur equi ad metam usque ruentes.
Circumstant equitum turmæ peditumque cohortes,
Plausibus hos lætis Roma spectante triumphos.
Haud procul hinc extant inter vineta propinqua
Et sub Aventino, juxta navalia Tybris,
Mœnibus antra cavis, & subterranea tecta,
Centum ubi Romanæ, quadragintaque horrea plebis
Publica triticeæ messis servantia fruges,
Stabant, quæ Siculas, & quas terit area messes
Uberior Libycas, capiebant plebis ad usum.
His quoque littoribus sudabant antra salinis,
Quandoquidem defessa suis oneraria rebus
Exonerabatur quæque hoc in littore puppis.
Hic ubi nunc Roma est latum diffusa per agrum,
Martis erat restans extra pomœria campus,
Totus ab antiquis exclusus mœnibus urbis,
Auguribus priscis recipi prohibentibus intra
Mœnia, Romanus quod Martis sæpius illo
Lustraretur agro Latiis exercitus armis,
Sed cum barbaricis toties eversa ruinis
Roma antiqua foret, spreta jam denique prisca
Relligione patrum, & regno inclinante vetustæ
Urbis, & eversis qui labebantur in urbem
Fontibus & rivis, & aquarum ductibus olim
Hostili fractis dextra, Tyberina fluenta
Commoditate magis, quam cœlo haurire coacta est.

Au-

Auguriis tandem neglectis Roma vetustis,
Montibus ex altis Martis descendit in agrum,
Mœnibus eductis ad ripas Tybridis usque.
Quamvis Romulei deducere mœnia patres
Decrevere urbis, Collinæ a limine portæ,
Per juga ubi colles compendia mœnibus apta
Exigerent, extrema usque ad fastigia montis,
Et Tyberis ripam, qua nunc pons Milvius extat,
Planitiemque omnem concludere mœnibus urbis,
Montibus artatam, & labentis Tybridis alveo.
Ac jam decretum, si non vetuisset haruspex,
Quod nec fas esset sacra intra mœnia tali
Septa patres celebrare loco, nec militis inde
Eligere armisoni ad strages & bella cohortes.
Pars hæc jam tandem, quæ nunc habitatur, & extat
Montibus, & Tyberi circumdata Martis in agro,
Hic atque inde novis productis mœnibus usque
Ad Tyberis ripas clausa est, ne barbarus hostis
Ignibus, & ferro cultos vastaret agellos,
Atque per hos aditus toties invaderet urbem.
Nam sic expositus Martis fuit ante rapinis
Campus, qui totus mox consecratus eidem
Sorte Deo placita, diri post regna Superbi
Regis, in exilium Bruto curante profecti.
Nam rex ante fugam totum conseverat agrum,
Et quas consevit segetes non messuit exul;
Sed plebs ipsa omnem discerptam concita messem,
Ac jam maturam Tyberis projecit in undas;
Unde Tybris mediis in fluctibus insula crevit;
Mox & in effigiem, formamque redacta carinæ
Saxorum mole est, & pontibus aucta duobus
Insula, quo melius sustentaretur, & esset
Transitus hac agilis, breviorque ex urbe vicissim.
Sed redeo ad Martis castrentia prædia campi,
Cujus diffusus late patet ambitus, intra
Antiquos urbis montes, & Tybridis undas.
Sed quota pars ejus servat nunc nomina campi,
Ad Boream vergens, Tyberique admota fluenti

 Hic

Hic ubi nunc Rocchi fas est spectare sacellum
Pauperis, & regum Gallorum e sanguine creti,
Hac in parte ingens excogitat Amphitheatrum
Dictator Cæsar, quod opus mox ipse peregit
Augustus spatio molem complexus eodem,
In Mausolei redigens ea mœnia formam,
Inter Flaminiam, & Tyberis surgentia ripas
Incumbens fluvio, quæ cernitur undique moles,
Sphærica cui forma est, in cujus vertice quondam
Cæsaris Augusti simulacrum ex ære patebat;
Quod circumstabant tumulique, urnæque suorum,
Quæ nunc a vulgo moles Augusta vocatur,
Stabat ubi a tergo lucus densissimus umbris;
Nam circumvectas diversa ex arbore sylvas
Munificus princeps, urbisque, & plebis amator
In magnum populo spatiandi publicat usum.
Ambitus in medio niveo de marmore totus
Circumseptus erat cancellis undique ferri;
Intra cancellos nemus assurgebat opacis
Populeum foliis quod ibi provenerat ultro,
Unde vetus forsan cognomine porta recenti,
Cum templo dicta est nunc Flumentana propinquo,
Ni potius Populo positum cognomen ab ipso,
Cui princeps silvas permiserat ante fruendas.
Juxta Lucinæ templum Mavortis in agro
Ampla basis nuper tellure effossa profunda,
Gnomonis hic fuerat species, & linea signans
Horarum distincta gradus in marmore septem,
Stabat ubi artificis spectabilis arte quaternus
Angulus, unde Noti spirabant quattuor, unde
Linea ventorum totidem distincta per ortus,
Ex opere existens musivo, & lemmate curto,
FLAT BOREAS ubi cernebatur marmore fracto.
Hic ubi nunc cochlidis patet Antonina columna,
Plurima contiguis tectis vestigia circum
Ante videbantur, quæ nunc sunt diruta, præter
Quam nunc ejusdem spectatur principis ingens
Porticus, a vulgo quæ fertur nomine Trullus.

Haud

Haud procul antiquis surgebat proxima Septis
Isis Aristoride quondam servata sub Argo
Inachis, Argolicis forma prælata puellis,
A Jove bos, iterum mulier, reginaque Nili,
Mox Dea facta potens Phario Memphitica sistro,
Et Nasamoniaci sapientis Osiridis uxor.
Hinc e carceribus spatio certamina curvo,
Ac stadio celebres exercebantur equorum
Flexibus Eleis, & Equiria nomine ludi;
Hic ubi Virgo parens ad Equiria possidet ædem,
Antiquum servans corrupto nomine nomen.
Ipse suo campo Mavors certaminis auctor
Per septem metas aurigam urgebat, & axes.
Haud procul ad Zephyros celebris patet inde platea,
Surgit ubi Ultoris Jovis admirabile templum,
Forma quod absolvit convexo sphærica tecto,
Agrippæ auspiciis erectum, ut Plinius inquit.
Area lata subest spatio diffusa profundo,
Qua super alta ædis moles solidata recumbit,
Vestibulum ante ingens, inter nymphæa leones
Marmaridæ gemini recubant, delubra tuentes.
Hic ubi jam Cybele cum natis omnibus una
Æde colebatur, quæ Pantheon inde vocata est;
Mox impetratam Romano a principe Phoca,
Christiparæ matri, Marsus Bonifacius ædem
Dedicat, ipsa ubi cunctorum regina Deorum,
Alma Dei colitur Genitrix; & Martyres omnes,
Sanguine qui fuso sortiti limen Olympi.
Ante fores templi stat porticus alta columnis.
Nomen ubi Agrippæ stat Consulis, atque Severi,
A quo mox labens, fuit instaurata subinde.
Stant ex ære trabes tecti, stant ostia templi
Ejusdem Agrippæ cura, qui condidit ædem,
Quæ tota interior nitet incrustata tabellis
Marmoreis, quas alta Paros, rupesque Lacæna,
Quas porphyriacis tellus Mareotica venis,
Quas & ager sitiens misit de rupe Micipsæ.
Stant circum ingentes, interque sacella columnæ

Hisque Syracosio capita insignita decore.
Statque pavimentum diverso marmore fulgens,
Cujus enim spatium mensura constat eadem,
Undique per longum, quantum suspectus ad altum
Culmen, ubi os ingens auras admittit olympi;
Unde lacus curvos testudo exasperat ampla
Undique quadratos convexi fornicis orbe:
Qua patet impluvium media testudine templi,
Cujus tecta nitens argentea lamina texit,
Nunc ea liventis circumdat lamina plumbi;
Hac vice tectorum facta Constantis ephebi
Jussu, Bistonia Constantis ab urbe profecti,
Qui Romam veniens templum spoliavit, & urbem.
Nec procul hinc quondam Bonus hoc Eventus in agro
Stabat, ubi auspiciis eventus, & alea rerum
Expectabatur, donec manifesta paterent
Signa futurorum dubio nutantia voto.
Stabat & antiquo clypeata Minerva sacello
Nota Meduseo crine, & fulgentibus armis,
Juxta quam divæ genitricis Virginis ædes
Cernitur, armisonæ cognomine dicta Minervæ.
Stabat Martis agro dictus locus ante Terentus,
Quo nunc quisque suo lapsu centesimus annus
Sacra retractatis cernebat publica votis;
Atque ubi Tartareus Dis, & Proserpina conjux
Templa habuere pari titulo tellure sub alta;
Olim: nam quoties urbs lustrabatur, ibidem
Nomina nascentum, morientumque omnia in urbe
Ordine quæque suo describebantur in albo.
Stabat arenosi inter restagnantia Tybris
Tum Capreæ celebrata palus, ubi conditor urbis
Armatos lustrans nusquam comparuit ultra.
Vana superstitio postquam cessavit avorum,
Et nova relligio, Christo sub principe summo
Atque salutifero, toto surrexit in orbe,
Condita templa Deo sacro mundissima cultu
Una velut genitrix Ecclesia, primaque sedes,
Et caput extollens, Romana, ad sidera cœli,

Jura

Jura datura aliis totum diffusa per orbem:
Extant & sacræ, præter quas scripsimus, ædes,
Nulla vetustatis referentes signa per agrum
Martis, ab antiquis patribus fundata, sacrisque
Urbis præsulibus, veluti quam maximus ædem
Papa olim Paulus Venetus reparavit, & illam
Pontificis summi fundatam munere Marci,
Marce tibi aligeri sub imagine culte leonis,
Et quod pictura templum exornavit, & auro,
Adjecitque domos, & magna palatia circum,
Ima in parte fori Trajani, & rupe Tonantis.
Extat item, Xystus qualem instauraverat olim,
Una ubi bisseni venerantur Apostoli in æde,
Quam Constantinus princeps fundavit, & ipse
Tertius eversam reparavit Papa Joannes,
Circumquaque novo spatio, nova mœnia Xystus
Protinus in morem munitæ condidit urbis,
Colle sub antiquo, celsa sub rupe Quirini.
Proxima Marcelli stat tectis ara paternis,
Ipsa ubi jam stabulis prius inservivit equorum
In regione viæ veteri cognomine latæ,
Quam prope diva parens renovata visitur æde;
Hic ubi delituit divus pro tempore Lucas,
Pinxit ubi formam, quæ illic est Virginis almæ.
Sunt & parva suis delubra auctoribus orba
Prætereunda mihi lato Mavortis in agro,
Sed quæ digna extant memoratu scribere pergam.
Nec prætermittens magnum & spectabile templum,
Augustine tuum, renovatum nuper, & auctum;
Quod Rothomagensis pater instauravit, & altis
A fundamentis condens erexit ad auras;
Nam fuit ille potens pater, & ditissimus heros.
Stat prope Flaminium Circum spectabilis ædes,
Quam Paradinensis, patriaque Alfonsus ibera,
Ac Nosocomium conjunctum condidit ædi,
Dux Jacobe, tibi, gentisque assertor Iberæ.
Hic ubi gymnasium media spectatur in urbe,
Musarum studiis, & pubertate decorum,

Eugenii quarti auspiciis, & munere primum
Fundatum, cui Roma dedit stipis annua dona
Palladias artes illic præbenda professis;
Hæc loca Alexander renovavit Sextus, & auxit,
Atria porticibus designans ampla superbis.
Atque academiacas priscorum more diætas,
Et subjecta suis subsellia docta Cathedris;
Pallas ubi, & Musæ custode sub Hercule florent,
Cecropiis quondam veluti florebat Athenis.
Questa diu Pallas, tecta intermissa tumultu
Bellorum assiduo, posita jam casside, tandem
Te Leo dive petens, Musis comitata decoris,
Alme pater, nostris excellens artibus, inquit,
Quem nos præstantem cunctis præfecimus unum,
Perfice Palladias, hoc solum poscimus, ædes,
Nam te, summe Pater, longo expectavimus ævo.
Hinc post Flaminii spectacula diruta Circi,
Solis ad occasum divæ stat Virginis ædes,
Quam modo fornicibus struxerunt Theutones altis.
Stat quoque contiguum Pacis cognomine templum
A Xyxto quarto erectum, & post bella dicatum
Reginæ superum pollens ad vota sacellum,
Liminibusque frequens tritis, & lumine denso.

Stat Servatoris, lauri cognomine, templum
Jordanum ad montem prædivitis ære Latini
Fundatum Patris, Ursinorum e gente suprema;
Strata pavimento diversi marmoris ædes.
Nec procul hinc Celsi celebratur martyris ara
A fundamentis rursum instaurata profundis,
Clara ubi porrigitur spatio via recta patenti,
Ex Æli ponte, ad nova fundamenta plateæ,
In qua lata Fori signata est area magni,
Ad cujus lævam præclara palatia surgunt,
Quæ quondam Hispanus fundavit Papa Calistus,
Orbis ubi causæ, decretaque sacra geruntur;
Signanturque notis ubi nunc diplomata sacris.
Parte alia moles saxis operosa quadratis
Ex Tiburtina, salebrosa pæne paratur;

Hic

Hic ubi judicii capitalia jura severis
Decernenda manent Creteis sortibus, unde
Libera nec Venus, aut Mars indemnatus abibit.
Hic ubi pectinibus ferri stat martyr acutis
Membra lacer Blasius, Tyberina in fronte locatus;
Haud procul hinc nitidis stat virgo Lucia tectis
Conspicua, & votis, nec non laquearibus aureis.
Plurima templa extant, ædesque, & tecta per urbem
Ac Nosocomia, & collegia sacra virorum,
Vestalesque chori, diversaque dogmata patrum,
Privatæque ædes, & publica limina passim;
Et loca cuncta Urbis, quorum si nomina vellem
Sectari numeris, opus esset Homericus ardor.

ADAMI FUMANI

VERONENSIS.

Sub Effigie Athilæ Hunni.

FAx Orbis ille, incendium, pallor, pavor,
Europa monstrum quem novum genuit parens,
Matris ferus quod carnifex foret suæ,
Qui barbaro superbus ipse spiritu,
Dei Flagellum nomen indidit sibi;
Terris furens satelles irati Jovis,
Per quem fuere sæcla facta ferrea,
Quum quaque motes usque fudit barbaros;
Quo se ore vivens ferre suesset Athila,
Tabella Jovii hæc indicat planissime.

Sub Effigie Totilæ.

Immanis ille, pestis Urbis, barbarus,
Qui barbararum gentium terror, suæ
Ad Ortum ab Occidente fines Imperî
Olim feroci Marte dilataverat;
Qui nostra vastitate cuncta perculit,
Vicos, agrosque, civitates, oppida,
Ritu procellæ, turbinisque acerrimi,
Deo, atque hominibus abominatus Totila,
Hac in tabella pictus, hospes, an vides
Ut sævus, importunus, impotens, adhuc
Stragem minetur ore, cædem, sanguinem?

Sub Effigie Martini Turriani.

Ruebat Eccelinus acer Italus,
Fretus tremenda militum ferocia,
Tremendus ipse diritate barbara,
Urbem superbam, maximam, perlucidum
Sidus togatæ ut perdomaret Galliæ:
Tyrannus Eccelinus ille pessimus,
Illud Deo, atque hominibus infestum caput,
Quotquot fuere, quotque sunt, quotque umquam erunt
Longe Tyrannus omnium teterrimus:
Ab corde cujus exsularat funditus
Fas, jus, pium, rectum, pudorque, æquum, & bonum:
Qui tenera membra parvulorum ab ubere
Matrum revulsa, dissecare per scelus
Mucrone duro suetus ipse durior:
Quin (proh nefas!) & mulierum prægnantium
Extenterare amabat (o dirum nefas!)
Exenterare amabat alvos impius
Horrente scalpro: te nihil, mater, verens,
Lucina, justis quæ vocata partubus
Nitentium audis pia lacrimosas preces:

Quæ

Quæ sæpe sæpiusque repetitæ, illius
Numquam feroces spiritus, numquam feri
Durissimum mollire pectus quiverunt.
Et hoc Patavi novit alma civitas,
Vicinaque illi fertilis Vicetia,
Tuque urbs frequens, vetusta, magna, nobilis
Verona, mater urbium pulcherrima,
Novisti, & ante tu beata Brixia,
Tum facta ab illo urbs omnium miserrima.
Ruebat Eccelinus acer Italus,
Qualis sonantis vis corusca fulminis:
Quum Turrianus ecce vir fortissimus
Martinus, indignatus, ut spumans aper
Lucanus, aut Sabellus, aut Afer leo,
Getula pubes quem veruto perpulit
Exire notis saltuum recessibus,
Clamosa pubes, & Numidicorum canum
Animosa vis latratibus sævis ferit,
Quum colla, & armos vestientibus jubis,
Caudæ flagello identidem graves sibi
Villosa terga verberans iras ciet,
Secumque cæco murmure dubitat ferus,
Quæ prima mordens obterat venabula:
Sic ille, acerbæ ut servitutis imminens
A civibus propelleret jugum suis,
Formidoloso & ipse cinctus agmine,
Virtute fretus exsilit mirabili
Seni incitatus obviam acerrimo,
Primaque pugna vulnerat, vivum capit,
Asportat, inque claustra cæci carceris
Contrudit; ubi post dirus is, diris modis
Squalloreque, ac pedore tetro, pessimis
Suis sceleribus debitas pœnas luit.
Quo pervagante tam beato nuncio
Late per agros Italûm, perque oppida,
Passim puellæ virgines ductis choris
Lætæ canebant voce tinnula simul:
Martine Turriane, Martine inclite,

Tu

Tu liberator urbium, tu patriæ
Servator exstitisti, & omnes omnium
Laudes tulisti: nempe nostra tu omnibus
Nobis dedisti habenda, quum nefarios
Latronis ausus contudisti, & omnibus
Mentem addidisti civibus trepidis tuis:
Tibi & mariti conjuges, & conjuges
Debent maritos, atque utrique liberos.
Debent parentes liberi tibi quoque:
Tibi nos pudicitiam, tibi decus, tibi
Nostram incolumitatem, tibi jam denique
Nos nostraque en debemus hæc tibi omnia.

Sub Imagine Canis Scaligeri.

Scaliger, anne tua istæc, Canis inclite, imago est?
O cari capitis cara mihi effigies.
Illene tu, profugis quondam qui vatibus unus
Portus eras, arx, spes, præsidium, columen?
Gaude, heros redivive, heros bellique domique
Illustris, juncto viribus ingenio.
Ecce tibi ut veteres Jovius renovavit honores,
En te ut honoratis junxit imaginibus!
Macte, tuum tersa nitidum rubigine nomen
Factum, jam poterit nulla abolere dies.

De Francisco Carmagnola.

Sedula apis veluti maturis advolat uvis,
Ut liquido vacuas distendat nectare cellas;
Ad te sic mea se celeri tulit impete Musa,
Bellica quem ad magnos virtus evexit honores,
Francisce, æternum pietas per sæcula nomen
Cui peperit; cuncto procerum quum adstante senatu,
Ac magnis una tecum de rebus agente,
Ad scabrum haud veritus confestim exire parentem es,
Fortiaque infirmo circumdare brachia collo.
Scilicet hoc unum malit, quam mille referre

Ge-

Gesta tua præclara, & victo ex hoste trophæa,
Magnorum decus Insubrum, Dux inclite, tandem,
Orta licet subito fractum te adtriverit ingens
Tempestas, Caurique, importunæque procellæ;
Ne dubita, tua te pietas, tua maxima virtus
Venturo meritis cumulabit honoribus ævo.

In Imaginem Andreæ Gritti, Venetorum Principis.

Ut vigili, doctoque ratis simul acta magistro est,
Undique ut aërii verrant freta cærula venti,
Nec ventos, validasve timet secura procellas;
Credere sed pelago, ac magnis se fluctibus audet:
Sic Duce te urbs prognata mari, sic Principe, Gritte,
Bellorum ut sciret magnos instare tumultus,
Bellorum metuit nullos interrita casus;
Sed Martis dare se magnis cita motibus ausa est.
Ut ratis illa eadem docto si cassa magistro est,
Ut nulli nusquam turbent freta cærula venti;
Et ventos validasque horret malefirma procellas,
Credere nec pelago, aut ullis se fluctibus audet:
Sic Duce te Urbs, bone Gritte, eadem, sic Principe cassa,
Bellorum ut videat nullos instare tumultus,
Bellorum metuit cunctos exterrita casus;
Nec dubiis dare se Martis cita motibus audet.
Ut gregibus tauri, turres ut mœnibus altis
Sunt decori, ut pelago naves cingentibus undis,
Sidera uti radiis internitet aurea Phœbe;
Sic tu, sic Venetûm imperii dum sceptra gerebas,
Notus eras proceres inter, bone Gritte, superbos
Corporis eximia specie, virtute, animisque.
Nostratum o salve Heroum ter maxime: tu nunc
Et nostra posthac semper celebrabere Musa.

Adventante Senectute se totum Deo dicat.

Jam cana rugis asperat
Frontem senecta; corporis
Jam membra facta languida,
Sensim recedens in dies
Vitalis ignis deficit.
Sed hoc quid ad me, fervida
Patris supremi caritas
Me continenter si suis
Fovere pergit ignibus?
Ergo, o beata vivida
Cœlestis ignis flammula,
Magis magis me tu in dies
Fovere perge singulos.
Perge, o beata, perge dum;
Mihi usque perge amburere
Mihi usque perge absumere
Cor, ossa, nervos, viscera,
Venas, medullas, sanguinem,
Ipsamque mentem ac spiritum,
Ut totus ardeam tibi:
Ut atra quum mors frigidas
Afferre mihi volet manus,
Sic, flamma totus, flammeis
Alis Amoris lucidi
Hinc expeditus, ætheris
Altas ad oras subvolem;
Cognata ubi inter sidera
Non jam amplius memor mei,
Unum te amem, ac tua omnia.
Immo ardeam perenniter
Factus sui termaximi
Scintilla parva incendii.

In

In obitum Hjeronymi Fracastorii.

Longe Vir unus omnium doctissimus,
Verona per quem non Marones Mantuæ,
Nec nostra priscis invident jam sæcula,
Virtute summam consecutus gloriam
Jam grandis ævo hic conditur Fracastorius.
Ad tristem acerbæ mortis ejus nuncium
Vicina flevit ora, flerunt ultimæ
Gentes, perisse musicorum candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium.

LEONARDI FUSCI
FOROJULIENSIS.

In Petri Bembi obitum.

DUm vacat, hic patriæ secessus inter opacos,
Quæque aurâ, & multo devia colle placent,
Mecum una indulgens vesano Musa dolori,
Dic age lugubri carmina mœsta sono.
Flendi obitus nobis, & tristitia funera Bembi,
Funera, quæ lacrimis haud decorare nefas.
Quæ doctæ, quæ vos tum causa morata, sorores,
Nec passa Adriacæ est Thetyos ire freta?
Amissum ingemeret Bembum cum Nereis illic,
Ac longe in mediis conquereretur aquis,
Cœruleum os, glaucosque sinus, fletu humida largo,
Canaque rotanti pectora tunsa manu.
Vos decuit magnæ in partem properare querelæ,
Certatim & luctus ingeminare graves:
Nulli

Nulli hic quam vobis mage flebilis occidit, artes
  Quarum studio, & sanctos auxit honore choros.
Sæpe oras olim assuetus lustrare repostas
  Phocidos, atque umbris avia grata suis;
Sæpe juga, irriguique Heliconis fontibus antra,
  Antra nisi a casto non adeunda pede,
Illum ubi victuro ditastis carmine, vestras
  Largius uni omnes & tribuistis opes,
Ut foret extenso quo se Adria tolleret ævo,
  Jactaretque suas vate superbus aquas,
Vate, comas cui non solum, & pia tempora compsit,
  Quæ Cynthi intonso est arbor amata Deo,
Verum a Tarpejo data pilea rubra Tonante,
  Quique nitet roseo murice tinctus apex.
At non infelix istis tibi cultibus, isto
  Ornatu, longum, Bembe, nitere datum est,
Quandoquidem exacto lustri vix tempore, postquam
  Hæc ultro dederat munera Paulus, obis.
Et te non pietas, eheu, tua tanta merentem,
  Non & relligio casta, fidesque fuit,
Priscave simplicitas, ac candor pectoris, ipsæ
  Qualem Sithoniæ vix habuere nives,
Atque æqui semper cultrix, & nescia fœdi
  Criminis, a turpi & mens aliena probro.
Crudeles Parcæ, vestrum si fila colusque,
  Tot dotes, tot non sueta movere bona,
Queis insignem atrox funus nescire decebat,
  Vitare & rapidi tristia damna rogi;
Heu quid vana optem, tumulis quemque occulit imis
  Atra quies, omnes & sua fata manent.
Quamquam, si tenebris aliquà se se eximit, alto
  Nec penitus Lethes obrutus ille lacu est,
Cui decus ingenii quæsitum munere summum
  Viventi, & cultis gloria parta notis;
Scilicet haud totus morieris funere raptus;
  Bembe, tui & magna parte superstes eris;
Clarus & argutos inter celebrabere olores,
  Quos Arnus, quos & Mincius amnis habet;

Nec

Nec sera eripiet latis tua nomina terris,
Cuncta potest quamvis imminuisse dies.
At fama (hanc donec tollet sua penna) loquetur,
Ornabitque magis laudibus, atque magis,
Censentur quacumque sacræ vocalia Cyrrhæ,
Et studia, & lusus, Pieriusque labor.
Sed jam cessandum questu, & lugubria plectra,
Lugubrem nobis fas posuisse lyram.
Sat fletum: atque ipsum tumulum jam condere tempus,
Quem mandat Vati Musa parare suo,
Qua virides crescunt luci, vada propter amœna
Cœlinæ, & summis lapsa fluenta jugis.
Hic etiam extremo ut donetur honore, jacenti &
Structa quoque in nostro stent monumenta solo.
Quîs violam indigenæ inspergant, & odora quotannis
Lilia, vivaci teque, amarante, coma,
Atque alios, quos dat flores, cum vernat aperto
Terra sinu, & cultu jussa virere novo est.

BELISARII GADALDINI

In fœdus ictum inter Principes Christianos.

Clarior en solito exsurgens natalibus undis,
Cynthius afflicto passim nova gaudia mundo
Nuntiat, haud sortis, venturique inscius ævi;
Scilicet ut Reges inter sancita fideles
Fœdera sint hodie Venetam vulganda per urbem,
Surgite io juvenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum foliis, Superumque altaria Divum
Muneribus cumulate piis pro munere tanto.
O quæ fatidicæ nobis felicia Parcæ
Tempora promittunt! o quæ sæcla aurea surgent!
Cum Libyæ extremo devictus Marte tyrannus
Occidet, atque omnes una cum nomine Turcæ.
Cernite, ut ante alios firmati fœderis auctor
Ipse ingens pietate Pius, cui Rector olympi
Turbine in hoc tanto terræ commisit habenas,
Florentes populos inimica in prœlia mittat;
Quot Rex Hispanâ gentes tellure Philippus
Effundat bello assuetas, & fortibus ausis;
Quot Veneti cogant acies peditumque equitumque,
Italaque ut pubes animis ardentibus arma
Arma fremat; raucoque simul clangore turbarum
Et nemora, & silvæ reboënt, collesque supini.
Parte aliâ, innumeræ, leviter spirantibus Austris,
Carbasa tendentes scindunt vada cærula, puppes,
Barbaricamque petunt concordi fœdere classem.
Quis tibi nunc, hostis, cernenti talia sensus?

Quo-

Quove metu trepidas? cum littora fervere late
Prospicias, totumque dehiscere classibus æquor?
Siccine jactabas tete, dum fœdere rupto
Adriacis partem Cypri multo agmine nuper
Cœpisti? tumidusque novo præcordia regno
Non hominum, non ulla Deûm sæva arma timebas?
Jam video Oceano in magno concurrere utrinque
Ardentes in bella rates; classemque rebellem
Funditus everti; vastumque tumescere pontum;
Dum rapido fractas absorbet gurgite naves,
Scuta virûm, galeas, devotaque corpora morti;
Inde Dei classem victricia signa movere,
Fervidus angustis qua faucibus Hellespontus
Æstuat, & longo sulcat duo littora tractu.
Hinc equitum turmas, peditumque hinc ire catervas
Regnisque & populis stragem exitiumque minantes.
Euphratem, Gangemque metu trepidare sub imis
Fluctibus, & septemgemini tremere ostia Nili.
Jam video exanimem pulso cum milite terga
Vertere, & ad Scythicos cursum contendere saltus
Selimum, ac sese extremis abscondere silvis;
Illum sectari Hesperios, animamque nefandam
Eripere, & mediâ resupinum linquere arenâ;
Atque ita devictis divino numine Turcis,
Urbibus eversis, totoque Oriente subacto,
Victores prædâ immensa spoliisque potitos
In patrias urbes magnis remeare triumphis:
Tunc foliis redimita comas felicis olivæ
Candida Pax late populos inviset ovantes,
Quam pia Relligio incessu comitabitur æquo.
Tum fera bellandi rabies, & tristis Erinnys,
Tum Maomethеæ exitialia semina pestis,
Tartareasque domos, horrentiaque antra subibunt.
Aurea tunc læto nascentur sæcula mundo,
Sæcula quæ ventura olim volventibus annis
Veridici vates præsaga mente canebant.
Surgite io juvenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum foliis, Superumque altaria Divûm

Muneribus cumulate piis pro munere tanto.

Super excidium Barbaræ Classis, tabellâ depictum.

Quis violare ausit jurato fœdere pacem,
Regna aliena jugo premere, atque excindere gentem
Immeritam; patremque hominum, patremque Deorum
Temnere, & immemorem sceleris putet esse nefandi?
Ah te ne tanti rabies vesana furoris
Exagitet; quicumque pii moderaris habenas
Imperii: tenet ipse pater memor omnia mente,
Et meritas sumit maturo tempore pœnas.
En Asiæ Venetis pollutâ pace Tyrannus,
Urbibus eversis, ingenti cæde peractâ,
Contemptis victor Superis, tumidusque secundâ
Sorte ruens, totumque fatigans classibus æquor,
Ut cursu cadit in medio, victusque repente
Sternitur, ac pœnas tanto pro crimine pendit.
Non hæc consilio humano, & mortalibus armis
Proveniunt; Deus ipse, Deus post funera mille,
Post mille exhaustos terræque marisque labores,
Nos tandem aspiciens, æterno fœdere pacis
Tergeminos junxit Reges, tria fulmina belli,
Armavitque pias cœlesti robore mentes;
Et dedit indomitas hostis contundere vires.
Cernis ut Jonio concurrant æquore utrimque
Frontibus adversis inimica in bella triremes,
Ac vario ardentes ineant certamine pugnas?
Infracti utque duces Orientis, & agmina late
Hesperio sub Marte cadant? congestaque classis
Centum annis, centum victrix successibus una
Luce ruat? viden' infestas quam multa per undas
Telaque Threiciosque arcus, Lyciosque pharetras
Verset, & hostili turgescat sanguine pontus?
Pasce oculos, animumque tuum, miroque labore
Artificis, fruere, ac partis lætare triumphis,
Te tamen hoc unum semper præque omnibus unum

Admoneat, miseris quantum mortalibus obsit
Justitiam, & summi Regem contemnere olympi.

JACOBI GADDII
FLORENTINI.

In laudem Ferdinandi II. Cesaris.

GRandis ut Heroum virtus æterna vireret,
Laurigeri sudans conscendi culmina Montis,
Spicula flammiferi Canis, atque horrentia brumæ
Frigora contemnens, & sacro percitus œstro
Hausi vitalem doctore ab Apolline cantum,
Mortis, & ignaræ victor caliginis ardens.
Invidia incassum Stygias jaculata sagittas
Fregit, virtuti quæ miscet pocula fellis,
Cognatosque truci corrosit dente cerastas.
Scilicet invidiæ ridet mala fulmina virtus,
Et domat omnivori pernices temporis alas,
Si paret æterni felices carminis alas
Æthereus vates: nostrum ne despice munus,
Heroum soboles, Romanique arbiter orbis,
Qui Reges domitas, qui donas regna subactis,
Quique rebellantes felici Marte catervas
Proteris invictus, vel iniquæ turbine sortis
Concussus, vasto qui nusquam in corde timorem
Excipis; indocilem frangi, ignarumque pavoris,
Non populorum ardor, non conjurata rebellis
Agmina terrificant terræ, non fulmina Cœli,
Non pestes Erebi, triplicis quem machina Mundi,
Si caderet stabili convulsa a sede, feriret
Impavidum.
Quid referam Heroum seriem, centenaque Regum

Nomina, qui gemini frenarunt limina Solis,
Queis fortuna novum patefecit fertilis orbem,
Ipsa gradum sistens (mirare) immobilis, amplum
Imperium firmat generosæ in cardine prolis;
Cæsareæ cujus numerant capita alta coronæ,
Cognatasque comas regnatrix infula nectit,
Sed tibi quot pariunt famulantia Regna coronas,
Tot tibi virtutes nectunt diademata, Cæsar;
Nullum at splendidius, quam Relligionis alumnæ
Arte laboratum, gemmis cœlestibus ardens,
Scilicet arbitrium generosi Cæsaris una
Vindicat, æquævique vehens trans mœnia Solis
Nectit adorantem mansuro fœdere divis.
Hanc sequitur Gravitas, & veri sancta cupido,
Nudaque simplicitas fraudes exosa latentes.
Quæque inconcusso clypei septemplicis orbe
Munita infringit virosæ spicula linguæ
Integritas, ridetque minas Acherontis avari;
Mitis & astrigeri moderatrix orbis, alumna
Pacis, ad immanes Erebi quæ torquet hiatus
Iramque, & rabiem, truculentaque jura furoris.

In laudem Uladislai Regis Poloniæ, Sveciæ, &c. Magni Ducis Moscoviæ.

Aura, o progenies aëris innocens,
Lepor orbis, & voluptas,
Ades Aura, quæ maritas
Peramœna prata Floræ,
Dum florentia fundis
Astra floribus supernis
Pulchriora, blandiora,
Tu per liquidos aëris agros,
Super auritas carmina pennas
Nostræ Heroem defer ad altum,
Qui Sarmaticis imperat oris.
Olli sidereo texat de flore coronam
Phœbi docta cohors, virtutum munere dives.

Quæ

Quæ candore nives Ismarias superant,
Lilia defert, arbitra linguæ,
Cordisque, fraudum non docilis Dea;
Quæque ligat stabili pacta adamante Fides;
Quæque viros superis mansuro fœdere nectit,
Porrigit æternas flammea diva rosas.
At quæ præteriti conscia temporis,
Venturique sagax vitreum bis consulit orbem,
Maculis violas pingit amœnis.
Devota Marti, fulminis æmula
Virtus, æthereo calore præstans
Aurea flaventis diffundit munera calthæ.
His opifex texat radiantem Musa coronam,
Cui nusquam tellus vidit alumna parem.
Ne jactes, Ariadna, tuum diadema, noveno
Sidere ab æternis quod tibi fulget agris;
Scilicet illa tuis florebit gratior astris,
Sarmaticique comas nectet Jovis, usque phalanges
Qui tumidas fudit bellantis fulmine dextræ,
Quem pavet Eoi regnator barbarus orbis,
Qui fera Threiiciæ perfregit cornua Lunæ,
Quique satum patulo Moschorum in corde timorem
Martius hostili nutrivit sanguine cultor:
Regnaque centenas pariunt cui subdita palmas,
Victurumque opifex molitur gloria Templum.

De Patria, atque immortalitate Musarum.

Hæc virgo tellus, nescia vomeris,
Injuriosis invia gressibus,
Quæ Solis auratis patescit
Crinibus, astrigeræque turmæ.
Hîc Gratiarum dulce loquentium
Agmen choreas ducit amabiles,
Cognata Nympharum caterva
Dum sociat, replicatque saltus:
Hæc flexuosis orbibus aëra
Supervolantis flaminis æmula

Urget gemellum; mox jacentem
Quassat humum redeunte gressu.
Hîc & sorores, Mnemosynes genus,
Plaudente Phœbo præside carmina
Æternitati destinata
Ambrosio modulantur ore.
Audi canentes; temporis arbitras
Nihil moramur sæva necessitas,
Quas Phœbus æternum sacravit,
Fulminibus metuit ferire.
Busto superstes vivit ab invido
Mens sacra Phœbo; hanc mellifluus latex
Irrorat, æternatque præsens
Juppiter ambrosia Deorum.

Descriptio Noctis.

Jam Nox triste caput nectens crinalibus umbris
Spargebat facili somnia vana sinu;
Jam Dea venatrix cornu munita, ferarum
Agmina per Cœli clara premebat agros;
Florea progenies cœlestibus æmula gemmis
Amittebat inops luminis omne decus.
Silvaque vocalis cantu viduata phalangis
Parcebat resluis ludere mœsta comis.

De Barbara Tilamolba Virgine Poetria, & Cantrice.

Si de supremis Calliope rotis
Æterna proles sceptriferi Jovis,
Vitale concentu beatrix
Florigeras peteret columnas;
Quis non canoræ nectareum melos
Haurire Divæ certet? honoribus
Quis non coronet invidendis
Numen, & obsequio verendum?
Quo me calentem, Phœbe, potens rapis?

In

In celsa numquid mœnia siderum?
Num forma regnatrix ab axe
Labitur in patrios penates?
Auditis? aures sidereus quatit
Sonus, catenas necteret amnibus,
Belvasque frœnaret rebelles,
Sisteret ac volucrum phalanges.
Illapsa certe in pectora virginis
Mens pura nostræ Calliope canit,
Aut virgo mentis æmulatrix,
Musa recens fluitantis orbis.
Sic est: recentem mox ego carminis
Ducem precabor, auspice qua modos
Vibrare pennatos oloris,
Et socias animare chordas
Fas est. Gigantum cum Jove prœlia
Depingat alter prodiga fulminis;
Aut usque victrices phalanges
Romulei celebret Senatus;
Aut Barbarorum cladibus inclitum,
Cui Flora mater, Pannoniæ ducem
Pubis, triumphantem Scholarum:
Ipse super famularis alas
Famæ volantem te prior eveham,
Facunda virgo, fax nova floridæ
Telluris, æternos honores
Cui parat Aonidum caterva.

Ad Victoriam Roboream Magnam Ducem Etruriæ.

Salve, o Tyrrhenæ regnatrix inclita gentis:
Salve o Roboreæ dulce decus sobolis.
Excelso conjuncta Duci, genitura Minervæ
Heroas, Reges Urbibus, astra polo.
Sic voveo, sic prædico, sic monstrat Apollo:
Decipiet vatem divus Apollo suum?

Ad Margaritam ab Etruria Parmæ, & Placentiæ Ducem.

Heroum soboles, gentilibus aucta triumphis,
Me rapis in laudes, Dux celebranda, tuas.
Dia tibi Venus ambrosios afflavit honores,
Fovit & obstetrix pectore dia Charis.
Vix natam æternum complexa Modestia nutrix,
Texuit atque faber florida serta Pudor.
Artibus egregiis coluit Jove nata Virago;
Nectare Castalidum proluit alma cohors.
Quid mihi gentiles Heroidas obiicit hospes?
Has Heroinas una puella refers.

Prosopopæja Arni in laudem Gher. Saraceni Provisoris Gymnasii Pisani, &c.

Quæ nova felici spectacula lumine cerno,
Quæ nunc Pisano scena patescit agro?
Dum ciet Ismario Saracenus pectine chordas,
Argutæ socians carmina docta lyræ,
En sitibunda soni labentes flumina lymphas,
Frænat & aligeros blandior aura pedes.
At dociles agitant Nymphæ per prata choreas,
Dum Charites ludunt, ludit & alma Venus.
Illas ambrosii comitantur pone lepores;
Hanc amor, & lusus, deliciæ, atque jocus.
Assurgunt faciles tenero de cespite flores;
Atque aurita petit sylva canentis ebur.
Sceptriferique adsunt posita feritate leones,
Ipsaque nunc cædis nescia tigris adest.
Cornigerique greges adsunt, volucrumque phalanges,
Saxaque natali duritie posita,
Non secus ac dominam resonans cum fleret ademptam
Bistoniæ vates rector, honosque plagæ.
Hic per hyperboreas glacies, Rhodopesque pruinas
Noxia flebilibus verberat astra modis.

Sci-

Scilicet Eurydicen fatali vipera dente
Ad nigra regna Jovis compulerat Stygii.
Tænareas fauces cythara penetravit amante,
Horridaque Ismarius mœnia Persephones.
Insueto victi stupuerunt carmine manes,
Vincitur anguineis feta Megæra comis:
Exangues lacrimant animæ, precibusque canoris
Franguntur rigidi pectora ahena ducis.
Redditur Eurydice poscenti, dum nova vitæ
Stamina fatalis ducere Parca jubet.
Jamque virum sequitur, dedit hanc Proserpina legem,
Sed legis conjux immemor, atque sui.
Respicit instantem revolutus amore tyranno;
Legibus hic famulos comprimit usque suis.
Heu Stygiæ infelix rupisti fœdera Divæ:
Heu nimio Eurydicen cædis amore tuam.
Illa ruit Erebi rursus devota tenebris,
Quæque semel vixit, bis moritur misera.
Nequicquam prensas, Orpheu lacrimabilis, umbras;
Non datur amplecti deficientem animam;
Qua moveas prece inexorabile Numen Averni?
Nempe semel tibi sit restituisse satis.
Forte Abbas rursum obtineat dulcedine cantus,
Quò potis est ferri frangere duritiem.
Hunc mirata suos cohiberent sidera cursus,
Concentus major cujus in ore sonat.
Par quoque nobilitat morum symphonia Vatem,
Quos blando virtus temperat obsequio.
Quid mentis referam divinas carmine pennas,
Queis volat astra super, cœlicolumque choros?
Unus inaccessi solium venerabile Solis
Scandit, & a lucis fonte bibit radios,

LAU-

LAURENTII GAMBARÆ
BRIXIANI.

Ad Franciscum Robusterum, Tarraconensem.

LIMNIACE.

EGregium, Francisce, genus, cui conscia veri
Pectora sunt; qui sacra tenes, & civica jura,
Ne desis, dum pacato silet æquore pontus;
Limniacen neve ad littus contemne dolentem.
Nocturnos stellarum ignes vix Lucifer alto
Dispulerat, vix orta dies renovaverat orbem
Luce nova, dum ros madido de gramine nondum
Decutitur, sed adhuc reficit sua pignora tellus,
Et late redolent lætissima floribus arva:
Cum petiit mœrens secretum Cnossia littus
Limniace, quam missa Amyco Lyrnessia Leuce
Connixa est furtim, multa qua pronus arenâ
In pelagi tumidas raptim fluit Inachus undas,
Tum mare prospiciens, dubiique incommoda ponti,
Hos questus secum solâ meditatur arenâ:
Infelix virgo, liquit quam miles amator;
Et prædas, atque arma sequi, rapidosque calores
Sæpe pati, longasque hyemes, & frigora brumæ
Maluit, & gelido captare sub æthere somnos.
Interdum tamen & belli furor impius, & Mars
Factâ pace silet; victor direpta reportat
Hostibus arma domum: mox sese ex ordine captos
Accingit memorare duces, longoque vicissim

Con-

Contusos bello populos; superataque regna
Dum memorat, nunc ante sui nota ora mariti
Læta sedet, fruiturque viri sermone; nec ullis
Exercet curis vitam, nec pignora curat:
Et nunc mœsta silet dubio in certamine conjunx,
Vulnera dum, bellique vices, & prœlia narrat.
Piscator pelago captat seu flumine, pisces,
Sive laco stagnantis aquæ; cum vesper amictu
Nigranti gelidæ noctis se obnubit, ad urbem
Cum prædâ lætus properat; gravis inde revertens
Ære domum, parto fruitur, cum conjuge carâ:
Et visco qui fallit aves, seu retibus, & qui
Vertit humum ferro incurvo, seu mollia falce
Prata secat, frugesque metit, cum sacra Sacerdos
Indicit populis, redeunt ad dulcia tecta;
In triviisque agitant choreas, quas esculus umbrâ
Ingenti tegit, & ramis frondentibus ambit.
Venator silvas primâ sub luce fatigat,
Involuitque feras laqueis, aut comminus hastâ
Infensa aggreditur, moriens cadit illa repente
Ante oculos, juga summa petit vel saucia, & altis
Se condit nemorum jamjam moritura latebris;
At conjunx lecto carpit secura quietem;
Ille at enim lætus spoliis, & cæde ferarum,
Fert serâ se nocte domum, carosque penates
Invisit, tenerisque diu complexibus hæret;
Infelix, quam pastor amat, cui flumina cordi,
Et nemorum dulces umbræ; qui montibus ævum
Exigit, aut convalle cavâ: lentusque sub umbra
Populeâ pecudum numeros & signa recenset;
Et modo pascit oves, viridi modo ludit in herbâ
Agrestem calamis Musam; modo ducit ad alta
Flumina jam saturos herbosâ in valle juvencos.
Expectat tamen hunc residens in limine conjunx,
Et lassum amplexu molli fovet: ille sub altis
Claudit oves stabulis, dapibusque epulatur ad undam
Fluminis, aut viridi in luco, quà murmurat unda,
Frondentem subter pinum, silvamque comantem.

In-

Infelix illa ante alias, quam torquet amator
Navita: nam seu frigus habet terrasque fretumque,
Seu floret ver purpureum, seu messor in agris
Maturas segetes tondet, seu colligit uvas
Vinitor; ille tamen lætus tenet æquora puppi,
Miraturque novas alio sub cardine terras,
Littoreis capiturque locis, & gaudet ab alto
Prospiciens humiles terras, atque invia Nerei
Regna, levesque maris volitare per æquora puppes,
Oblitus patriam, & dilectæ conjugis ora.
Quàm ferus ille, minas pelagi qui primus, & atro
Turbine commotum sprevit mare, seque procellis
Miscuit hunc Libycæ genitum de stirpe leænæ
Crediderim, Stygioque genus deducere ab Orco.
Quid prosunt mihi curalia? & tua munera quondam
Hesperio devecta sinu, quaque altus in æquor
Se mergit late Ganges, ubi plurima toto
Littore gemma micat vario perfusa colore?
Immitis Celadon, sæva æquora semper amabis,
Et varios pelagi casus? jam vertitur æstas
Altera, nec curas patrios invisere portus.
Care redi, care ô Celadon; te te tua conjunx
Limniace manet, & lentos suspirat amores;
Nam mihi amara dies sine te, lacrimosaque nox est,
Vestis acu te picta manet, quam flexilis ambit
Limbus, & intextis circum nitet alba figuris,
Cernere erit fluitantem undis ab Apolline Delum
Firmatam, quæ prima altis emersit ab undis.
Ut primum pater omnipotens subsidere pontum
Jussit, & immisso nimbos Aquilone removit,
Illic aspicies intacta per æquora puppim
Evectam, & Scythici tendentem ad Phasidos oras:
Puppe sedet procerum princeps, & ductor Jason;
Hunc juxta Agniades clavum regit, & vigil auras
Explorat, cœloque norat radiantia signa:
In medio ratis Alcides sedet arduus, omnesque
Argivos torvo proceres supereminet ore.
Quos inter citharâ auratâ dum personat Orpheus,
Astræ-

Astrorum primos ortus, & semina rerum,
Et mare seclusum terris, & ab æthere cœlum;
Subsidunt pelagi fluctus, & euntibus auræ
Adspirant, mitisque favet Deus æquoris alti.
Proximus his Euphemus adest, qui summa parentis
Per freta Neptuni pedes incedebat, & auras
Æquabat rapido cursu; cui non procul, hastâ
Insignis, gladioque hæret Sicyonius Actor;
Threicii in medio procerum stant agmine fratres
Alipedes, quibus albentes cava tempora pennæ
Attollunt sese circum; quibus aëra magnum
Nubilaque alta secant rapidi, cœloque fruuntur;
Cærulei per colla fluunt, per pectora crines,
Dependent pharetræ; curvataque taxus in arcum
Ex humeris; lateri Ismarius sine cuspide mucro
Dependet bullis circum insignitus, & auro.
Ast alii juga longa tenent; hic Castora cernes,
Pollucemque simul, quos uno candida partu
Leda tulit, quorum contendere cestibus alter,
Alter equos domitare bonos, vel vincere cursu;
Queis radiant capiti galeæ, flammisque coruscant,
Ardentes stellarum apices argentea velant
Tempora, & aurato rutilat de vertice fulgor.
His se Deucalion comitem Gortynius addit,
Quique Jovi referebat avum, galeaque superbus
Ex auro gerit Europam, Nymphasque vocantem,
Cœlestesque Deas Sidonia marmora propter,
Et tauri evectam Dictæa ad littora dorso.
Ipsa Argo ventis intacta per æquora fertur,
Quam circum exultant Nymphæ; miratur & omnis
Neptuni chorus Heroas, radiantia longe
Arma ducum, fulvoque ratem proscindere rostro
Hactenus ignotum miseris mortalibus æquor.
Parte alia stupet æquoreis Neptunus in undis,
Miratus molem insuetam, & data carbasa ventis,
Attonitusque haurit strepitum, dum marmora remis
Pulsa secant magni Heroës, dum remige forti
Cyaneas superant cautes, & inhospita ponti

Æque-

Æquora, & optato se tandem littore sistunt.
Omnia quæ quondam senior mihi rettulit Agmon,
Dum mecum sedet ad littus, curasque relictæ
Colloquio levat, atque inopem solatur, & una
Exorat multis Nereïa Numina donis.
Pergebat memorare suos malesana dolores
Limniace; sed Sol vetuit; nam luce supremos
Spargebat solitâ montes, passimque sub ipso
Lumine splendebat tremulum mare; flabra vocabant
Perfusos somno vicino in littore nautas.
Hæc postquam de more preces pro conjuge fudit
Cœlicolis, lacrimans sese ad sua tecta recepit.

TELON.

Orta dies sine nube polo fulgebat ab alto,
Et rutilis Phœbus radiis, curruque nitenti
Aureus Eois sese referebat ab undis,
Adriacique minas pelagi, commotaque fundo
Æquora placarat passim Neptunus, & omnem
Ventorum rabiem tenebroso clauserat antro
Æolus; & placidum subter mare pascua Delphin
Carpebat, virides algas, & gramina nota.
Non fragor auditur silvis, non littore curvo
Nigrantes ludunt fulicæ, non bucula ventos
Captat: at ipsa, humis secura, in valle virentes
Nunc avido dumos morsu, nunc pabula tondet.
Cum procul adventare ratem per cærula cernit
Sublimi stans puppe Telon, dum prospicit altum
Æthera jam vacuum nimbis, & murmure littus.
Dum vero procurva legit loca concita puppis,
Arma Telon habitusque virum, pictasque biremes
Novit, & è puppi surgens sic infit ab altâ:
O ratis ante alias felix, quæ spumea verrunt
Cærula, quæ pelago tecum mea gaudia defers;
Et magnas Orientis opes, & Lydia regna;
Tu pelagi decus omne, Deûm tu munera tecum
Sola vehis; tu digna magis, quam nobilis Argo,

Side-

Sidereos inter cœli splendescere cursus;
Quamvis illa foret Divæ fabricata Minervæ
Auxilio jussuque, vagi prope flumen Anauri,
Quæ posset tumidis Neptuni obstare procellis,
Et cavere instantes subjecta per æquora casus,
Venturasque hyemes pelago, nisi candida Circe
Flebilis Absyrti crudelia fata piasset;
Nec classi invideas Phrygiæ, quæ per freta longa
Cum vetitos peteret thalamos, abduxit ab oris
Tænariis Argivam Helenen; licet illa Lacænas,
Iliacasque nurus niveo candore, comaque
Per roseos diffusa humeros superaret, & ore
Egregio, summoque foret Jove nata parente,
Et sola Argolicas ad prœlia cogeret urbes.
Non tamen inferior forma est pulcherrima Leuce,
Quam vehis Adriaci pacata per æquora ponti,
Incolumem in patriam tepidi sub tempora veris,
Cymothoë formâ inferior, te judice, Triton,
Est tua, si te vera loqui sinit igneus ardor.
Nereides, quarum domus est mare, dicite Nymphæ,
Dicite vos; vidistis enim, dum rector Olympi
Juppiter in faciem tauri mutatus, ad urbes
(Qua rapido resonat fluctu Gortynia tellus)
Sidoniam veheret fraterna per æquora prædam,
Quæ fuerit Jove digna magis; tuque humida ponti
Cui freta subiiciunt sese, magnique fluenta
Oceani, Neptune pater, postquam alta fatentur
Cærula te Regem, salsos an pulchrior ulla
Intrarit fluctus curvâ rate, dic mihi; nec te
Tritonum comitante choro, Glaucique juventa
Addere pœniteat comitem tua per vada puppi.
Nam Leuce quacumque tulit se, protinus omnes
Collectæ fugiunt nubes, & flamina ponunt;
Quacumque illa pedum vestigia rettulit, omnis
Ridet ager, resonantque avium concentibus agri;
Et seu sola tenet silvas, seu frondea ruris
Tecta subit, hæret lateri Dea Cypria, necnon
Dulcis Amor, Dryadum illecebris qui ferrea mulces

Po-

Pectora, & accendis tacitis præcordia flammis.
I felix Leuce, dignos sortita hymenæos;
Serta rosis intexta recentibus afferet Ægle,
Ægle littoreis cantu notissima silvis;
Necnon indigenæ tibi rustica dona coloni
Sponte ferent, patriisque canent connubia læta
Carminibus, primisque onerabunt frugibus aras.
Hæc memorat dum pauca Telon, lituûmque tubarumq;
Ingens exoritur vicina ad littora clangor,
Et pelagi cava saxa sono pulsata resultant;
Nec mora, detorquet clavum, suspensaque solvit
Vela Telon, mœstusque novem petit ora Timavi.

LEUCON.

Ducebant noctem jam sidera, plenaque Phœbo
Luna renidenti terras vestibat amictu;
Claraque nox passim radianti luce rubebat,
Ceu primo sub sole dies; cum dulcia Leucon
Liquit Amyclæus dilectæ littora Cretæ.
Ille dolens, curaque animum labefactus inani,
Accipit haud oculis noctem, sed mœstus acerbo
Discessu, celerique fugâ, se torquet amaris
Questibus, & lacrimans mortem jam pallidus orat,
Mox ait; heu qui me primis malus error ab annis
Abstulit, & tenebris mersit stagnantis Averni.
En velut exul agam noctesque diesque per æquor,
Nec reducem patria ulterius me Creta videbis:
Discessu mea lingua silet, suspiria mentem
Eripiunt, largoque tument mea lumina fletu,
Atque anima invalidum corpus jam lassa relinquit.
Heu quanto magis illius nunc torqueor igne,
Me tanto magis in lacrimas jubet ire Cupido,
Quid mirum? magis ardet amans, cum littus amatum
Deserit, atque novas invisere cogitur urbes.
Quid referam? non carmen Amor, non gramina curat,
Sed ridet lacrimans, sed funere gaudet amantum;
Ille senex vetus est: molli lanugine quamvis

Ful-

Fulgentes malas non vestiat, ille nitenti
Occupat & faciem, præduraque corpora fuco;
Et sese puerum fingit, furtimque medullis
Hæret, & arridens lethali armata veneno
Tela jacit, tacitoque petit præcordia ferro,
Et ludens ignem manibus gerit, ossaque torret.
Ah quantum illa fuit crudelis, & improba, cum m
Deseruit, miserosque sequi Stimiconis amores
Ausa fuit, cui nulla domus, cui nulla supersunt
Pascua, non ullæ pecudes, sed pascit Amyntæ
Armenta ad ripas, qua spumeus errat Oaxes,
Cuique color niger est, tristisque aspectus, & illam
Detinet insignem facie; cui mollia colla
Sunt niveis puro candore æquanda ligustris.
Et licet ille rudi confisus arundine, valles,
Idæumque nemus pulset, tamen illa canentem
Miratur, tollitque rudes super æthera cantus.
Ille meis fruitur donis, & dulcia miscet
Oscula, securus recubans; non amplius illa
Me tenet in gremio; sed me, & mea munera temnit.
Heu qui te miserande furor consumit, & omnem
Abstulit hei misero mentem, exanimumque relinquit?
O felix, quem Sol oriens prospectat euntem
Cum grege in herbosos saltus; dum cantat amores
Naiadum, pascitque greges; & lætus amantis
Colloquio, Superis non invidet, ac petit amnem,
Oceani emenso cum jam defessus Olympo,
Illum prospectat redeuntem in dulcia tecta.
Mane novo vocat in silvas; sed me tenet æquor,
Sive calore gravi premitur, seu frigore tellus.
Ah saltem ad patrias mea corpora naufraga sedes
Unda vehat, Leucæ alta domus qua spectat in undas!
Me forsan gremio accipiet miserata dolentem;
Nec roseis parcetque genis, tenuique capillo,
Et lacrimas dabit interdum, dabit oscula rursus,
Et lecto arsurum misero mœstissima ponet,
Et forsan tumulum statuet, plenaque rubenti
Flore manu cineres sparget; non illa sub alto

Corde gerit rigidos silices, non effera tigris
Hanc genuit, caput attollit qua Medus Araxes.
Et maris Hircani rapido pede fertur in undas.
Quid mirum? si me incautum, primâque juvent
Vicit Amor; qui sæpe Jovem, & cœlestia vicit
Numina; cæruleosque Deos, volucresque ferasque.
Imperio nam regna tenet, quæcumque videt Sol.
Quid dicam? tacitis accendit agrestia curis
Armenta, indomitaque coquit corda aspera flamma:
Indignans secum assuetas avertitur umbras,
Fluminaque, & leves somnos, & pascua taurus
Errantem quærens alta in convalle juvencam;
Inventaque dies totos sine gramine condit,
Atque illam sequitur, quoquo vestigia ponit;
Bellaque sæpe movet carâ pro conjuge, & armos
Durat ad horribiles pugnas, nec vulnera vitat.
Et pelagi fera monstra ineunt pro conjuge pugnas
Æquoreos subter cursus, vitamque relinquunt
Fluctibus in mediis; nam sæpe ego mortua vidi
Corpora per pelagi placidos fluitantia tractus
Vere novo, cum sævit amor, cogitque natantum
Omne genus ruere in furias, ignemque sub altis
Æquoribus: sed quis valeat tua tela Cupido
Effugere? aut aliquem curis imponere finem?
Ah demens, ubi sum? supremane fata propinquant?
Non ita; namque iterum repetam Gortynia rura,
Artemque, remosque tibi, Neptune, reponam:
Idæosque petam saltus, ubi candida Leuce
Lustra per, aut per aperta feras fugat æquora cursu;
Aut lepores juga summa leves, patriosque per agros
Insequor, & parto donabo munere Leucen:
Atque ibi jam venator apros venabor, & altis
Suspendam ilicibus victor capita hirta ferarum:
Illa meos alta aspiciet de rupe labores.
Quid dicam? forsan nostri miserebitur ultro:
Vel poterit forsan precibus mitescere nostris.
Quid tum? si capta est Siculi Stimiconis amore.
Ipse amor instabiles animos dat amantibus, illosque
Acri-

Acribus involuit flammis; nunc subdita solvit
Pectora, nunc revocat veteres in pectora curas.
Dum Venus insano Martis flagraret amore
Optatos Mars sæpe toros, & amata revisit
Hospitia; at postquam venantem vidit Adonin
In silvis Venus ipsa, alios jam percipit ignes,
Invisumque abolere cupit de pectore Martem.
Successit nova cura Deæ; Mars turbidus altas
Strymonis incoluit ripas, Rhodopejaque arva;
Interdum Phrygii Anchisæ non immemor, Idam
Incolit alma Venus, mollique in gramine dulcem,
Inter & amplexus ducit malesana soporem.
Quin etiam Phœbi soror Endymione relicto,
Pana fovet dulci amplexu; mox Pana relinquit,
Et gremio Endymiona fovet, miserata dolentem.
Dum vero hæc recolit, longe freta mota reclamant,
Et præceps Notus æquoreis immurmurat undis.
Tunc Leucon, qua ventus agit per cærula puppim,
Vertit iter: secat illa altos interrita fluctus,
Monstrat enim Portumnus iter, Panopeaque furtim
Impulit errantem pelago, portuque locavit.

ÆGLE.

Alcimede, veterisque nurus Telethusa Lycormæ
Et Siculi Stimiconis amor (jam nubilis) Ægle
Tænarias iter ad fauces prope curva tenebant
Littora, qua patrio surgunt de marmore templa,
Tænario sacrata Jovi; cui maximus aras
Tingit odoratas nigranti tergore taurus.
Illæ ubi pro caris solverunt debita vota
Conjugibus, quos Neptunus servarat ab undis
Joniis; secuere viam, qua littus amaros
Contingit pelagi nemoroso tramite fluctus.
Tunc Ægle socias sic est affata silentes;
O comites, quas a teneris ego semper amavi,
Et quibus ipsa meos nudavi semper amores,
Me miseram tenet alter amor, animoque recursat

Cura recens, uruntque graves præcordia flamm.
Nam patriis notus pastor Melibœus in oris,
Taygeti cui mille greges pascuntur in altis
Verticibus, totidemque imis in vallibus agnæ,
Assiduis poscit precibus connubia nostra.
Hunc, magnæ cum sacra Pali solemnia ferrent
Pastores, templi ante fores mihi Nisa sedentem
Monstravit formâ egregium, & juvenilibus annis.
Isque ubi me Lycidæ tendentem ad pascua vidit:
Palluit, erubuitque simul, comitesque reliquit,
Et nos a tergo est per florea prata secutus.
Mecum erat Alcyone soror, & nova nupta Medontis.
Quid dicam? miser ille dies noctesque sub umbras
Vicini nemoris solus spatiatur, & omnem
Oblitus pecoris curam. me observat euntem
Luce novâ ad Coriti fontes, & nocte paternam
Ante domum veniente sedet; sic proxima nostris
Culminibus mihi nuper anus Lyrnessia dixit:
Nunc Stimicon meus ignis abest, qui per freta po
Armatos Lyciæ pedites Orientis ad oras
Vexit, & in patriam rediturum rettulit Agmon,
Transierint concreta gelu cum frigora brumæ.
Vos testes, quæ dona mihi pulcherrima dudum
Attulerit, cum Sidoniis remeasset ab oris.
Quin (nostri memor) extremo mihi munera misit
Lecta mari, quæ Threicius puer attulit Hæmon.
Sed tantum non dona movent, quantum ipsa jugali
In thalamo moror, & dulci Stimiconis amore.
Quid faceres Telethusa? premunt hinc munera amantis
Atque amor & caræ toties promissa parentis.
Parte aliâ (nam vera loquar) Melibœus amari
Dignus & hic, cui multa soli sunt jugera, quique
Me solam (ni fallor) amat, cui gratus in ore
Est color; intonsumque caput: nec lumina nævi
Fronte notant agrestem animum; licet inter opaca
Taygeti juga sit genitus, lætasque canendo
Inter oves primos florens expleverit annos,
Tunc Telethusa refert: anima mihi carior Ægle

Quis

Quis Divûm cuicumque velis te posse jugali
Connubio sociare vetat, Stirilicone relicto?
Exanimum hunc pelagi turbata per æquora forsan
Fluctus habet, ventrique truces morientia versant
Corpora per rapidos fluctus, percussaque fluctu
Littora: vota Deûm dum tu persolvis in acta.
Nec data sæpe tuæ, sine te, promissa parentis
Ulla movent; tu sola etenim connubia firmas.
Ipsa ego quot mala sum noctes perpessa diesque,
(Annus enim tum ille bissenus cœperat, Ægle)
Ex quo sum nautæ tædas experta mariti?
Quis nescit? meus Hippocoon nunc tendit ad ortus,
Et modo ad occasum Solis, modo torquet ad oras
Cannibalûm longos immensa per æquora cursus.
Cum vero in patriam rediit, navalia primus
Arma parat, quassamque ratem, & languentia curat
Corpora; sed cum jam Zephyri levis aura per æquor
Auditur, tranquilla tenet trabe marmora primus,
Semper amat sese surgenti opponere fluctu,
Ignotosque maris gaudet penetrare recessus.
Tantus amor pelagi, tunc me sine conjuge Soles
Æstivi, longæque hyemes, sine conjuge noctes,
In tenebris mersam aspiciunt, nec fingere crinem,
Cæruleave licet, niveaque invisere palla
Solemnes Superûm ritus, vel proxima nostro
Templa mari, miseram tantus gravis urget amaror;
Quin etiam mersasque rates, submersaque ponto
Corpora sæpe virûm si quis novus advena narrat,
Vel quoties cœlo strident venti, aut mare ventis
Tollitur, & gemitus pelagi latè insonat Euro,
Ossa quatit toties gelidus tremor, oraque pallent
Frigore, & assiduis membris sese implicat horror.
Quid prodest, si rara domum fert munera conjunx,
Oceani devecta sinu? qua concolor auro
Sol oriens sese Eöis attollit ab undis.
Et varios memorat ritus, inventaque nuper
Tot maria, & nostris incognita sidera nautis.
Alcimede dic cara comes (nam te quoque versat

Sors eadem) dic, nonne tuus Chorinæus Acarnan,
Et Phlegyas, pelagique minis assuetus Helenor,
Et Tegeæus Eryx, Libyæ occubuere profundo?
Sed miseram dolor angit: habet nam pignora secum
Hippocoon, maria alta docet quæ currere, & alti
Noscere signa poli, ventosque & inhospita ponti
Æquora, tranquillosque dies hyemesque futuras.
Quid tum? si patrias artes vorat unda retortis
Vorticibus, natosque simul; nec pignora matri
Flere licet: nec jam pelagi moritura sub undis
Cernere; nec tumulo cineres decorare recenti?
Quare age connubio juvenem conjunge volentem,
Cui tot oliviferi colles, tot pascua, totque
Taygeti juga celsa greges, armentaque pascunt.
Tu gelidos inter saltus, silvasque soporem
Sæpe levem secura petes; nunc læta recumbes
Conjugis in gremio, viridi vel in ilicis umbra,
Gramineove toro, vitreus qua fundit in æquor
Eurotas virides inter vaga flumina lauros.
Ille suos lætus patriis in saltibus ignes
Nunc tenui stipulâ, dulci modo carmine ludet;
Et circum vos verna puer, parvusque Palæmon,
Atque alii, quos sæpe juvat frondente sub umbrâ,
Et calamis certare, & agresti dicere Musa,
Adstabunt, totosque dies per carmina condent.
Impulit his animum dictis Telethusa labantem,
Sevit & ardentes accensa in virgine curas.
Illa alacris fert nota leves per littora gressus,
Suspiransque oculos ad summa cacumina torsit
Taygeti, qua dives agris Melibœus amator
Innumeras solitâ pecudes pascebat in umbrâ.

LEUCOTHOE, sive Livia M. Antonii Columnæ F. ad Petrum Cannicerum.

Spreverat, insano Nymphæ devictus amore
Leucothoes, Venerem Mavors: ripasque colebat
Tybridis, aut Aniena jugis delapsa fluenta,

Et poſitis ſilvas armis peragrabat. & acres
Oblitus bellantum acies, mulcebat ad amnem
Indomitos cantu flammati pectoris ignes.
Quinetiam cum paſtores in roſcida mittunt
Paſcua lanigeras pecudes, vel cum gravis æſtus
Cogit aprica greges loca linquere, & abdita ſilvis
Paſcua depaſci, pecudes comitatur, & unâ
Auſoniis miſtus captat paſtoribus umbras.
Sæpe etiam cervos telis agitabat ad undam
Tybridis, aut convalle cava, paribuſque premebat
Curſibus agreſtes nodoſa in retia prædas;
Erranteſque canes cornu revocabat adunco.
Nunc ſeſe extollit, primo quod vulnere cervum
Straverit, incurvâ jamdudum in valle morantem.
Se quoque ſetigerum dextro fixiſſe ſub armo
Jactat aprum, atque animæ calamo rupiſſe ſonanti
Spiramenta, levis quo vulnere fugit in auras
Spiritus, exanguemque anima indignata reliquit.
Nunc etiam abſentis Nymphæ candentia laudat
Pectora, ſidereoſque oculos & dulcia verba
Proſtratus prope fontis aquam, qua murmure rauco
Unda fluit; fontemque comâ Jovis arbor obumbrat,
At dudum ſuccenſa gravi Citherea dolore
Linquit Acidalias ſedes; & vecta per amplum
Aëra Laurentes agros, atque ardua Romæ
Tecta petit, manibus quondam fabricata ſuorum;
Ut vero ripis poſuit veſtigia Thuſci
Tibridis, illi ingens Nympharum occurrit ad amnem
Naiadum chorus, & ripâ ſeſe obtulit altâ,
Quarum una ante alias forma ſpectanda ſorores
Leucothoë deſeſſa ſolo viridante reſedit;
Extremo quam Nympha Ephyre Laurentia partu
Acreos inter montes, qua fons ſonat altis
Vallibus Albuneæ ſubter nemora alta virentis,
Silvano dedit in lucem; quæ candida toto
Corpore, componit flavos mira arte capillos;
Et comptos premit in nodum, nec flamina curat;
Ore refertque roſas, quas circumfuſa coronant

Lilia, odoratis cum tellus floret in hortis,
Inque feras quot tela jacit, tot cæsa ferarum
Corpora procumbens silvis, cursuque fugaces
Prævertit capreas: amat hanc qui Tibridis alta
Flumina, & Albuneæ quisquis bibit accola fontem.
Agnovit Citherea sui Mavortis amores,
Fulgentes mirata oculos, & candida Nymphæ
Pectora, & albenti divinum in veste decorem.
In mentem venit hac formâ se fallere Martem
Posse ferum, mora nulla, Deæ faciemque, habitumque
Ponit; & in faciem Nymphæ mutata, repente
Leucothoes succensa odiis, velamine texit
Ardentes oculos: simul indignata profatur:
Hinc oculi, mea cura recens, mihi caussa doloris?
Quo casu Dryades Nymphæ ingemuisse feruntur
Prata per, agrestesque domos; nec cantibus ullis,
Aut solito herbarum succo potuisse mederi.
Stant circum Nymphæ comites, Telethusa, Thoeque,
Eurynomeque decus nemorum, domitrixque ferarum,
Et jaculo bona Dynamene, vigilemque sororem
Solantur, variisque tenent concentibus ægram.
Odrysium hæc vatem cantu nemora alta trahentem
Commemorat, Stygiique Jovis sine sole petentem,
Regnaque, Tartareasque domos pro conjuge carâ,
Mulcentemque animos fidibus, Ditemque tremendum;
Promeruit quibus Eurydicen deducere ad oras
Æthereas, certo sub fœdere, narrat ad umbras
Eurydicen redeuntem iterum, Stygiique secantem
Cæruleâ rate fontis aquas: nam fœdera Ditis
Incautus violarat amans; illa addit amores
Anchisæ, Venerisque. Pytin canit altera versam
In pinum, trepidans dum per juga densa Lycæi
Amplexus Boreæ effugeret; malletque canentem
Audire arboreis dilectum Pana sub umbris;
Nec silet illa rogos Leucippi, & tristia fata
Leuconoes: captamque dolis & fraude Dianam,
[illegible]nscia dum ferro fixit caput Orionis.
[illegible]ùm pelago puer infelix prope curva nataret

Littora, quà rapidus ponto se immiscet Oaxes.
Interea firmans animum Citherea, superbas
Linquit Aventini sedes, Anienis & amnem
Sola petit, sequiturque feras vaga flumina propter:
Hîc ubi sole novo, sociis comitatus, agrestes
Sectatur per nota feras loca Bistonius Mars.
Audierat Venus alma procul strepitum nemus inter,
Latratusque canum densâ increbrescere silvâ.
Tunc celerat festina viam, quà semita calle
Augusto nemus ingreditur: jamque abdita silvis
Lustra, locumque tenet, quo Mars sub poplite cervum
Fixerat, & trepidum nemorosa in valle premebat.
Percurrit tener ora rubor, cùm vidit amantem
Oblitum veteris flammæ; atque exterrita primo
Adspectu, retro torsit vestigia, & alto
Aggere composuit sese; meditataque verba
Non potuit confusa loqui: nam pectore sensus
Verterat, & mentem Lethæâ immerserat undâ
Acer amor: comites iterabat valle sub altâ
Bellipotens; comitum cœtus tendebat ad amnem
Non procul a viridi silva, notasque vetabat
Reddere frondiferum nemus, & juga proxima voces.
At tempus Dea nacta, manu capit arma, sinusque
In nodum collecta supervenit, atque ita Martem
Alloquitur: cervum hunc primo sub sole coëgi
In laqueos; ferus ille plagas, laqueosque tenaces
Evasit: sequor hunc celerans [ut cernis] & omnes
Huc properant Nymphæ comites, non fariet ultra
Hanc Mavors finit: at jaculum contorsit, & armos
Fregit, & ense latus geminato vulnere rupit,
Et prædam Nymphæ dono dedit ardua terga.
Mox sese collo implicuit, tunc Cypria Martem
Læta fovet gremio acceptum, colloque lacertos
Circumdat tenui repetens suspiria voce;
Atque iterum blanda Mavortem voce moratur.
Leucothoën Mars amplexus, tunc protinus ignem
Accipit occultum membris; it flamma per artus,
Nec spretæ infusum gremio se sentit amantis:

Tunc

Tunc voti jam facta potens Venus alma removit
Leucotheæ ex oculis positum velamen; & auxit
Egregium forma decus, insuetumque nitorem
Luminibus: tunc circum auræ, & nemus omne refulsit,
Perque arces nitidus fulgor, perque alta cucurrit
Flumina; quo comites Nymphæ obstupuere, novosque
Lætitiâ duxere choros; sociamque sororem
Adjunxere sibi, & nemorum petiere recessus.
Accipe & hæc, quæ Musa mihi prope Tibridis amnem
Concinuit, Phœbi decus, & gratissime Regi
Cannicere; egregium fidibus, atque arte medendi
Quem genuit fœcunda viris Aragonia tellus:
Nec pigeat canere hæc olim septemplicis Istri
Ad ripam, aut gelidi sinuosa ad flumina Rheni.

Ad Petrum Cannicerum.

Lydia, quæ candore nives, & cana ligustra,
Et nemorum cantu vincis, & ore Deas:
Has violas, hæc mista croco serpylla rubenti,
Et quas decerpsit Sole oriente rosas,
Ille tuus tibi mittit Acon, quem sæpe canentem
Mirata est, rapidis quà natat Ister aquis.
Addit & has post dona preces; ut cras, ubi Titan
Igneus ardentes ad juga junget equos,
Quà viridi silva alta comâ stagnantia tangit
Flumina, nostra petas rura, novumque larem.
Pulchra aderit comitata choro Plautilla sororum.
Quæque colunt montes, flumina quæque tenent;
Erigone nova nupta aderit cum conjuge Mopso,
Flavaque Lampetie, Demophoontis amor.
Pendebunt agris opera interrupta, nec ullus
Mersabit puro flumine pastor oves.
Sed cuncti mea tecta petent, cùm lux nova sese
Tollet ab Eois fluctibus Oceani;
Instituet certos vicina ad flumina ludos
Cum Numitore Ligur Thyrsis, & Eurymedon:

Certabitque pedum cursu Maurusius Acmon:
Emittet calamos ad loca certa Pharon.
Stabit aper, precium palmæ. juga Rhetica propter
Captus, & horrisono turbidus ore fremet.
Adstabunt hirci caveæ prope limina septem,
Frondibus incincti cornua pampineis,
Cervus erit domini mensis assuetus, & intra
Marmoreas somnum carpere nocte fores.
Sunt etiam gemini Pteleræ de stirpe Molossi;
Hic tauros morsu sistit, at alter apros.
Hîc ingens tabula ingenti pendebit ab ulmo,
Qua tu conspicies Cæsaris arma tui;
Nec non magnanimo victos a Cæsare reges;
Additaque imperio clara trophæa ducum.
Inque fugam versos Hispano a milite Turcas,
Miscentesque fero prœlia Marte viros.
Adspicies urbem longâ obsidione levari,
Seberus liquidis qua petit æquor aquis;
Disiectasque arces Morinum, vicinaque circum
Oppida, pugnaci captaque signa manu;
Ticinumque atro fœdatum sanguine ripas,
Et captos, Albis flumina ad alta, duces,
Ignotos habitus, atque arma ignota videbis,
Pœnorumque oculis agmina nigra leges;
Flammantis propior Phœbi quos inficit ignis,
Qua non claudit hyems florea rura gelu;
Cæsaris & puppes pelagi dominarier undis,
Et multa Leptin obsidione premi.
Cernere erit Nomadum turmas, atque horrida castra
Cæsaris, & Libyeum per mare mille rates;
Quas circum Nymphæ exultant, perque æquora currunt,
Aut vada virgineis lusibus alta petunt.
Personat & conchâ Triton, notasque biremes
Respicit, & liquidum per mare monstrat iter.
Prosilit æquoreis ponti regnator ab antris,
Velivolum pelagi sternit & omne solum.
Invehitur curru Cæsar sublimis eburno,
Et parta ante pedes plurima sceptra gerit.

Par-

Parte aliâ de more refert solennia sacra,
Et supplex multâ cum prece templa tenet;
At postquam, misso certamine, debita cuique
Victori dederit dona senex Periphas:
Mox Dryadum plaudente choro, rapidum prope flumen
Pan Lycabæ agresti tempora fronde premet.
Inflabunt faciles calamos Ocnusque, Myconque,
Inflabit raucum Lydius Actor ebur.
At dum sol curru Oceani petet aureus undas,
Agricolæ instituent flumina ad alta dapes.
Accumbet mensis Dryadum chorus omnis ad amnem;
Consident mensis advena, & indigena.
Quare age, o mea vita, novos ne despice ludos;
Nec quæ te exiguo munere donat Acon.
Indue sepositam vestem, tege crura cothurno;
Ornet & albentes lutea concha sinus.
Cærula sepositam subnectant cingula vestem,
Et nectat flavas aurea vitta comas.
Talis eris Dryadas inter, comitesque sorores,
Qualis in Eöo lucida gemma mari;
Qualis in irriguos florum coma cernitur horto,
Sive, hyacinthe, tua, sive, amaranthe, tua.
Et si forte abitum tibi Leda noverca negabit;
Protinus hanc ficto callida falle dolo;
Aut pete Leucothoën parvâ comitata sorore,
Quæ solet ad nostras sæpe venire domos.
Ipsa vocata aderit, comitem te adjunge sorori;
Quid poterit de te sæva noverca queri?
Tu vero, nostri decus ingens, Cannicer, ævi,
Cui decorat gemino Phœbus honore comas,
Huc propera, nostrosque libens accede penates;
Non tibi per Syrtes longa petenda via est;
Cras poteris surgente die conscendere flumen,
Puppe levi, & nostros tutus adire lares.
Hic celebrem cantu invenies, & arundine Mopsum;
Nec deerit Dorylas, Pannoniusque Lycon.

In fontem.

Hos latices ne accede meos, nec tange viator;
Sanguine fœdata est si tua dextra manus.
Nostræ etenim lymphæ Bacchi gratissima miscent
Munera; non sævi pocula Martis amant.

In obitum Juliæ.

Flos veluti quem rivus aquæ, quem Sirius ardet,
Deserit, & prono vertice languet humi:
Quem frustra gelidi rores solantur, & umbræ,
Et quæ vicinum perstrepit aura nemus:
Julia sic cecidit primis in floribus ævi,
Sic cecidit roseo gratus in ore color.
Hanc flerunt tristes Sebeti ad flumina Nymphæ;
Impia & illacrimans sidera dixit Amor.

Pro victoriâ Christianæ religionis contra Turcas, ad Deum gratiarum actio.

Jam tandem pater omnipotens dignatus ab alto
Et nostras audire preces, gemitusque tuorum;
In vinclis quos ille ferus nostrique, tuique
Nominis hostis habet, vel carcere detinet atro;
Ferre & opem nobis, tantarum in turbine rerum,
Et post bellorum tam sæva incendia, totque
Excisas ferro gentes, amissaque regna,
Nam nec erat spes ulla fugæ, furibundus & hostis
Terruerat pontum, & terras victricibus armis,
Et classe Adriacas valida penetraverat oras;
Oppidaque, & pelago, & terris invaserat urbes,
Atque inimicum ignem secum, cædesque ferebat.
Induerat quos se in laqueos nec senserat, & non
Quid posset, Rex ô cœli, tua dextera norat.
Unde agimus tibi nunc tanto pro munere grates;
Et templis pia thura damus, per templa, viasque
De-

Debita sacra tibi canimus; nam dextera partim
Threiciam classem tua mersit in æquore, partim
In nostras impulsa manus est te duce, & ingens
Turcarum intepuit respersus sanguine pontus:
Nam nec habet certas tua magna potentia metas,
Nec præscripta tibi est, sed tu potes omnia solus.
Tellurem & pelagi liquidas convertere in undas,
Et mare tellurem in solidam, tibi paruit æquor,
Æquor Erythræum; Solymæ dum robora gentis
Transierint vasti sicco pede marmora ponti,
Atque minas fugerent duri Pharaonis, & arma,
Namque tuo jussu discessit tunc maris unda,
Hinc atque hinc saxi in faciem durata repente,
Hebrææ inferrent gressus qua parte phalanges;
Quæ retro tunc deinde fluens, conjunctaque currus
Involvit pelago, Mareotidaque arma sequentum.
Nunc vero non se pontus divisit; at unda
Strata, silensque (tuo sed non sine numine) ventus
Auxilio nostris fuit, & tot clara per annos
Præteritos virtus, & formidabile nomen
Turcarum in ventos abiit, tunc gentis Iberæ,
Atque Italæ ad cœlum bellando gloria sese
Extulit; invictamque olim per cærula classem,
Haud nostræ timuere artes; non impetus illos
Barbaricus juvit, sparsusque per æquora clamor.
Nam nostri haud lunæ speciem vexilla ferebant;
Sed Cruce pendentem Christum palmasque, pedesque,
Trajectumque latus ferro, pariterque parentem
Aspera dilecti lacrimantem funera nati.
Gloria tota tua est, neque enim victoria nostro
Consilio, aut armis parta est, aut viribus ullis.
Et miles ferus ille suo sperabat in arcu,
Et gladio, quo jam toties cæso hoste triumphos,
Egerat, & victor prædas portarat ad oras,
Insonat augusta qua Bosphorus horrifer unda.
Quid dicam? ô Asiæ regnator sæve, Deus te,
Quem colimus, meritoque sacras veneramur ad aras,
Proteret, haud aliter quàm læti graminis herba

Cor-

Cornipedis pede pressa gregis: dicamque ego; vidi
Regem Asiæ florentem opibus, regnisque potentem,
Elatumque animo, & tumidum præcordia fastu,
Non secus ac cedri alta comas sublimibus arbor
Nata in verticibus Libani, sed luce sequenti
Dum redeo, Rex non usquam, sed nec levis umbra
Corporis illius, nec gloria parta sub armis
Ulla erat, aut rerum vestigia facta suarum.
Et nunc tempus adest, quo te sulcasse pigebit
Jonios fluctus, & classe intrasse profundum
Adriacum, tuaque arma armis concurrere nostris
Permisisse, Deus cum nos nunc protegat, & nunc
Pro nobis (ut tu ipse vides) bella aspera pugnet.
Tunc ego lætitiâ ingenti cumulabor, & axes
Vertice contigam cœli, dehinc ora resolvam
In laudes, ô Christe, tuas, magnique parentis
Qui solus pontum, & tellurem condidit, & non
Se folia ulla movent tanti sine Numinis aura,
Cessabo & nunquam tua facta intexere nostris
Carminibus, pariterque tuos memorare triumphos,
Nam victi cecidere hostes, paucique (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas,
Et sua viderunt versis vota irrita fatis.
Te mare, te tellus, cœli te regia laudat,
Cœlestesque chori, lætæque per oppida gentes
Europæ, quæ te Dominum, Patremque fatentur,
Insigni super astra ferunt te laude, tuumque
Nomen, & annales condunt; quibus inclita facta
Describunt, quæ dextra potens tua fecit in undis
Joniis, nostri ut possint hæc scire nepotes,
Teque colant unum, penes est quem quidquid ab alto
Adspectat, cœli cum Sol tenet arduus oras;
Istiusque sacræ memores sint lucis, & aras
Ante tuas tibi digna canant præconia laudis.
Tuque illorum animas, fuso qui sanguine pro re
Romanâ, sacrisque tuis, patriaque ruenti,
Vulnera per, pulchramque necem cecidere sub armis,
Sidereas supra sedes, qua fulget Olympi

Regia, duc tecum, & tutâ statione repone.
Et vos ætherei fontes, quos non vagus imber
Verberat, aut pedibus turbat fera, vel gravis æstus,
Aut ramis folia arboreis delapsa, sed estis
Perspicui, gelidúque Deum laudate, manu qui
Pro nobis valida nostros pugnavit in hostes,
Tu quoque Sol, qui vidisti sublimis ab alto
Æthere pugnantes pacata per æquora puppes,
Et nunc tu canere, atque urbis per compita pompas
Ducere solemnes lætus nos aspicis; heu quam
Exiguæ sunt, & tenues, te judice, grates,
In nos pro tantis meritis: qui contulit ille,
Ille sator rerum, & tanti certaminis auctor!
Jam circum septem colles, quos dividit unda
Tibridis, & cursu præclaram interluit Urbem,
Lætitiâ magna exultant, atque ardua voces
Terrarum lætas ad sidera lucida jactant,
Atque novis resonant passim concentibus auræ;
Ipsa coronatis Tuscum mare cornibus intrant,
Flumina, quæ currunt de fontibus Apennini,
Certaque venturis declarant gaudia sæclis.
Tuque Pie ante alios lætare o Quinte, tenes qui
Pervigil in terris Christi sedemque, locumque;
Nam longe es felix, sub quo Deus optimus hostem,
Hostem opibus, simul & terrâ, pelagoque potentem
Mersit in Joniis undis, qui fœdere rupto
Impia in insontes Venetos jam verterat arma,
Et Cypri regno expulerat, victorque tenebat
Totius pelagi imperium, sed det tibi tantum
Omnipotens vitæ spatium, quo cernere possis
Illum amittentem terras, amisit ut æquor,
Et dantem meritas effuso sanguine pœnas,
Pacatum & videas lætis successibus orbem,
Errantesque greges Romana in septa reducas;
Qui vacuos tondent saltus, dumetaque sylvæ
Hercyniæ, gelidique bibunt qui flumina Rheni,
Quosque ferus versat pastor per prata Britannus;
Nam tua barbaricæ populantur ovilia gentes,

Quæ

Quæ rectas liquere vias, justumque piumque.
Tum juvenem, Pater alme, tua pietate, tuumque
Ob numen serva incolumen, quem bella gerentem
Indomitas contra gentes, populosque rebelles
Vidisti toties ad curvi flumina Bætis,
Germanique simul referentem in regna Philippi
Victrices aquilas, & cæsis hostibus arma;
Atque ipsum hunc etiam voluisti ducere classem,
Atque illi summam voluisti credere rerum,
Effice, ut ipse etiam fasces in regna reducat
Æneadum amissos olim, lauroque revincta
Roma comas, Macedum populis, Bactrisque subactis,
Quique colunt Libyam, & Nilum, det jura, jugumque
Excutere impositum possit, violentaque fræna.
Huic etiam pater omnipotens da, major ut ipso
Sit patre, bellando quamvis tot vicerit urbes,
Viderit & captos reges, fusasque phalanges;
Et regno sumptis in regna reduxerit armis,
Expulsum regem, qua Bagrada currit in æquor.
Hæc tibi, Alexander, cecini, dum tu colis oras,
Umbrosis gelidus quas Farfarus irrigat undis,
Commissisque tibi populis civilia reddis
Jura tuis, ritusque sacros, & templa revisis,
Criminaque & vitas discis. Tu perlege quæ jam
Jam toties votis optasti, & gaudia mecum
Tu cape, & ante aras pronus supplexque age grates
Immensasque patri æterno, qui mersit in undis
Joniis Turcarum acies, inimicaque vela;
Atque alias magno grates persolve parenti,
Qui cupidum belli in patriam sedesque reduxit
Farnesium juvenem, qui nomine te quoque reddit;
Duxerat ad bellum quem clarus avunculus armis,
Illius virtutem animi, robusque juventæ
Admirans, puer adversos dum tendit in hostes.

In Regem Turcarum post amissam classem.

Perfide Turca, tuo quid versas pectore; postquam
Amissam pelago classem, stragemque tuorum
Audisti? qua confisus te posse putabas,
Non solum Adriacos fluctus, Tyrrhenaque ponti
Cærula, & Hesperii maris æquora, sed quoque vastos
Cannibalum penetrare sinus, victorque referre
In patriam prædam ingentem; regesque, ducesque
Ante tuos currus captivos ducere; & urbem
Per mediam, rapida quam Bosphorus alluit unda,
Ire invectus equis, auro, gemmisque superbus;
Poscere & ætherios patris omnipotentis honores.
Namque mare undabat bello, atque injecerat atrum
Tunc hominum terrorem animis tua barbara classis,
Sed nunc, en quantum tua te spes vana fefellit,
Atque incerta vides; quoniam sic evenit illi,
Qui numerum ob bellantum audax spem collocat omnem
In regnis, opibusque suis: nec cogitat iram,
Quam Deus omnipotens in sontes vertit iniquos.
Et nunc à Venetis Epiri in littoris ora
Audisti eversas acies, fusasque phalanges.
Nec dubita, ipsa manus Domini fortisque potensque
Quæ gentem, classemque tuam, mox te quoque victum
In nostras eadem ipsa manus, Turca impie, tradet;
Atque manus gemmas vinctus pedes ibis ad alta
Permixtus servis Capitolia, non sine durâ
Compede: & insignes juvenis aget ille triumphos
De te sublimis curru qui nuper in undis
Joniis (ducente Deo) classemque tuosque
Ductores pugnâ navali vicit; & irâ
Tunc magnâ pater accensus numenque genusque
Delebit, Selime, tuum: veluti per aperta
Plana lutum, valido aut pulvis disjectus ab Euro,
Inque tot ærumnas commissa ob nostra, Tyranne
Crudelis, nos incidimus; quarum haud tua classis
Causa fuit, non turmæ equitum peditumque catervæ

Sed

Sed Deus ipse tuas, nobis iratus, in iras
Nos miseros totiens concessit, & oppida, & urbes;
Et nunc, cum sit nos cœlo miseratus ab alto,
Et precibus nostris non obstruat [ut prius] aures;
Iras in te acuet, quas olim exercuit in nos.
Atque etiam tantis, urbs, quondam assueta triumphis,
Nostrorum & spoliis dives, quam nunc ferus ille
Incolit, atque tui contemptor numinis, ô Rex
Omnipotens cœli, & terræ, tu turturis instar,
Quæ nuper thalami consortem amisit, & implet
Flebilibus nemoris nigrantem questubus umbram:
Mortua navali pugnâ, disjectáque ponto,
Et monstris laniata avidis, tua corpora defle;
Et pro sepositâ pallâ, te vestibus atris
Indue, & obscuris lacrimans te conde tenebris:
Tantæ insperatæ cladis testata dolorem
Insolitum; dehinc lætitiam, ludosque repende
Exactos gemitu mœsto, casuque recenti.
Tu verò Deus è celsâ qui sede tuâ nos
Prospectas, dum thura tuas adolemus ad aras,
Et canimus te præsidium, præsensque fuisse
Robur in Jonio, dum ponto fregimus hostem
Threicium, lætique domum spolia ampla, ducesque
Rettulimus; da quod populus tuus insuper orat,
Supplicibusque petit precibus: ne jactet amarus
Sese hostis terrâ pugnans vicisse, marique,
Dicat & insultans: Deus illos liquit, & ultra
Illius non dextra tegit, nec pugnat, ut olim:
Ismariam sed tu primo in certamine classem,
Armaque, pugnantesque viros, vasto obrue ponto;
Instructæque juvent illum non mille triremes,
Bellantum non mille acies, sed victus in armis
Occumbat, tingatque suo freta salsa cruore.

POMPONII GAURICI

EX FANO FORTUNÆ.

De Statuâ Medea.

QUod natos feritura ferox Medea moratur:
Præstitit hoc magni dextera Timomachi.
Tardat amor facinus: strictum dolor incitat ensem:
Vult, non vult natos perdere & ipsa suos.

De Crœso, & Diogene.

Diogenem Pluto venientem ad Tartara novit;
At Crœsum novit Diogenes Cynicus.
Quem postquam fulvas captantem vidit arenas,
Dum Stygios aurum credit habere lacus;
Accedens propius, vilique instratus amictu,
Irridens, dictis talibus increpuit:
Major adhuc sors, Crœse mea est: quæcunque tenebam,
Cuncta habeo mecum; tu nihil, inquit, habes.

Doctus pauper.

Dii quibus ingenii dotes tribuere beatas,
Illis divitias Sors inimica negat.

Ad Macrinum.

Fortunæ mira est, Macrine, ac summa potestas,
Parva citò crescunt, maxima quæque ruunt.

Deponent tumidas mentes, faſtuſque ſuperbi;
Aurea poma arbor; ſudantia mellà dabunt:
Nec Boreas juncum poterit, maluamve movere;
Et rurſus magnus ſternet humi platanos.

De infelicitate rerum humanarum.

Quis queat humanæ tot ferre incommoda vitæ?
Humanæ vitæ quis mala ferre queat?
Si vitam vivas urbanam, jam tibi præbet
Mille domus curas, jurgia mille forum.
Sin tua rura colas, circumſtant mille labores;
Et pelago tecum mors comitata venit.
Nulli gratus, inops: admota uxore quietem
Ne ſperes, viduo nec potes eſſe toro.
Orbus, eris ſine prole: graves in prole labores,
Mente labat juvenis: debilitate ſenex.
Nil quoniam ſupereſt quod me vixiſſe juvabit,
Optandum miſero nil, niſi poſſe mori.

De Tempore.

Cujus opus? quondam Lyſippi, dic mihi quis tu?
Tempus, quidnam operis ſic tibi? cuncta domo.
Cur tam ſumma tenes? propero, ſuper omnia velox.
Cur celeres plantæ? me levis aura vehit.
Cur tenuem tua dextra tenet tonſoria falcem?
Omnia noſtra ſecans radit acuta manus.
Cur tibi tam longi pendent a fronte capilli?
Fronte quidem facilis ſum bene poſſe capi.
Cur tibi poſterior pars eſt a vertice calva?
Me quia poſterior prendere nemo poteſt.
Talem me finxit quondam Sicionius hoſpes,
Et monitorem hoc me veſtibulo poſuit.
Pulchrum opus artificem laudat; proh Juppiter: ô quàm
Debuit hoc pigros ſollicitare viros!

De fuga temporis.

Heu sortem miserandam hominum, vitamque pigendam;
Quàm miserâ nati conditione sumus!
Non ita Maurus eques, ita non levis aura Favonii,
Non ita per noctem somnia visa brevem;
Quàm citò formosæ prætervolat aura juventæ,
Quàm citò jucundi temporis hora fugit.
Hora fugit; curæ accedunt; morbique sequuntur;
Occupat & tremulum curva senecta caput.
Stulti mortales; lugemus morte peremptos;
Lugendum ætatis cùm perit ipse decor.

Virtus immortalis.

Omnia debentur morti? mors omnia solvit?
Omnia mors vincit? omnia mortis erunt?
Nil veri istud habet: nescit mortem inclita virtus;
In mortis virtus non venit arbitrium.

Divitiarum contemptus.

Quid mihi divitiæ? valeant mortalia vota;
Quæ semper magni caussa fuere mali.
Talia quis demens optarit habere, frequenter
Quæ domino fiunt perniciosa suo?
Sat dives, quisquis Naturæ munere parvo
Contentus, vitam, quo teneatur, habet.
Ah curvum genus, & veri corda inscia! fæces
Terrenas summo creditis esse loco.
Quàm melius Schyticæ gentes, quæ talia spernunt,
Quæ sat habent plaustris posse manere suis.
Spectetur virtus, virtus spectetur ubique;
Cetera mortali conditione manent.
Cetera sunt homini vario pendentia casu:
Quæ venit ex factis gloria vera venit.

LUCÆ GAURICI

GEOPHONENSIS.

Virtus immortalis.

AUrum quid prodest homini? quid gloria? quid vis?
Pallida Mors dirâ singula falce metit.
Nil aurum, nil pompa juvat, nil sanguis avorum.
Excipe virtutem, cetera mortis erunt.

Hominis vilitas.

Pulvis & umbra sumus; pulvis nihil est nisi fumus;
Sed nihil est fumus; nos nihil ergo sumus.
Hora fugit, celeri properat Mors improba passu;
Et tegitur cœlo quidquid acerba rapit.

Virtus ante aurum.

Est auro & gemmis pretiosior inclita virtus;
Ingenii quoniam fama perennis erit.

L. PARMENII GENESII

De liberalitate Leonis X. Pont. Max. in Populum Romanum vectigalibus oppressum.

NOn tam læta suas spectavit Græcia lauros,
  Nec tam laurigerum Bacchica turba Deum.
Nec tam prisca suis lætata est Roma triumphis,
  Nec tam cum varias vidit arena feras,
Quam, Leo, gavisa est dudum gens tota Quirini,
  Vidisses Latiæ gaudia vera togæ.
Num Capitolinæ tonuerunt culmina rupis?
  Fulseruntque foci per fora, perque vias?
Non aliter vacuum flammæ per inane volarunt,
  Quam cum sidereo fulgor ab axe cadit.
Hinc sonus; inde sonus; cœlo Leo missus ab alto
  Quæ dedit, hæc vero digna fuere duce.
Æthera tranantes superabunt tempora moles,
  Quas Leo dat populis non morientur opes.
Scribent Historici, cantabunt carmine vates,
  Pro meritis tantis serus & astra petet.

Ad LEONEM X. Pontif. Maxim. supplicatio.

Dic rogo Pontifici, si quæ est tibi gratia, vates,
  Sentiat ut populi publica damna sui.
Vera loqui liceat; cunctis modo grata moneta est
  Julia; sed nullis æra minuta placent.
Sedulus his loculos inventis venditor explet,
  Insolito premitur pondere vulgus emens.

Hinc

Hinc igitur Decimum numeris age flecte Leonem,
Ut precibus nostris annuat, & populi.
Respondi: hoc nostro faciet Leo carmine; salvum
Esse hominem mavult, quam velit orbis opes.

De populi Romani latente Leone X. Pont. Max. mæstitia; ac de eodem apparente letitia, ad eundem.

Tristis ut est aër cum Delius imbre tenetur,
Lætus & est flammis cum micat ille suis;
Sic populi moerent cum te tenet aula Leonem:
Et gaudent, quoties ora serena vident.
Num Latiam vulgus quod jam penetravit in urbem
Terruit hic clamor: vivet in orbe, Leo?
Te vaga dum nuper spectarent lumina solum,
Nemo patres potuit cernere, nemo Duces.
Pontifices alios populi, Leo, semper amarunt;
Te modo jure colunt, & magis orbis amat.

Ad eundem Leonem X. Pont. Max.

Hæc ego jejunus cecini, satur altum condam
Carmina, quæ vivent semper in orbe Leo.

De Leone X. Pont. Max.

Hactenus horrisonis jactata per æquora ventis
Diriget in portum naufraga vela Leo.
Quo duce Saturni spectabunt aurea regis
Sæcula mortales, quos vehet illa ratis.
Ut mare non poterit, poterit sic nulla potentis
Armorum rabies, visque nocere Dei,
Salve igitur, Princeps, magno demisse Tonante
In terras meritis non moriture tuis.

De eodem Leone X. Pont. Max.

Quando, Deus, liquido pisces in flumine [illegible]?
Quando canet [illegible] carmina [illegible]?

Quan-

Quando feret tellus duro sine cuncta labore?
Quando legam, rubris quæ legit Indus aquis?
Quando hic Assyrii passim nascentur odores?
Hic sua quando metet gramina pastor Arabs?
Tum Deus hæc fient, inquit, mea carbasa cœlo
Demissus tacita cum reget arte Leo.

Ad eundem LEONEM X. Pont. Maxim. de Coronatione.

Quod tibi sit pietas animo, Leo, tuque futurus
Quod fautor mentis præsidiumque bonæ.
Creditur externo, populoque adstante Quirini,
In caput e cœlo lapsa corona tuum.
Hæc erat in populis vox unica, sæcula vivat
Nestoris, Euboicos continuetque dies.
Principe quo populos Asiæ, Libyæque subactos
Spectabitque Numæ tempora nostra dies.

De eodem Leone X. Pont. Max.

Dic rogo de Decimo quid sentis amice, Leone,
Qui modo tam sanctus dicitur esse pater?
Hunc ego credideram verum fore tempore nostro
Pastorem; elegit Juppiter arce sua.
Flumina melle fluent, descendet ab æthere Virgo,
Cumque sua populis jura sorore dabit.
Principe quo longa Mavors formidine terras
Solvet, & in toto pax erit orbe diu.
Si videas animi quæ vernant pectore dotes,
Vix melior Tatius, simpliciorque fuit.
Vivat in orbe diu, quando uno hoc ore loquuntur,
Quam cœlum est superis, tam bonus orbis erit.

Ad eundem Leonem X. Pont. Max.

Hæc loca jam bonitas, Leo, semper adire timebat,
Scilicet horriferi plena timoris erant.

Nunc

Nunc tua tanta quies pulſo colit atria Marte,
  Quanta olim Nerva ſceptra tenente fuit.
Hinc Leo quando tuis excludis ab ædibus arma,
  Auguror, Auguſti ſæcula noſtra fore.

UBALDI GENUENSIS

De Duello Fed. Savorgniani & Martii Colloredi.

CUm gemini juvenes, peperit quos Julia tellus,
Ambo pares annis, invictis viribus ambo,
Effoderent nudum per mutua vulnera pectus,
Vidit, & ex alto veniens Pax aurea cœlo
Sanguine rorantes pugnantibus abſtulit enſes;
Ac tali ambiguum certamen voce diremit;
Eſte pares in amore, pares velut eſtis in armis.

PETRI GHERARDII

BURGENSIS

In defunctos prælio navali contra Turcas.

NOn hic funde rosas: petierunt templa Deorum
Illustres animæ, pro pietate suâ.
Æternamque sibi vitam nobisque pararunt
Otia Christicolis longa per Ausoniam.

De eadem pugnâ.

Dardanidum Veneti genus, & Romana juventus,
Dux quibus ad bellum præsidet Austriacus;
Argivâ cum classe manus, atque hostibus Afris
Fluctibus in mediis conseruere sali.
Dum pugnant, sparguntque faces, & spicula vibrant,
Scinduntur dubiâ seditione Dei.
Mars a Romulidis, & Trojæ Cynthius auctor
A Venetis toto pectore stare ferox
At pelagi domitor Danais, Vulcanus & Afris
Ore favere, & opem suppeditare simul,
Adstat Mavorti Cypris, Phœboque Diana:
Neptuno Pallas, Junoque Mulciberi.
Hæ cupiunt iterum crudeli evertere bello
Relliquias Danaum per maria alta truces;
Amissos illæ reparare nepotibus optant
Fines, & tumidi tradere jura maris.
Dum studia hæc inter ventos tenet Æolus antro
Descendit volucris regia sideribus:

Quæ

Quæ Numidum classem disiecit, & agmina Grajum
Rostro, atque alarum præpete remigio;
Hosque volans laniavit atrox, & distulit ungue:
Hos fera cæruleis præcipitavit aquis.
Obstupuere metu Juno, Saturnia, Pallas,
Æquoreusque parens, ignipotensque Deus.
Lætitia exultat Mars, Phœbus, Cynthia, Cypris;
Adiiciunt Superis Austriacumque ducem.

De eadem.

Qui modo pestifero tot jugera ventre tegebat
Terrarum serpens, & volitabat aquis,
Cunctaque inexpletum rapiebat corpora passim,
Tyrrhenis errans, Adriacisque vadis;
Arte nec humanâ deleri posset, & astu;
Perdidit hunc volucris regia lapsa polo.
Namque illum e pelago fugere, elabique volentem
Corripuit, sævos implicuitque pedes,
Sublimemque tulit, rostroque atque ungue cruentans,
Exanimum salsis præcipitavit aquis.
Quo facto terras purgavit labe malignâ;
Solvit & altivolans Itala corda metu.
Quæque fretum timuere rates, jam cærula tutæ
Verrunt, nec fraudes permetuuntque dolos,
Omnis, io, reginam avium sonat æquoris unda;
Rura canunt Aquilam, templa, domusque virum.
Ergo quid arguitis rapti Ganimedis honores?
Illa Jovi lusus non agit usque suo;
Et digna est sacris celebri certamine ludis;
Et victor Phœbus, Pythia qui meruit.

Adhuc de eadem.

Non jam Luna mari fulget, sed mersa profundo est
Lumine cassa, fretum Solis sub luce serenâ,
Navita, percurre: hæc tutum per cærula cunctis
Reddit iter, qui classe parant accedere portum,
Felices degant ubi veræ tempora vitæ.

In Turcas.

Candida Luna orbem totum complere parabat;
Cornua sed miseræ fracta fuere modo.

In Augustinum Barbadicum.

Ut salvum novit clypeum, de pectore duxit
Thebanus jaculum dux, obiitque libens.
Ut bene rem pelago sensit succedere, traxit
Dux Venetum ex oculo missile, obire volens.
Lætus uterque perit pro libertate tuenda,
Lætus & hostiles fregit uterque minas.
O rari virtute duces, & carmine digni
Perpetuo! o felix patria, quæ genuit!
O priscis potius sæclis oriunde beatis,
Dux Venetum, ut sapiens Græcia te caneret!

In eundem.

Victori lumen tibi Barbarus hostis ademit,
Ultima ne caperes gaudia, Barbarice.

In eundem.

Non licuit spectare oculis quæsita trophœa
De Turcis pelago dux tibi clare feris.
Nam tibi quæ eripuit jucundum lumen arundo,
Illa eadem vitam (proh dolor!) eripuit.

In eundem.

Littora pro tumulo ponas, victasque carinas
Desuper, ut forti sint pia busta duci.
Ismariumque nota Mavortem in fronte sepulchri,
Et Selymum: hoc tumulo contege Barbaricum.
Vociferansque Leo super adsit, qui mea dicat
Gesta, brevi magnum quid tumulatis humo?

In eundem.

Lumen eras Venetæ, dux illustrissime, gentis;
Atque idem tenebras orbatus luce tulisses
Illi, ni multo per te quæsita labore
Splendorem miseræ Victoria læta parasset.

In eundem.

Assiduo Veneti perdebant lumina fletu,
Quod dux illustris lumine cassus erat.
Non tulit in tenebris Victoria læta jacere
Hos, & se cunctis cernere posse dedit.

De Triumviratu.

Quæ victrix fuerat, potensque Roma,
Paulatim cecidit Triumviratu
Antoni, Lepidique Cæsarisque;
Clades inde quot Actium sequutæ?
Quot Mundi caput urbs tulit ruinas?
At victrix iterum, potensque Roma
Se mox restituit Triumviratu.
Nam Pii, Venetum, Austriique vires
Hostem non procul Actio superbum
Fregere unanimes, & expaventem,
Romamque, Italiamque recrearunt.
Gaude, Roma potens, Triumviratu
Hoc brevi caput orbis es futura.

Ad Lunam, insigne Turcarum.

Lumine Luna notho credis te posse volucrum
Lædere reginam, dum volat illa mari?
Falleris; hæc oculis radiantia lumina Solis
Sustinet, & temnet lumina parva tua.

In

In obitum Fabii Gratiani.

Cur tristes, animose Fabi, tua funera flemus?
Funera non lacrimis sunt decoranda tua.
Namque ubi tu melius poteras fudisse cruorem,
Aut vitam melius ponere, bella sequens?
Est tibi profusus Christi pro nomine sanguis,
Qui pro te sanguen fuderat ipse prius.
Tu mortem Christi pro relligione subisti;
Pro te sustinuit qui prius ipse mori.
At tibi perpetuâ, juvenis fortissime, vitâ,
Mutatur tenebris mors adoperta caput;
Et Superum pennis sublatus, regia Cœli
Tecta petis, summo perfruerisque Deo.

In eundem.

Quæ tibi glans niveum trajecit ahenea pectus,
Suscepto igne cavis molibus acta, Fabi;
Eripuit dulcem tibi vitam, & gaudia nobis
Abstulit, & patriæ spemque, decusque tuæ.
Nam tu noster eras amor, & suprema voluptas,
Et patriæ lumen, præsidiumque potens.
Sed tibi nec dulcem vitam glans abstulit illa,
Quin vita est dulcis parta cruore tibi.
Nam tu cœlicolum stellanti in sede locatus
Ævum cum superis forte beatus agis.
At nos in tenebris luctuque relinquis amicos,
Et patriæ demis spemque, decusque tuæ.

Eidem.

Pro Christo tibi mors brevis est, animose, petita,
Qui te immortali morte redemit amans.
Vita brevis tibi pro Christo est, animose, profusa,
Qui tulit æternam vectus ad alta tibi.
O nimium felix lethum, nimiumque beata
Vita! pias sedes hæc peperere tibi.

In

In ejusdem obitum.

Dum tendit Fabius per barbara tela, per ignes,
Tactus ab ardenti glande colorat aquas.
Dum cadit, & Turcas videt inclinare, sonanti
Ore inquit, gaudens hoste cadente cado.

In obitum Ludovici Paulucii Perusini militum Ducis.

Nactus præpropere fueras qui Martis honorem,
Te te præpropere Mors, Ludovice, rapit.
Præpropere rapuit; tua si perpenditur ætas,
Clotho vix quatuor nam tibi lustra dedit.
At non præpropere, si quis tua facta revolvit,
Quæ fecisse puto vix potuisse senem.

In eundem.

Tu generis, patriæque novo splendore superstes
Aucturus fueris, Italiæque decus;
Mors tibi sed vitam, titulosque invidit honestos,
Noluit antiquos te superare duces.
Ipsa tamen Mortis, quæ spicula certa retundit,
Rerum gestarum gloria viva manet.

De eodem.

Dic mihi, quid lacrimæ? miles quid pectora tundit?
Quisve novus resonat mœstus in urbe sonus?
Cur pullas sumpsere togas tot in urbe celebres,
Et genere, & factis conspicuique viri?
Martis honos cecidit; Perusinæ flosque juventæ;
Pauluciæ gentis spes, amor, atque decus.

De eodem.

Plus solito exardens cur cur bella minatur
Undique; & è cœlo Juppiter arma pluit?

Turcarum insidiis juvenem Mars esse peremptum,
Quem dolet, ulcisci cum Jove promptus adest.
Sanguine barbarico Martis saturabitur ira;
Sanguine barbarico lenta erit ira Jovis.

Ad Fulvium Paulacium ejusdem Ludovici fratrem.

O quam Pegaseum vellem potasse liquorem,
Pimplæumque frequens incoluisse nemus:
Efficerem, Fulvi, late Ludovicus ut esset
Cognitus Eois, cognitus Hesperiis.
Pro re nunc animus tibi suscipiendus amici,
Ut, quod non possum, sit voluisse satis.

Ad Antonium Perrenottum S. R. E. Cardinalem Granvelanum, & Neapoli Proregem.

Dum latos populos magna ditione gubernas,
Et justi, rectique tenax, moderaris habenas
Rerum, virtuti persolvens præmia digna,
Et meritas vitio tribuens sine crimine pœnas;
Dum te flagranti studio, atque applausibus omnes
Excipiunt gentes, & tanto principe lætæ,
Inque caput, sacrosque humeros, gremiumque, manusq;
Purpureos flores, & candida lilia jactant;
Dum tibi concelebrant solemnes ordine pompas,
Et festas agitant luces clamore secundo;
Aurea Pax summo veniens e vertice Cœli,
Quam pia relligio, probitas, rectique cupido,
Et dulcis sine fraude lepos comitantur euntem,
Qua pater irriguo Sebethus flumine currit,
Constitit, & tales profudit pectore voces:
O fortunatæ tali sub Principe gentes,
O felix etiam tanto pro munere Princeps!

Epitaphium Catellæ.

Parva caput, variata pilo, caudaque decora
Lenibas curas, fida Catella, meas.
Et blandè hoſpitibus latrabas ore venuſto,
Ludebaſque tuo ſuave nitente pede.
En menſæ aſtabas erecto crure, bipeſque:
Et ſueta es longos ducere juſſa choros.
Et tereti collo geſtans crepitacula, totam
Mulcebas grato blanda ſonore domum.
Qua nunc pro teneris includere luſibus urna,
Et volui titulo condecorare brevi.
Jam te dignavi menſâ, tepidoque cubili;
Nunc ego te dono marmore carminibus.

JO: MARIÆ GHERARDII

BURGENSIS.

Donati Tumulus.

COnſilio, qui regna gravi ſervare ſolebat,
Et populos nutu conciliare ſuo ·
Qui claſſem, portus, arces, moleſque ſuperbas
Rexit Mauſolum, Florâ venuſta, trium;
Qui vigilans menſarum Annonæ larga parabat,
Oppreſſo factis dulce levamen erat;
Qui claros virtute viros ſuper aſtra ferebat,
Hic jacet; & virtus, blanditiæque jacent;
Donatus tumulo recubat, ſed fama per Orbem
Advolat, & fruitur ſpiritus ille Deo.

Votum ad Virginem pro incolumitate Magni Ducis Etruriæ.

Ætherei Regina chori, Cœlique voluptas.
Aurea, terrarum non peritura salus;
Aspice funesto mœret quam Flora dolore,
Dum Rex Etruscus languida membra trahit.
Errat, si dormit custos, deserta capella,
Si dux deficiat, miles inermis erit;
Nunc si morte premas, quis munera larga quotannis
Offerat, & templis thura Sabæa dabit?
Quis delubra tibi gemmarum luce coronet,
Ceræ ubi perpetuum fundat ab igne diem,
Et quis lunatas classes, multumque furentes
Turcas disiiciat, corripiatque mari;
Quisnam Mavortem, nostrisque arcebit ab oris
Pauperiem, febre si jacet urbis apex?
Redde urbi Cosmum, firmas tu suffice vires,
Hoc proni cuncti pectore, Virgo petunt.

Eleonoræ, Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ Filiæ, tumulus.

Non tibi fraternæ radiarunt ora coronæ,
Et fugis? heu tenuis pulvis, & umbra sumus.
Eleonora jaces; sed sole recincta coruscat
Pars melior, Cœlo quam bene nupta Deo!
Hæc tibi virgineos celebrat festiva Hymenæos
Dum Flora ad tumulum, solvitur in lacrimas.

Ad Franciscum Bracciolinum Poëtam celeberrimum.

In nova cum cecinit mutatas corpora formas
Naso, dedit falsis nomina magna diis.
Tu contra, Francisce, notas infanda deorum
Crimina tu fraudes, & scelus omne domas:

Fal-

Falſum commiſtis quod tetigit ille tenebris,
  Tu retegis veri candidiore face.
O dignum tantis certamen vatibus! ipſa
  Sed dubitat qua nam laurea parte cadat.
Arbiter interea Naſonem dixit Apollo
  Laudo, Brachiolus munera noſtra ferat.

De Principe Laurentio Mediceo.

Bronzinum juſſit placatum pingere Amorem,
  Sed Martem torva pingere fronte Venus.
Laurentem pinxit, dicens in pectore Mavors
  Regnat, & ex oculis ſpicula jactat Amor.

In Coſmum II. Mediceum Magnum Etruriæ Ducem.

Odryſiam ſternit claſſem ſi nomine Coſmus,
  Quid cum bellatrix torqueat arma manus?
Hoſte triumphato poterit, nec fallor, in undis
  Vel pro Neptuno dicere jura Mari.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII

SOCIETATIS JESU.

NEAPOLITANI.

LEOPOLDO I. CÆSARI, AUGUSTO.

TITYRUS.

Argumentum.

Tityrus piscator, Lycida hortante, Cæsari epinicium ob Viennam liberatam canit, per Tityrum Poëtam, per Lycidam vero Josephum Mediceum Octaviani Principem, qui primus Victoriæ nuncium Vati attulit, intellige.

LYCIDAS, TITYRUS PISCATORES.

Lyc. Tityre, quid vitreas recubans Crateris ad undas
Otia lentus agis? tenui cur lætus avena
Non dulcem viridi Musam meditaris in acta?
Tit. Non equidem, Lycida, non hoc fert carmina tempus,
Improba sors quando, & Scytha barbarus omnia versāt,
Lyc. An quæ Parthenopes audivi nuper in urbe,
Cum domino ferrem Synodontas, Tityre, nescis?
Tit. Dic, age, quid, Lycida, Sirenis ab urbe reportas?
Lyc. Tityre, læta tibi Sirenis ab urbe reporto.
Urbs secura metu: perrupit barbara castra
Augustus Cæsar Leopoldus, & agmina mille
Threïcium fudit, gelidoque immersit in Istro.

Tit.

Tit. Verane sunt, Lycida hæc, an dulcia somnia amantũ?
Lyc. Vera quidem; nam fama volans pernicibus alis
Danubio ex alto Romam pervenit, & omnes
Italiæ implevit lætis rumoribus urbes:
Et modo Parthenopen replevit, Tityre, nostram.
Nonne vides, ut crebra sonum tormenta canorum
Dent passim, & tutis plaudant terroribus arces:
Nostraque festivis ardescat (1) Olympia flammis?
Tit. O quantum exsilio, Lycida dum talia narras:
Exsiliunt mihi læti oculi, lætum exsilit & cor.
Munere pro tali pulchra te murice concha
Donabo, Lycida, dono mihi quam dedit olim,
Cum canerem, Melisæus: aquis non venit ab altis
Pulchrior. Est circum vario depicta colore;
Et mare depictum, & scopuli spectantur, & udum
Litus, & in tremulo fugientes gurgite cymbæ;
Naturæ ludentis opus, quam murice concham
Credo equidem pinxisse manu, ingenioque magistro.
Namque opus hoc casu minimè evenisse putandum est.
Lyc. Accipio pulchram, quam das mihi, Tityre, conchã.
Tu vero Augusto dignam, tantoque triumpho
Litoream tenui calamo meditare Camœnam.
Namque acta in nostra jam te dixere poëtam,
Et tibi jam nostræ gratantur (2) Olympides, & te
Velarunt musco Nymphæ, tumuloque propinquo
Sinceri applaudunt Manes, Manesque Maronis.
Tit. Litoream Musam dicamus, & æquora cantu,
Litoraque, scopulique, omnisque resultet Olympus.
Incipiam, tu, docte, modos percurre loquaces.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha,
Vicit, io; Cæsar, vos, o maris aurea proles,
Nereides formosa Theti, formosaque Dori,
Huc celeres imis a sedibus usque venite:

(1) Sic antiquis dicta est ora maritima inter Lucullanum, & Pausilipum, vulgò *Chiaja* Scip. Manzella in descriptione Regni Neapolitani.
(2) Musæ ab ora Olympia sic dictæ.

Et viridi sertum victori texite myrto.
Cæsaris & viridi consuescant tempora myrto:
Nam vetus est laurus; nova sint insignia Regum.
  Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io; Cæsar: calcata superbia Regis
Eoi, fractæque acies, fusique manipli,
Threiiciique, Arabesque, sagittiferique Geloni,
Victi omnes, versæque retro fugere tyranno
Mille acies, & mille virum data millia letho.
Centum pro tali nunc dicite digna triumpho
Carmina, Pausilypique Deæ, pelagique puellæ.
  Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io, Cæsar: Neptunia Numina, Glauci,
Voce ciete sonum, & conchas inflate marinas.
Ite sub Antipodas, celeri vos ite natatu,
Ac geminos facti famam proferte sub axes:
Audiat Hesperius, simul audiat Orbis Eous
Augusti palmam, & Romæ gratetur ovanti.
  Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
Vicit, io, Cæsar; per littora spargite muscum
Najades, & circum vitreos considite fontes;
Pollice virgineo teneros hic carpite flores:
Floribus & pictum, divæ, replete canistrum.
At vos, o Nymphæ Craterides, ite sub undas;
Ite, recurvato variata corallia trunco
Vellite muscosis e rupibus, & mihi conchas
Ferte Deæ pelagi, & pingui conchylia succo.
Hæc ego victori Leopoldo munera mittam;
Atque hæc cæruleis apponam carmina donis:
Hæc piscatoris ne temnas munera, Cæsar;
Namque his Neptunum donamus, & his quoq; Dorin;
Est & Neptunus Deus æquoris, & Dea Doris.
  Currite, Tritones, per cærula, currite concha,
Vicit, io, Cæsar: per marmora ludite cymbis,
O juvenes, puppesque novis ornate corollis;
Et niveos inter delphines ludite cursu.
Tritonum interea vocali scrupea concha
Antra sonent, scopulique, omnisque à vertice pontus.

Et

Et circum socio responsent litora cantu.
Omnia lætitiæ concedant; omnia festis
Vocibus applaudant victori, & murmure læto
Augusti nomen Leopoldi ad sidera tollant.
Currite, Tritones, per cærula, currite concha.
O mihi si cœlo exoptatus fulserit unquam
Ille dies (illum Superi concedite Divi)
Quo te regali in puppi super æquora vectum
Antiquam imperii sedem lustrare sub Ortum,
Atque per Eoi populos dare jura volentes
Aspicerem: tunc ipse tuas jam dicere laudes
Aggrederer, nomenque tuum, tua facta per Orbem
Mœonio ferrem cantu, calamoque Sicano.
Me super assurgens humiles procul ire jubebo
Pausilypi Musas, & litora; me sacra Pindi
Accipient nemora, & Parnassi dulcia Tempe.
Litoream interea, Cæsar, ne despice Musam,
Quam tibi cærulei cecinit Crateris ad oram
Tityrus, e patrio qui primus litore Musas
Per vitreas vexit velis majoribus undas,
Primus & audaces duxit per cærula nautas.
Tu vero pulsare, puer, freta desine concha;
En cava soliciti veniunt ad litora nautæ:
Et [1] Megaræ turres jam longior occulit umbra.

PARTHENIS.

ARGUMENTUM.

Jolas piscator Virginem, humani generis delicias, unice adamabat; qua cum dulce queritur, quod se ex oculis subtraxerit. Per Parthenidem, Virginem, per Jolam, religiosum virum intellige.

Parthenidem puer ardebat piscator Jolas,
Delicias divum, atque hominum, quam sæpe solebat
Ad

(1) Insula Lucullano objecta, quæ & castrum Lucullanum appellata est, *Castel dell' ovo*.

Ad (1) Mergillinæ vitreos invisere fontes,
Sacrum ubi Parthenidis stat curvo in litore templum.
Hic cum jam Zephyri ponebant murmura; & altum
Purpureus rediens pulsabat Vesper Olympum,
Hæc dulces inter lacrimas incondita solus
Fluctibus, & duris jactabat carmina saxis.

Jol. Quid tantum refugis, bona Virgo? quid & mihi tantum
Divinum avertis vultum, renuisque videri?
Ah miser, ah nostros contemnis Parthenis ignes?
Prætulerimne aliquam tibi forsan, Dia, vereris?
At mihi vos, Superi, testes, si corde caducum,
Aut unquam mortale aliquid meditatus; & ipsi
Sint mihi vel scopuli testes, sint litora, & undæ.
Dicite vos, scopuli, vos litora dicite, & undæ,
(Si sensus scopuli, si litora habetis, & undæ)
Parthenidem si semper ego piscator amavi;
Nam voces vos sæpe meas audire soletis,
Atque repercussas mea reddere verba per auras.
Ah nostro quoties offensæ murmure cautes
Parthenidem sonuere; meos jam carmine amores
Edoctæ rupes resonare, & concava saxa.
Et vos, quæ nostro frondetis litore, quercus,
Dicite (nam sensus, & habetis numina quercus)
Hæc vestro quoties incidi carmina trunco:
Te, Virgo, piscator, amat, & amabit Jolas:
Et veluti hæ quercus, crescent sic semper amores,
An me tu forsan, Virgo, aspernaris amantem,
Quod pauper piscator? erat piscator & ipse
Nonne puer, formosa, tuus, quem sæpe beato
Amplexum gremio tenuisti, & dulcia sæpe,
Atque optata sacris libasti basia labris?
Ille nec erubuit calamos, non retia, & hamos,
Nec parvam sociis agitare per æquora cymbam,

Cum

---

(1) Amœnissima ad Pausilypum Villa in extremo oræ Olympiæ *Mergogtino*, olim Actii Syncerii, ubi celeberrimum ejus sepulchrum in templo ab ipso Virgini, & Divo Nazario dedicato.

Cum Deus ipse, maris regnator, & ætheris alti,
Qui nutu terras, nutu qui sidera torquet.
Fortis amor; nostrum quis vincere possit amorem?
Ille Deum in terras, vel ab æthere traxit amantem;
Atque malis hominum pariter consuescere jussit,
Et tu, Diva, meos nunc aspernaberis ignes?
An mihi dura, quia agresti munuscula cultu
Nulla tibi misi? misi tamen ipse rubentes
Bissenas de more rosas tibi, Dia, quotannis,
Et meminisse potes; namque hoc cum carmine misi:
Virgo, noster amor, tuus hæc tibi mittit Jolas.
Quin etiam variis memini misisse corollam
Floribus intextam, & calathis quoque lilia plenis:
Candida (novi equidem) quia sunt tibi lilia cordi.
Sunt & plura mihi in testis; cras illa videbis
Ante aras, Regina, tuas emittere odorem.
Præterea, dura quæ vix de caute revelli
Nuper oliviferæ piscosa ad saxa (1) Minervæ,
Bina mihi curvos variata corallia ramos;
Bis petiit Nisæa soror, bis & mihi furtim
Sublegere aggressa est; arca sed condita servo.
Illa tibi multo cum carmine mittet Jolas.
Natalem cum, Virgo, tuum lux annua reddet.
Sed piscatoris parva hæc an munera spernis,
O Divum Regina? tibi sed munera digna
Quî ferat? ipse suis vix dignum texit amictum
Sol radiis; vix Luna pedes tibi lambere digna est.
At, quia dulce sibi cor amantes mittier optant:
Cor tibi, quod tantum restabat, misimus ultro.
Quidquid idest, certe Deus ipse hoc munere majus
Nec sperare potest, nec reddere possumus ipsi.
At tibi quod totum, Virgo, jam misimus illud,
Scis equidem, certisque potes cognoscere signis,
Mane ego te primo, te vespere, Diva, saluto;
Sæpius atque die in medio tibi carmina dico;

Atque

(1) Campaniæ promontorium, *Capo di Massa, o la Campanella*.

Atque tuum quoties audire, & reddere nomen
Contingit, tunc ore fero prona oscula terræ
Cernuus, & cœli venerabile pignus adoro,
Nil tamen hæc prosunt, dulcem si cernere vultum
Dura negas, tantumque meos contemnis amores.
At mihi te propria vetitum si cernere forma,
Appicta in tabulis saltem simulacra videbo.
Sic aliqua & nostro dabitur medicina dolori:
Est sua conspectu vel inani blanda voluptas.
Ah timeo (de te quoniam mihi credere tantum
Non equidem, bona Virgo, licet) ne pectore nostro
Quid lateat, quod, Diva, tuos offendat ocellos.
Dic mihi quis lateat malus anguis? ut & citus illum
Conteram, & optato dignus jam reddar amore.
Sed tempus rutilis percurrere litora flammis;
Nostra sed occultæ depascent pectora flammæ;

ANTIGENES.

ARGUMENTUM.

Milcon, & Dorilas piscatores mutuis inter se primum conviciis, mox, advocato Antigene, carmine certant: sed neuter vincit, Antigenis sententiâ. Per Antigenem intelligit poëta familiarissimum suum Josephum Vallettam Jurisconsultum eximium, per Argilochum innuit Franciscum Solimenem Pictorem sui temporis egregium.

MILCON, DORILAS, ANTIGENES.

Mil. Dic mihi cui nassas servas puer? an Polybotæ?
Dor. Non illi, at Lycabæ, Bajas qui nuper abivit.
Mil. Infelix piscator, ovem qui nescius isti
Commisit servare lupo: nam sæpe revisit
Hic nassam, & partem prædæ sibi subripit udæ.
Dor. Tu fur, tu nassis solitus subducere pisces.
Te modo cum præda fugientem ab litore vidi,
Cum fumosa citus Phrasidami tecta petebas.

Plu-

Plurima sæpe soles ubi, pessime, condere furta.

Mil. Vidisti, Doryla, sed cum te Liber habebat
Numine repletum multo, & dulcedine lætum.
Quippe tibi trullas mos est siccare rubentes,
Atque omnes vili vappa purgare tabernas,

Dor. Ista viris, perverse? mihi non murice pictam
Clam nuper concham medio furatus ab antro es?

Mil. Nunc etiam inflaris temulento, ut semper, Jaccho;
Non reddenda mihi pro pignore? protinus hinc te
Ni cito proripias, saxo caput, improbe, frangam.

Dor. Tu Doryla? nostris ni te, scelerate, Comatas
E manibus toties rapuisset, mortuus esses.

Mil. Novit, & ille tibi quoties cava tempora fregi.

Dor. Te, te ego: vicinus prohibet sed plura satelles.
Dic, age, danda tibi quonam pro pignore concha?
Post mihi (nec fugies) pœnas tu, perfide, solves.

Mil. Te quia tunc mecum certantem carmine vici.

Dor. Tu me cantando? non tum mea carmina fluctus
Mirati, & rigidæ movere cacumina rupes?
At te, cum fracta strepere, indocte, cicuta,
Nereides, pelagique omnes sprevere puellæ.
Vis ne iterum certare? novo certamine victus
Tum me cantando vicisse fateberis ipse.
In medio statuam duo pocula, quæ mihi Gallus,
Cum procul Armoricis venisset portitor oris,
Vendidit Eurialus Cumarum in litore quondam.
Divini est opus Argilochi, qui pocula fecit.
(Argilochum memini Eurialum dixisse magistrum)
Depicta in medio spectantur cærula, & udis
Stat senior, Batto similis, piscator arenis,
Cui nudo nimium nitenti educere ponto
Retia, purpureo turgescunt sanguine venæ,
Et duri multo tenduntur robore nervi,
Omnibus ut credas piscari viribus illum.
Non longe sedet in scopulo formosa puella,
Seu vitrei sit Nympha maris, seu litoris una,
Quæ viridem vario distinguit flore corollam
Myrto intertextam, nitidisque aspectat arenis

Pi-

Piscantem, & risu ludit dea pulchra soluto.
Parte alia surgens aprico vinea colle
Uvis luxuriat maturis, parvulus illam
Custodit puer, & roseo pulcherrimus ore est,
Qui sepes prope vimineas considit, & illum
Stant geminæ circum vulpes, quarum altera vites
Per medias cursat, qua dulcior uva racemo
E læto pendet, folioque intecta virenti
Clam latet, & dulces morsu depascitur uvas.
In peram versata dolos struit altera furtim,
Atque pyra, atque nuces, atque aurea mala rapaci
Subripit ore, puer capiendis mane cicadis
Intexit junco casses, nec mitia poma,
Nec vites quicquam curat; sed totus in uno
Est opere: & puero sua sunt puerilia curæ.
Nec labra admovi, quamvis me sæpe rogaret
Nisa: sed intacta ex illo servantur in arca.
Mil. At mihi nodoso sunt bina corallia trunco,
Nuper Teleboum dura de rupe revelli;
Hæc sint victori sua munera: plura neque ausim
Ponere; namque domi, o Doryla, mihi dura noverca,
Et durus pater est, arca qui condita servant
Cuncta: nec est quidquã, quod clam subducere possim,
Dor. Jam certare placet: veniam quocumque vocaris.
Non me iterum effugies; faciam, certamine victus
Ne Dorylam, aut alium posthac tu voce lacessas.
Audiat hæc tantum, vicino in margine ripæ
Qui sedet, & Zephyros, & dulcia frigora captat,
Antigenes: nunquam sic me vicisse negabis.
Mil. Nec te, nec quenquam fugio. Bonus huc age nostras,
Antigenes, audire veni, & laudare Camœnas.
Ant. Dicite jam, pueri, molli consedimus alga,
Frigus ubi lato præbet curvamine rupes.
Lumine nunc cœlum puro nitet; æquora rident,
Et placidi rident Zephyri, luduntque per undas
Nereides, vitreosque revisunt Najades amnes,
Dic prior, o Doryla; referet mox carmina Milcon.

Ludi-

Ludite & alternis: nam alternis ludit Apollo.
Dor. Cærulei fluctus, & marmoris ima canori,
Dicite, si Dorylas cantavit amabile carmen;
Dicite, festivas & gurgite tollite voces;
Si secus, immoto torpescat in æquore pontus.
Mil. Muscosæ cautes, & aquis lita saxa marinis,
Aurea si calamo deduxit carmina Milcon,
Ostreaque, & læto conchylia gignite succo:
Si contra, vacuas sine succo effundite conchas.
Dor. Cum lentus canerem sub tegmine rupis opaco,
Qua super incumbit placidissima Mergilline,
Nereides vitreis se tollere protinus undis,
Et placidos miscere choros ad carmina vidi.
Mil. Qua se Pausilypus deducit in æquora clivo,
Dum sedeo, & gracili deductum carmen avena
Sæpe itero, dulci Sirenes murmure captas
Aspexi ad litus celeri properare natatu.
Dor. Me scopuli, Misene, tui, collesque Dicarchi
Viderunt suavi mulcentem carmine Phocas.
Mil. Me Prochyte aspexit muscoso in vertice saxi
Cantantem rigidas mollire in fluctibus Orcas.
Dor. Retia si jacio, veniunt ad retia pisces;
Si nassas, pingui gravitant sub pondere nassæ.
Mil. Nunquam cæruleis immergitur hamus in undis,
Qui mihi non molles ferat alto a gurgite prædas.
Dor. Dum viridi e scopulo nudus sub marmore mergor,
Ostrea dura lego, & pingui conchylia succo,
Mil. Cum noctu nitidis perlustro litora flammis
Octipedes rigida divello e rupe paguros.
Dor. Blanda mihi semper Fortuna, & cærula rident:
Et formosa suo ridet mea Nisa marito.
Mil. Aurea decurrunt mihi secula, marmora numquam
Dura mihi, & numquam tristes Amaryllidis iræ.
Dor. Dic (1) quibus in terris (& eris mihi Proteus alter)
Sub-

V

(1) Tarenti, ubi non longè a litore ingentes palos incolæ figunt, qui vertice suprà aquas extant, in hosce è cœ-

Subter aquas jacto nascantur semine conchæ?

Mil. Dic (2) quibus in scopulis felicibus Iride picti

Versentur pisces, & pignora victor habeto.

Dor. Dic (3) ubi squamigeræ veniant ad littora prædæ

Sponte sua, manibusque udis captentur arenis?

Mil. Dic (4) ubi lacteolos progignant cærula pisces,

Os quibus est nullum, dorso nec spina rigescit?

Aut. Haud equidem vestras ausim componere lites;

Tu pateras; hic nigra corallia: dignus uterque.

Ducite jam nassas, pueri, nox humida venit.

---

lo ros decidit, concharumque sufficit semina; corrupto Græco vocabulo *Lo Fito* vocant, hæc inde è pasis abstrahunt, subterque aquas ad ostia parvi sinus mittunt, vehemens ubi est maris fluxus, ibique mirum in modum excrescunt.

(2) Ad Pausilypum, ubi pisces triplici Iridis colore nascuntur, regios pisces Olympici vocant.

(3) In ora Rhegina ad Cænym promontorium, de quo infrà sæpè incidet mentio. Hîc enim Pelamydes a Delphinis agitati, marisque fluxu ferente, in terras incidunt: utque Delphines fugiant, in litus exiliunt, capianturque ab incolis nullo negotio, rem sæpè non sinè voluptate admiratus sum.

(4) Rhegii, & Massanæ: *Cicirelli* vulgus vocat; suavissimi saporis sunt, ac veluti lac coagulatum: de his plura in Halieuticis.

LEO-

LEOPOLDO I. CÆSARI, AUGUSTO,

CÆSAR

ARGUMENTUM.

Vienna obsidione liberata, fuso, fugatoque Barbarorum exercitu, Strigonioque recepto, promissa Superum oracula aurea mundo secula jam incipere Cæsari gratatur Poeta, cui, pulsis Europa Scythis, Orbis universi imperium augurattur.

Actiades Musæ, paulo majora canamus:
Non humiles cunсti myrtos sectantur, & algas,
Litora si canimus, sint litora Cæsare digna.
Tristia nunc tandem cessere oracula Divum,
Nec duros ultra portendet (1) pagina casus.
Spes redit, Austriacisque iterum victoria castris,
Ac læti redeunt post tristia bella triumphi.
Incipiunt jam fausta; vetus jam vertitur ordo,
Mutatæque vices rerum; nova nascitur ætas;
Et promissa Diis felicia secula Mundo,
Ac magni fluere incipiunt ex ordine menses.
Casta fave nunc Virgo; tuo si Numine Cæsar
Vicit, & ingenti terras formidine solvit.
Hoc duce, si qua manent priscæ vestigia culpæ,
Tollentur, totoque Fides regnabit in Orbe.
Gens sancta ex alto mittetur, & impia passim
Desinet: èque polo veniens Astræa redibit
In terras iterum, & Saturnia secla reducet;
Pacatumque reget totum sub Cæsare Mundum.
Non miseros posthac nautas urgebit egestas:
Non labor uda mari committere retia, & imas

(1) *Martini Stredonii Soc. Jes.* qui adversa primùm, mox prospera Cæsari futura prædixit.

Non opus est reflui perquirere gurgitis undas.
Ipsa sinu prædas mittent læta æquora, & udi
Sponte sua venient captivi ad litora pisces.
Ipsi & odorati musco scopuli, & lita saxa
Fluctibus, & duræ fundent conchylia rupes.
Ridebunt lenes auræ, Zephyrique salubres,
Et tranquilla levi crispabunt cærula flabro.
Nam procul horrisoni pacato ex æthere nimbi
Semper erunt; rigidæque silebunt rupe procellæ,
Nec nautis Hyades metuendæ, aut ense minaci
Qui mare, qui terras, quique aëra quassat Orion.
Ulla nec assurgent posthac mala sidera Mundo.
Non vacuæ metuent Lunæ dispendia conchæ,
Nec foliis illas unquam lentiscus amaris
Inficiet; pleno turgebunt ubere conchæ,
Ac dulci semper pinguescent ubera succo.
Nullæ prædonum vexabunt cærula puppes;
Nostra nec infames cursabunt litora lembi.
Non fraudes aderunt, sævæ non amplius iræ:
Non mala furta, dolique, execrandæque rapinæ;
Et nullæ scelerum facies post terga revinctæ
Æternum stabunt Furiæ, Diræque sorores;
Semper & horrendi claudentur limina Jani;
Sordebitque sua exesum rubigine ferrum.
Non silvas pastor, non deseret arva colonus
Invitus, rigidique gemet sub pondere Martis:
Et curvæ falces non conflabuntur in enses.
Non vitreas piscator aquas, nec scrupea saxa
Linquet, & ærata sulcabit marmora puppi,
Atque insueta gravi tentabit bella tridente;
Rupe sed umbrosa frigus captabit opacum,
Blandaque litoreas revocabit ad otia Musas.
Pax erit; ex alto pacem regnator Olympi
Spondet; & optatam spondent bona sidera pacem.
Pauca tamen peragenda prius sunt bella per Orbem:
Expugnandæ urbes ferro, durique domandi

Jazyges (1) immanesque (2) Avares, Hunnique rebelles,
Inde (3) Scythæ, & dirus (4) Maumethes, [5] Caspia victus
Qui jam claustra petit, fugientem (6) Bactra, neq; Indi
Tutantur; longe silvas, saltusque peragrat
Riphæos [7] latebrisque vagus se condit [8] Imai.
Te manet hic labor, o nostri decus, o amor Orbis,
Austriade Cæsar: teque unum Fata reposcunt
Eversorem Asiæ. rapidum ceu fulmen, in hostes
Ibis, & horrenda quaties formidine gentes.
Mox ubi barbarica pulso cum gente tyranno,

V 2 Im-

(1) Jaziges Metanastæ Europæ populi inter Danubium, & Carpathum, qui nunc Hungariæ montana tenent, quorum Metropolis Cassovia, vulgò Alta Hungaria dicitur, quæ tota ferè Austriacis parebat ante recentes tumultus.

(2) Avares, & Hunni populi, qui primùm circa Mæotidem paludem inhabitantes, mox in Pannoniam migrarunt, quæ Hungaria ab ipsis dicta est.

(3) Turcæ ex Scytharum gente, qui anno 625. Heraclio Imperatore, per portas Caspias in minorem Asiam ingressi pro Imperio Romano militarunt: mox in Scythiam reversi, irrupere iterum anno 958. Constantino Copronimo Imperatore, & Persidem primùm, hinc Asiam minorem, & totum Orientis Imperium occuparunt, capto Byzantio sub Maumethe II. anno 1453.

(4) Quartus hoc nomine Turcarum Rex.

(5) Pylæ, seu portæ Caspiæ, per quas ex Scythia in Asiam aditus patet, sive ex Media in Parthiam, angustiæ inter montes, vulgò *Le Porte di Teflis*.

(6) *Termend* vulgò, non longè a Caucaso, qui *Cocas*, & *Cocbias* dicitur, & per totam Asiam extenditur.

(7) Asiæ mons Scythiam secans, Sarmathiamque, vulgò *Oby* dicitur, quo nomine fluvius etiam appellatur.

(8) Mons Scythiæ, ex quo Scythia intrà, & extrà Imaum appellatur, longè per Asiam extenditur: In Tartaria nunc *Moregar* barbaris indigetatur, in India verò *Dalanguer*.

Imperium Eoi, sedemque tenebis avitam,
Invades Asiam, spoliis (1) Babylona superbam
Diripies, & regna Cypri vastabis opima.
Hinc Syriam evertes totam, fœcundaque Nili
Regna, & palmiferam submittes victor (2) Idumen.
Hic (nimium o felix, hominum pater, atque Deum rex
Te, te in spem tantam, tantosque reservat honores)
Sanctam Urbem intrabis, regum stipante corona,
Numen adoratum, & dulci dabis oscula ligno,
Unde salus nobis orta est, & gaudia Mundo.
Auspiciis & jam lætis, felicibus & Diis,
Talia concordes nent aurea secula Parcœ.

Aggredere o tantos, spondet quos Numen honores,
Chara Deo Soboles, magnum Fidei incrementum.
Aspice totum imo concussum a cardine Mundum,
Opppidaque, urbesque, & nutantia regna sub armis:
Aspice, læta novo gratentur ut omnia sæclo.
O mihi si tantum concedant Numina vitæ,
Egregios quantum sat erit celebrare triumphos,
Et partam imperio pacem, & tua dicere facta,
Non me divinus poterit superare canendo
Actius, aut dignas cecinit qui Consule silvas:
Sicelides quamquam adsint huic, Nereides illi.
Judice si mecum certet Deus ipse Palæmon;
Judice se, victum dicet Deus ipse Palæmon.
Incipe, magne animis, claras decerpere palmas,
Et tua victrici intertexere tempora lauro.

AL-

[1] *Bagdat*.
[2] Idumea, quæ in facris litoris Edom dicitur, ab incolis *Bidumi*.

ALPHONSO PHILAMARINO
Turris Duci

THYRSIS

ARGUMENTUM.

Corydon, & Mopsus piscatores Thyrsidis Olympici piscatoris mortem deflent, alterque epitaphium, apotheosin texit alter, sub Thyrsidis persona luget poëta familiarissimum suum Ascanium Philamarinum Ascanii Cardinalis nepotem Turris Dominum. Per Corydonem intelligit Alphonsum Philamarinum demortui germanum, cui in acerbissimi funeris solatium Eclogam conscripsit poëta, eique nuncupat, omnemque felicitatem precatur.

CORYDON, MOPSUS.

Cor. Cur non, Mopse (leves quoniam demisimus undis
Jam nassas, longo capturas tempore prædas;
Et tenues calami nobis, & carmina) molli
Hic musco super interea consedimus ambo?
Mop. Tu major, Corydon, faciam quodcunque jubebis.
Aut hic qua Zephyri strepit aura, & murmurat unda;
Sive tibi gelidum potius placet ire sub antrum.
Aspice, ut ante fores myrtus stipaverit antrum,
Atque leves subter sternantur molliter algæ.
Cor. Litoribus nostris unus tibi certat Jolas.
Mop. Quid si idem certet Tritona lacessere cornu,
Et niveos inter delphinas Ariona cantu?
Cor. Incipe, Mopse, prior (sunt & mihi carmina) si quas,
Synceri vel habes laudes, vel jurgia Batti.
Incipe: nam pelago nassas servabit Amilcon.
Mop. Imo hæc, quæ vitreas deduxi nuper ad undas,
Jam repeto: mox ipse mihi fac certet Jolas.
Cor. Ut mergos dulci superant modulamine cycni;
Judicio nostro, sic carmine vincis Jolam.

Mop. Desine plura, puer; vacuo successimus antro,
Nereides Thyrsin crudeli morte peremptum
Flebant: vos testes scopuli, vos litora Nymphis;
Cum conjux amplexa viri miserabile corpus
Perfudit lacrimis, & questubus aëra complet:
Sæpe Deos, sæpe astra vocat crudelia conjux.
Nulli cæruleis illis errare diebus,
Nec resilire leves visi Delphines in undis:
Non & sueta citi venere ad pabula thynni.
Thyrsi, tuum Phocas etiam ingemuisse per æquor
Interitum, fluctusque maris, cautesque loquuntur.
Thyrsis Olympiacas cursu contendere cymbas
Instituit, lætisque dedit certamina nautis,
Et ludos Thetidi, & solennia vota quotannis.
Fluctibus ut piscis decori est, ut & ostrea saxis,
Litoribus myrtus, scopulis ut muscus odoris,
Sic nobis decor omnis eras; sed tristia postquam
Eripuere tuis te Fata, immitia Fata!
Ipsa Thetis fluctus, & Nereus ipse reliquit.
Retia sæpe, leves quæ misimus humida in undas,
Purgamenta maris, quassataque ligna tulere:
Pro pingui Mullo, pro cæruleo Melanuro,
Muscus, & infelix provenit gurgitis alga.
Spargite humum foliis, puppesque ornate corollis,
O piscatores; petit hæc sibi munera Thyrsis.
Erigite hic tumulum, tumuloque inscribite carmen:
Tyrsis ego hac quondam capiebam notus in acta
Formosos calamo pisces, formosior ipse.
Cor. Tale mihi, divine puer, tua buccina cantu,
Quale truci pelago jactatis litora, quale
Sole sub ardenti Megara venientibus umbra,
Fortunate puer, non amisisse magistrum
Nostra tibi læto gratatur Olympia plausu,
At nunc cærulea quæcunque hæc carmina concha
Expediam, tollamque tuum sub sidera Thyrsin;
Thyrsin in astra feram: dilexit nos quoque Thyrsis.
Mop. Nil erit, o Corydon, nobis hoc munere majus,
Munere & hoc dignus fuit ille; & carmina nobis
Jam-

Jampridem ista Mycon laudavit, lentus ad umbram
Cum mecum molli sarciret vimine nassas.
Cor. Lucida purpureus summi subit atria cœli,
Et vaga sub pedibus despectat nubila Thyrsis;
Perque alios amnes, tranquillaque marmora Divum
Felices sequitur pisces, felicior ipse.
Ergo alacris fluctus, & litora læta voluptas,
Et lætos pacata tenet per cærula nautas.
Tempestas jam nulla mari; non sævus Orion
Æquora turbabit nimbis, læta otia felix
Thyrsis amat, Divosque inter jam gestit ovantes,
Ipsi lætitia cœlo sua murmura tollunt
Æquorei fluctus: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant cava saxa: procul respondet & Echo:
O Corydon, Deus ille, altarum & numen aquarum,
Sis felix, faustusque tuis: tibi litore septem,
Quot pater ipse tenet Nereus altaria ponam;
Quæ mihi Pausilypus fert aurea vina quotannis
Spargam lætus humi, viridique altaria musco
Intexam, sociis hilarans convivia læta.
Surget si Caper ante focum, si Cancer in umbra,
Tityrus interea, & fulvus cantabit Amyntas:
Nereidum choreas imitabitur alba Lycoris:
Delphinum & saltus imitabitur Artemidorus.
Hæc sacra, Thyrsi, tibi faciam solemnia semper,
Seu tumidum remis findam mare, litore noto
Seu mihi subductum firmabunt saxa phasellum.
Dum Nesis pelago stabit, dum litore surget
Pausilypus, fluctusque maris dum piscis amabit,
In terris semper, semperque per æquora notus
Thyrsis eris, laudesque tuæ, tua facta manebunt.
Ut Nereo, Glaucoque vovent in gurgite nautæ,
Sic tibi, tristesque reos damnabis tu quoque votis,
Mop. Tali digna tibi, quæ reddam carmine dona?
Nam neque me tantum labentes pumice fontes,
Nec Zephyri tantum delectant murmura, nec qui
Propter aquas dulci modulantur gutture cycni.
Cor. Ipse sed ante mihi hac ibis donatus avena:

Hæc nos, Parthenidem ardebat piscator Jolas,
Hæc eadem docuit, Cui nassas? an Polyboræ:
Mop. Accipe tu concham, qua nos donavit Amyntas,
Donatam & mihi tunc doluit pulcherrimus Anthus.
Cor. Sed jam surge puer; de litore clamat Amilcon;
Tempus & e pelago plenas educere nassas.

MARCO ANTONIO JUSTINIANO
Venetorum Duci.

GLAUCUS.

ARGUMENTUM.

Venetorum classi in Orientem ex Italia solventi, cum Auxiliariis copiis, Innocentio XI. Pont. Max. adhortante, Poëta sub Glauci persona felicia omnia auspicatur.

Si juvat edomito de Thrace, Scythisque superbis,
Te Duce, venturas patriæ prænoscere palmas,
Huc ades, Adriaco veniens de litore, Marce
Antoni, atque animum a curis averte parumper,
Quæ jam fatidicus nautis oracula Glaucus
Obscura sub nocte dedit, nunc accipe; magnæ
O decus Ausoniæ, & Venetæ clarissima gentis
Gloria; litoreas nec dedignare Camœnas.
Fors erit, [o utinam fortunent Numina vota!]
Ut tibi grande meo veniat de carmine nomen,
Cum, duce te, partos cantabo ex hoste triumphos.
Piscatu Stabiis multa jam nocte redibat
Bajanus Milcon; sociique per æquora cymbam
Pellebant Lycabas, & Surrentinus Amilcon.
Nulla cavo flabat vicini a flumine (1) Sarni
Aura mari; at puro splendebat ab æthere Luna,
Et subtus tremuli splendebant marmora ponti:
Jam

(1) *Fiume di Scafati.*

Jam veterem in (1) scopulum, qui servat ab Herculo nomen
Venerat; audiri coeptus cum litore ab udo
Fatidicus Glaucus, tumidi qui monstra profundi
Innubi sub nocte solet mulcere canendo.
Quin & saepe canit trepidis oracula nautis
Caeruleus pelagi vates, aperitque futura.
Et tunc vaticinans Deus haec ex ore profatus.
Glau Ægaei tumidas percurrere puppibus undas
Victricem aspicio classem, plena aequora velis,
Et longis video remis freta pulsa sonare,
Aspirant lenes Zephyri: praeit agmina prima
Adriacus Leo, quem centum comitantur ovanti
Cum plausu, fremituque rates, juxtaque carinas
Assultant laeti Delphines, & humida ponti
Gens tota, & vario ludunt per marmora cursu.
Ipsae etiam pelago surgunt Nereides udae,
Orae omnes pulchrae, nitidisque in vestibus omnes,
Et niveis omnes, discincta veste, papillis,
Nudae humeros, nudaeque genu, sparsimque solutae
Caesariem per colla levem, vitreasque per undas
Solemnes ducunt, Nereo plaudente, choreas;
Concertantque vago puppes ambire natatu,
Dum resona Triton cita personat aequora concha,
Scilicet egregios jam nunc spectare triumphos,
Et debellato palmas ex hoste videntur.
Unda fremit plausu; geminant cava litora plausum;
Laudibus & meritis Venetus Leo tollitur astris.
Illius adventu pulsos dare terga Gelonos
Jam video, celerique fuga se trudere in (2) Hellen.
Ceu timidi fugiunt silvosa per avia damae,
Cum prope venator jaculo ferus, & canis instat
Latratu, & nemorum coecis conduntur in umbris.
Sed nec securos se faucibus Hellesponti

Sta-

(1) *Rovigliano* aliis est *Scoglio d' Orlando* inter Stabias, & Vicum Æquensem.
(2) *Stretto delli Dardanelli.*

Stare putant; fugiunt trãs(1)Bosphoron,atque per altū
Euxinum in gelidas contendunt (2) Phasidis oras.
Exultant lætæ Cyclades, Venerumque salutant
Victorem, & festas jactant ad sidera voces.
Auratasque sinu puppes, gentemque togatam
Accipiunt, sparguntque novos per litora flores.
Libera servitio [3] Leucas, servataque plaudit
Nicopolis (4) socio responsat Græcia plausu.
Ipsa sed ante alias fremitu gratatur ovanti
Nascenti data Creta Jovi, populoque potenti
Applaudit servata, jugoque exuta Tyranni
Gestit ovans, plausuque sonant late omnia circum,
Litoraque, scopulique, omnisque remugit olympus.
Jam secura metu sunt omnia: rura colonus
Exercet sua: gramineas errare per herbas
Jam tutæ incipiunt capræ, simæque capellæ.
Populea pastor recubans securus in umbra,
Attritos certat calamos compingere cera,
Dulcia & agrestes revocare ad carmina Musas,
Securæ ludunt pecudes, saltusque peragrant
Dictæos: baculo puer armentarius illas
Cressus agit, pastuque sua ad præsepia ducit;
Et lætæ redeunt stabula ad Gortynia vaccæ.
Tutus & ipse sedet viridi piscator in acta:
Atque leves gracili dum texit vimine nassas,
Nereidas resonare docet cava litora cantu.
At socii interea celeri vada salsa phasello
Solicitant, captantque vagi per marmora pisces.
Nulla nocens currit mare puppis, & æquora nulli
Prædantur lembi: securæ cærula pinus
Alta secant, Syrioque vehunt de litore merces,
Et fortunati convectant dona Canopi.

Nam

(1) *Canale del Mar Negro, o stretto di Costantinopoli.*
(2) *Fasso* urbs, & fluvius Colchorum. *Giorgia.*
(3) *Santa Maura.*
(4) *La Prevesa* ab Augusto condita contrà Actium, post victum M. Antonium, & Cleopatram.

Nam victi fugere Scythæ: jam Caucasus illos
Rursus habet; coecis & saltibus abdit Imaus:
Atque Afer pulsus Libyæ in deserta refugit.
Hæc dedit: & magno plauserunt murmure Nymphæ
Et vada Tritones pulsarunt humida cornu.

EPÆNETERIA.

ARGUMENTUM.

Cum forte Tityrus pastor, & Amilcon piscator convenissent, Sylvestrem alter vitam, litoream laudat alter.

TITYRUS PASTOR, AMILCON PISCATOR.

Forte Dicarchæis servabat montibus hædos
Tityrus, argutæ recubans sub tegmine quercus:
Hic & lentum oves tenui mulcebat avena,
Ad sua sylvestres compellens carmina Divas:
Cum longe Baiis veniens piscator Amilcon,
Fasce sub ingenti pressus consedit ad umbram.
Ut piscatorem conspexit Tityrus, inquit:
Non hæc piscator, vobis sunt otia læta
Litoribus, non blanda quies, non vita beata est.
Cui piscator ait: Nobis sunt otia læta
Littoribus, tranquilla quies, & vita beata est,
Versibus hinc ambo incipiunt certare vicissim:
Tityrus & sylvas laudabat, littora Amilcon.
Tit. Nos hic vere novo in sylvis, cum lumine puro
Purpurei fulgent Soles, & lucidus æther,
Cumque rubere novis jam prata coloribus, & jam
Incipiunt læto turgere in cortice gemmæ,
Et nidum tignis jam garrula figit hirundo,
Per virides late colles, & florea rura
Erramus læti, & cœlo gaudemus aprico,
Am. Tunc nos, blanda mari quoniam pellacia ridet,
Et pura sub luce dies micat aureus, & jam
Felici crispant Zephyri placida æquora flabro,
Musce-

Muſcoſos inter ſcopulos, & litora cymba
Curſamus, molleſque citi per cærula jactis
Retibus, aut longa captamus arundine prædas.
Ti. At vero nimis cum jam fervoribus æſtas
Incipit exardere, nemus tunc inter opacum
Ac gelidos inter fontes, & flumina circum
Optatas auras, dulceſque inquirimus umbras.
Hic & ſub patulæ proſtrati tegmine fagi,
Sylveſtrem tenui meditamur arundine Muſam:
Et triſtes cantu curas ſolamur amaras.
Nos hic & rauco delectant murmure rivi,
Dum per ſaxoſæ decurrunt concava vallis.
Am. At nos æſtate in media dum litora fervent,
In vitreas pelagi nudi deſcendimus undas.
Hic juvat & celeri delphina laceſſere curſu,
Et crebró variis aſſultibus ire ſonantes
Subter aquas, vitreaſque domos luſtrare profundi:
Mox & cæruleis emergere protinus undis.
At nunc in viridi conſidere vertice ſaxi,
Muſcus ubi ſuavem de caute exhalat odorem.
Alta dies medio ſed cum libratur olympo,
Nos antrum in gelidum contendimus; hic ubi mollis
Mixta hederis myrtus veſtit pallentibus antrum,
Roſcidus èque cavis diſtillat rupibus humor,
Cærulea longe pulſamus litora concha,
Litoream & Muſam, & dulces cantamus amores.
Ti. At nos per ſilvas, Zephyris motantibus umbras,
Argutæ mulcent vocali murmure quercus,
Atque avium cantus inter virgulta canori.
Hic philomela loquax, & garrula turtur ab ulmo,
Et rauca ardenti reſonans ſub Sole cicada
Sæpe levi ſomnum ſuadent captare ſuſurro.
Am. Nos in litoribus, Zephyris criſpantibus undas,
Et pelagi murmur, percuſſaque litora fluctu,
Ac tenuis raucæ delectat ſibilus auræ.
Nec vicina ſilent myrteta, & concava ſaxa,
Sæpe ubi pennigeræ volucres modulantur ad auras.
Hic feſſis gratum membris vaga murmura ſomnum
Con-

Conciliant, fractæque ad litora leniter undæ.

Tit. Hic nemore umbroso cœtus spectamus ovantes
Nympharum, Dryadasque inter, rurisque puellas
Ducimus immixti choreas, & Oreadas inter
Erramus summis in montibus, atque repostos
Lustramus saltus nemorum, sedesque beatas,
Hic Satyros etiam saltantes cernimus ipsos;
Sæpius & calamos, Sylvestria Numina, Panes
Inflare ad cantum, & Divas iterare cachinnum.

Am. Inter Nereides cœtum nos ducimus udum,
Atque leves agimus vitreo sub gurgite lusus,
Doris ubi formosa choros exercet ovantes.
Nos hic Tritones pulsantes æquora cornu
Audimus, Proteumque senem, Glaucumque canentem;
Cernimus & vario delphinas ludere cursu:
Nec pulchræ desunt per litora notæ puellæ,
Non & Naïades redimitæ tempora musco,
Quæ dulces nectant choreas, & carmina dicant.

Tit. Cum vero Autumno in pingui vindemia spumat;
Atque sua passim florununtur in arbore poma,
Sylvestres ludos celebramus, & Orgia Bacchi.
Tunc & dona Deum, & lætas decerpimus uvas,
Atque nuces, & poma & castaneas hirsutas:
Non & oves desunt nobis, nec copia lactis.

Am. At nos Neptuni ludos celebramus in undis:
Et cursu cymbæ, & juvenes certare natatu
Festinant, plausuque sonant cava litora, & æquor,
Phycides haud nobis desunt, mullique per undas
Auratæ, Rhombique, & amantes saxea Pagri.
Ostrea dant scopuli, & pingui conchylia succo;
Undique & armatos radiis venamur echinos;
Et pingues mediis (1) onychas scrutamur arenis.

Tit. Nos, dum bruma rigens disrumpit frigore saxa,
Et rapidos glacie cursus infrænat aquarum;

An-

(1) *Cannolicechi* vulgus vocat, ex arenis educunt nautæ ad Sebethum, & Olympiam oram: dulcissimi saporis sunt, habenturque in deliciis.

Ante focum, succensus ubi non deficit ignis
Plurimus, & pingues stant tædæ, & fissile robur,
Et dulces chara circumstant conjuge nati,
Frigora ridemus, flatusque Aquilonis iniqui;
Am. Nos, quia tristis hiems late maris asperat undas,
Et patrium tectum, & fumosa revisimus antra.
Hic tantùm pelagi curamus murmura, quantum,
Aut delphin numerum, aut insanos litora fluctus.
Desine sed jam, Pastor; iter mihi restat agendum.
Tu silvas, & rura colas; ego litora, & undas:
Nam sive in silvis, seu curvo in litore, lætam
Quisque suo vitam contentus munere ducit.

GENETHLIACA

ARGUMENTUM.

Zephyraeus, & Artemidorus cum ad Virginis Templum, quod in extrema Olympia ad Pausilypi radices juxta cryptam, qua via Puteolos ducit, extructum est, natali die ad pompam celebrandam, ut moris est, convenissent, illius genethliacum texunt.

ZEPHYRÆUS, ARTEMIDORUS.

Virginis Augustæ ad templum sub monte repostum
(Namque dies natalis erat) convenerat omnis
Pausilypi, Megaræque manus: Zephyræus aprico
Pausilypo, Megara descenderat Artemidorus:
Nare periti ambo, & durare in fluctibus ambo,
Veloci que vagum delphina lacessere cursu;
Et versus cantare, & acuta ludere canna.
Tum prior hæc patula vitis Zephyræus ab umbra,
Zep. Natalem, Virgo alma, tuum lux aurea vexit,
Lux semper Mundo, & mihi læta, age, Delie currus
Siste rotas properantis; aquas ne tangere tantum
Festina; pede lento ut eas, similisque moranti,
Virgo jubet; laudes celebrandæ Virginis hujus.

O utinam si anno flueret mihi longior hæc lux.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus,
O piscatores, date flores, spargite muscum,
Sacraque cæruleis altaria cingite vittis.
Et vos, o pueri, atque intacto flore puellæ,
(Vos amat hæc Virgo) calathis nunc lilia plenis,
Pubentesque afferte rosas, casiamque nitentem;
Pulchraque nascenti subtexite serta Puellæ,
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
Candida gemma velut concrescit matris in alvo,
Et nitida ætherias cœli se prodit in auras:
Sic matris concepta utero mundissima Virgo
Candidior nive, purpureisque nitentior ipsis
Erumpit gemmis: mirantur sidera, & omnes
Cœlicolæ, & roseis delibant oscula labris.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
O Virgo formosa, Deo gratissima Virgo,
Jam tibi nascenti se per tua tempora flectunt
In gyrum stellæ, & radianti luce coronant:
Jam tibi Luna vagos submittit frontis honores;
Atque suis nitidum radiis subtexit amictum
Purpureus Titan, circumque nitoribus ambit.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
Tu magni regina maris, tu sidus amicum
Nautis semper eris, lætum & piscantibus omen.
Se tibi submittent, ventique, atque procellæ,
Et sese prono curvabunt vertice fluctus.
Teque homines, Divique colent, dominaque vocabũt
Ac tibi dona ferent hæc ad delubra quotannis.
Virginis est Natalis, age, ede, o buccina, cantus.
Hæc Zephyræus: opacæ innixus protinus ulmo,
Dicite, Nereides, quæ luserit Artemidorus.
Nec possum meminisse: canentem audire negabat
Turba virum stipata: nec omnia possumus omnes.
Art. Omnia lætantur, tellus, mare, sidera, cœlum,
Et Superi, atque homines, quid mirum; nascitur Orbi
Aurea nunc Virgo; ut cum matutina resurgit
Aurora, & gremio Solem paritura rubescit.

Di-

Divinum & Solem nostra hæc paritura Puella est,
Atque optata dabit felici gaudia Mundo.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Cernite, ut alma dies innubi effulsit olympo,
Et roseos Phœbi currus, aurumque revexit:
Cernite, pacatis ut rideat æquor in undis,
Et Zephyri levis aura, & saxa virentia musco.
Omnia nunc rident: gratantur & omnia Divæ
Nascenti: Superique ipsi ad cunabula ludunt.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Non posthac rauco Triton per cærula cornu
Horrendos pelago nimbos instare monebit:
Nec frontem Sol ipse sua ferrugine tinget,
Nascitur en Virgo: placantur Virginis ortu
Et venti, nimbique, impacatæque procellæ:
At sua jam mites deponunt murmura fluctus.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
O summo dignata Deo, dum despicit omnes,
Te te unam Pater elegit, divina Puella,
Incipe jam totum risu componere Mundum,
Tellurem, freta lata maris, camposque liquentes,
Incipe, lætæ adeunt tua jam cunabula gentes,
Annua Natalis recolunt dum gaudia ludis.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas.
Ire juvat, vitreique maris perquirere fundum;
Vertere Tritonum latebras, & quidquid in alto
Doris avara sinu late abdit, sive rubentes
Murice sint conchæ, aut pictis interlita punctis
Ostrea, seu curvo ramosa corallia trunco,
Sublegere; illa feram nascenti dona Puellæ.
Ducite solemnes, bona pubes, ducite pompas;
Hæc illi: & memini venisse ad litora pisces,
Et rigidas caput erexisse e fluctibus orcas.

DORYLAS

ARGUMENTUM.

Dorylas piscator Jolæ pueri, quem delphinus spina casu transverberaverat, immaturum obitum deflet: illum autem solatur Anthus, Jolæ apotheosin referens. Per Jolam Poëta sub Doryle persona Alumno suo Orontio Monzalvo, & genere, & indole nobili illacrimat, qui omnium dolore, quoniam febri correpto vena incisa est, interiit. Per Anthum vero intelligit Nic. Cæs. demortui socium.

DORYLAS, ANTHUS.

Piscosi vitreas (1) Lucrini nuper ad undas
Defunctum Dorylas flebat piscator Jolam:
Lugentem Dorylam consolabatur, & Anthus,
Anthus amor Musarum, atque Antho charus Jolas;
Et patri nimium Dorylæ dilectus Jolas;
His autem lacrimis, his questubus ora rigabat.
Dor. Quis mihi te, pulcher, quis casus, ademit, Jola,
Et dulcem rapuit risum, & mea gaudia tecum?
Heu! qui molle latus crudeli vulnere fixit,
Nate, tibi, & multo turpavit sanguine membra?
Membra, olim niveus quæ vivida candor habebat:
Sed nunc pallor habet, fœdoque aspersa cruore
Sordescunt, clausique oculi, nec lumine fulgent,
Lumine quo nostros tum venabantur amores.
Non placidus fronti color est, non gratia labris,
Atque insueta permixti dulcedine risus,
Risus, quos Nymphæ suspiravere marinæ:
Quæ nunc discissis nimio mœrore capillis

(1) Lacus Campaniæ inter Avernum, & sinum Puteolanum maximè Piscosus: multis est *Mare morto*, aliis *Lago di Licola*.

Flebilibus passim replent vada salsa querelis.
Et pisces etiam, & tumidi fera monstra profundi
Te, miserande puer, nunc cassum lumine lugent.
Inscius & qui molle latus delphinus acuta,
Transfixit spina, & Fato demisit acerbo,
Attonitus jacet, & se se, stimulante dolore,
Discruciat, quæritque miser diffundere vitam.
At mihi quis vitam, & duræ fastidia lucis
Auferat? immiti nam funere te mihi rapto,
Dulce mori citius, longum sed vivere durum est.
Triste mari in medio tempestas horrida nautis,
Delphin Pelamydi, triste & delphinibus orca;
Puppibus & Syrtes; misero tua funera patri,
Quis mihi, quis posthac servabit in æquora nassas,
Retia & ad Solem expandet, madidosque rudentes,
Nate, parentis amor, dulcis mea vita, meum cor?
Namque puer mihi nullus erit, dum, pulcher Jola,
Occidis, & vili pallescis stratus in alga;
Ceu niveus medio delphinus in æquore pallet,
Quem durus celeri tenuit per marmora cymba
Piscator fugientem, & acuta cuspide fixit,
Tu pelagi decor omnis eras, tu litoris hujus
Risus eras: tu dulcis amor, tu gaudia nostra;
Per te grata mihi quondam freta cærula; per te
Muscosæ cautes, & aquis lita saxa placebant,
Et dulces Zephyrorum inter myrteta susurri.
Omnia nunc sordent sine te: simul omnia tristis
Luctus habet, mœstæque silent Nereides antro,
Et tristis concham projecit in æquora Triton.
Crudeles Parcæ, & crudelis tu quoque delphin;
Formosum patri quoniam eripuistis Jolam,
Unus qui vitam longos producere in annos
Debuerat, seroque pios invisere Manes.
Non vos oris honos, non frontis amabile lumen,
Nec faciles pueri potuerunt flectere mores?
Quid queror? haud species flectit pulcherrima Parcas
Nec placidis hominum mansuescunt moribus unquam.
Ah puer! ah male caute! nimis confidere monstro
Au-

Ausus, & insolito vitam committere ludo.
Ergo etiam læti crudelia funera lusus,
Et tristes pariunt luctus, atque inter amantum
Blanditias mors dura venit, læta omnia turbans.
Ite procul calami: tenues piscator avenas,
Nec posthac dulces animabo ad carmina cannas,
Non me Pausilypi vada læta, sinusque (1) Dicarpi
Aspicient vitreas deducere retia in undas:
Non viridem celeri visam [2] Nesida phasello,
Atque humilem (3) Euplœam, quondam felicia nautis
Litora Pellæa venientibus urbe Dicarchum:
At mihi semper erunt sævi monumenta doloris.
Hos virides linquam scopulos, hæc litora, & antra,
Retiaque, & calamos, & vimineos labyrinthos:
Solus & in saxis, & litoribus desertis
Vitam infelicem per dura, per aspera ducam,
Quo tandem mites scindant mea stamina Parcæ,
Interea hæc duro describam carmina saxo,
Carmina, quæ, molli dum texit vimine nassas,
Piscator legat, & lacrimans suspiria fundat.
 Delphinum in ludo hic periit formosus Jolas:
 Hic Dorylas illum, & Nymphæ flevere marinæ.
Sed, puer o dilectè, vale, vale pulcher Jola.
 Hæc dedit: & calamos jam frangere, & ire parabat,
Cum flentem cœpit solari talibus Anthus.
Ant. Desine flebilibus cava saxa replere querelis,
Et tristem, Doryla, tandem solare dolorem.
Non dignus lacrimis puer ille: nec impia Fato
Sors illum misero rapuit: sed victor olympo
Redditus, & Divos inter jam gestit ovantes.
Vidi ego, purpureus dum Sol luceret in Orbe,
Turmatim in terras summo descendere cœlo

 Ali-

(1) Puteoli.
(2) *Nisita*, Insula Pausilypo objecta ad Occasum vergens.
(3) *La Gajola*, Insula ad Notum Pausilypo opposita, sic dicta, quod naves Alexandria venientes cùm vidissent, bonam egisse navigationem lætabantur.

Aligerum cœtus: pictisque exercitus alis
Ardebat, citharisque omnes, cantuque fremebant,
Aspexi & tenues inter volitare per auras,
Et choreas agere, & lato proludere cœlo.
Cycnorum veluti niveum volat agmen, ab alta
Nube ruens, placidoque sonans replet æthera cantu:
Et vario circum cursans secat aëra gyro.
Quos inter puerum [nec me sententia fallit]
Ire coronatum lauro, nitidoque coruscum
Lumine, & è terris cerno super astra volantem.
Atque hæc sideriis longe resonare per auras
Audita est mihi vox, & reddita vocis imago
Sæpius ex alto: Cœlo jam victor Jolas
Tendit, io, Superi, venienti plaudite, & inter
Felices puerum cœtus, sedesque locate.
   Hæc Anthus; læto solatus & omine patrem est.

C H R Y S I S.

A R G U M E N T U M.

Ladon Urinator, Polydoro adhortante, Chrysidis apotheosin anniversaria pompa celebrat Per Chrysidem D. *Saverium intellige: per Ladonem poëtam, per Polydorum Joannem Berardum S I. D. Saverii cultorem egregium, meditatus hanc Eclogam poëta est, cum jam se ad Indicum iter accingeret, hinc Urinatores ad Gangis ostia introduxit.*

LADON, POLYDORUS Indi Urinatores.

Lad. Mirabar, Polydore, mari dum nuper in alto
   Immergor, rutilas piscatum gurgite conchas,
   Quid tanta, insolitum, narent conchylia fundo!
   Vidi etiam e vitreo spumosæ Tethyos amne
   Huc una properasse Deas, ubi cærula Ganges
   Lata subit, nitidasque auro devectat arenas.
   Cæruleos hic blanda Deos ad carmina, & ipsos

Au-

Auritos etiam pisces, & monstra vocabant.
Ecce dies aderat, victor qua Chrysis olympum
Ascendit, novus æquoreis Deus additus undis,
Qua locus astriferi in medio vacat aureus orbis,
Inter Phillyridæ jaculum, Ægocerumque sequentem.
Et nos stamus adhuc, nec reddimus annua magno
Vota Deo, lætique agimus spectacula pompæ?

Pol. Scilicet id fuerat, Gangis quod nuper ad ora
Dum sedeo, & rutilas auro perquirere arenas,
Carpere & e fluvio nitidos mihi cura lapillos,
Nescio quæ læti canerent mihi carmina cygni:
Illos [credo equidem] stellato Chrysis olympo
Ad pompam, o Ladon, atque annua sacra vocabat.

Lad. Sic ipse, o Polydore, reor, solemnia Divo
Æquoris æquoreæ ducunt sub gurgite Nymphæ;
Candentesque sonant ripa in Gangetide cygni.
At tu quæ pepigisse mihi te carmina quondam
Dixisti, vacuo recubans dum frigus in antro
Captabas mecum, tenui meditare cicuta.
Incipe: jam raucus cecidit Notus, atque silentes
Aspice tranquillo sternantur ut æquore fluctus.

Pol. Non eadem est ætas, Ladon: jam prorsus & illa
Sunt oblita mihi tot carmina: quin quoque vires
Defecere: senis mentem & longa abstulit ætas.
Tu puer, & meminisse potes, mihi nuper ad undas
Dic, quæ litoreis cecinisti carmina Musis.

Lad Imo hæc, quæ nitidas medio de gurgite conchas
Dum refero in litus, Divo properata parabam,
Jam repetam, & resona complebo cærula concha.

Pol. Incipe: pacatis en jam tibi Doris ab undis,
Et tibi gemmifero applaudit de gurgite Ganges.

Lad. Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Quæ nunc, o Divæ (1) Chryseides, æquora læta
Quæ colitis, roseus surgit qua Phœbus ab undis,

(1) Nymphæ Eoi maris, sic dictæ a sinu Magno, qui & Chrysa ab antiquis appellatus est: hodiè vulgò dicitur *Golfo di Siam*.

Litora vos mihi, vel fluviorum panditis oræ,
Chrysidi lætus ubi solemnes ducere pompas
Incipiam, & musco redimita altaria ponam.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
An sedet hic, Nymphæ, qua turgidus influit auro
Ganges, & rutilas gremio Thetis accipit undas?
Nosco, Divæ, omen: sacra hic altaria ponam
Muricibus contexta rubris, albisque lapillis.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Ostrea da, Polydore, mari quæ duximus alto,
Et miris referunt variata coloribus Irim,
Affer & e duris evulsa corallia saxis.
His ego cæruleis contexam altaria donis.
Tu, Chrysi, in medio, tot quando cærula conchas
Effudere sinu, tua munera. gemmeus esto.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Huc age, Lyda, veni, fer tecum mascula thura,
Portitor illa mihi quæ quondam vendidit Afer:
His ego thuriferis incendam altaria donis.
Affer & apricis quæ collibus uva ministrat
Vina mihi. totumque cadis servata per annum:
Illa ego diffundam læta hæc altaria circum,
Et duo, Chrysi, tibi, & Didymo duo pocula patri.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha.
Jam fortunatus summo considis olympo
Perque alios erras amnes, & cærula Divum,
Cærula, quæ numquam perturbant flamine Cori;
Sed Zephyro semper gaudent, semperque per undas
Cœlestes ludunt, felicia Numina, Nymphæ.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Cuncta tibi nautæ per litora, quæ vaga Doris
Alluit, & late vaga circuit Amphitrite,
Septem aras ponent, totidemque ex more quotannis
Oceani vitulos ante aram, Orcamque litabunt.
Et tibi servati sua vota in litore solvent.
Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Ite per Eoi vastissima cærula puppes;
Nam novus Oceano Deus additus: ite per undas,
An-

Audaces nautæ, & placidos jam findite fluctus:
Chrysis enim pelagi spumantia marmora placat.
  Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Ite, nec insano quassantes turbine ventos
Oceanum, rapidas, nec formidate procellas.
Ille animos mulcet ventorum, & temperat iras:
Ille nigras pellit nubes, Solemque reducit.
  Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Ite sub æquoreas, nudi vos ite sub undas,
Divitis, o pueri, quæsitum abscondita Nerei.
Jamque novum cœlo processit Chrysidis astrum;
Astrum, quo matres gauderent turibus, & quo
Lucidus aurata in testa concresceret humor,
Lætaque purpureis flavesceret unda lapillis.
  Da mea vocalis, mecum vaga murmura, concha,
Hæc levibus properata modis nunc accipe, Chrysi,
Carmina plura tibi mox, & meliora canemus.
Desine vocalis, mea desine murmura, concha.
At tu nos cœlo pius aspice; marmora conchas,
Et rutilas Ganges, te Numine, fundat arenas.
  Desine vocalis, mea desine murmura, concha.
Auspice te, placidum semper mihi rideat æquor;
Rideat & puro suffusum lumine cœlum.
  Desine vocalis, mea desine murmura, concha,
Pol. Dulce mihi, Ladon, cecinit tua buccina carmen;
Non tam suave sonant nec per Gangetica cycni:
Nec quæ sublimes semper summo aere sidunt;
Uranides (1) modulantur aves, cum rore beato
Jam saturæ, dulces effundunt gutture voces.
Ille tibi Phœbum inspirat: facit ille poetam;
Et tecum concha mare personat. Illius ergo
Egregias laudes meditare, & grandia facta,
Digna Deo tua semper erunt, & dulcia nobis
Carmina: te nostra laudabunt semper in acta,

[1] Sic dictæ, quia numquam in terris consistere videantur, undè & Paradiseæ *Uccelli di Paradiso*.

Dum juvenes læti repetunt tua carmina nostri.
Lad. Surgamus, Polydore; vagis Sol mergitur undis,
Et late maria, & montes umbrantur opaci.

THEODORO COMITI BARBOVIO.

ÆGON

ARGUMENTUM.

Cum Ægon ad (1) *Posidonium felicem nuncium attulisset, excessisse nimirum Messana Gallicam classem, urbemque a Comite Theodoro Barbovio receptam; Melibœus pastor, & Lycabas piscator læti carmen Victori canunt. Per Ægonem poëtam intellige, qui Rhegii hanc Eclogam conscripsit, cum severiori Minervæ operam daret.*

ÆGON Nauta, LYCABAS Piscator, MELIBOEUS Pastor.

Actiadis magnum nostræ decus, & nova Musæ
Gloria, seu pictis alacer splendescis in armis,
Aut petis adversos ærata cuspide reges:
Sive tibi merita præcingunt tempora lauro
Servatæ gentes, plausuque ad sidera tollunt,
Huc ades, o Theodore, atque has ne despice Musas,
(Si qua tibi nostræ velocis gratia cymbæ)
Quas pastor Melibœus, oves dum pascit ovantes,
Ac tibi piscator Lycabas, dum retia ducit,
Alternis referunt certantes versibus ambo:
Tuque etiam facilis tenues Ægonis avenas
Accipe; nam nostræ debent tibi carmina Musæ.
Forte mari ex alto ducebat retia in actam
Piscator Lycabas, tristesque in pectore curas
Versabat: pelagi sed per vicinia pastor
Lanigeras Melibœus oves non lætus agebat.

Ad

(1) Seu Columnam Reginam, *La Catona*.

Ad [1] Cœnym Lycabas habitabat: Paſtor ad umbras
Vicini nemoris, viridique in valle (2) Saliċti.
Improviſus adeſt, timidiſque ſupervenit Ægon,
(Ægon Euboici quondam maris accola, ponto
Tunc Siculo errabat, patriis procul exul ab oris)
Protinus & læto ſic incipit ore profari:
Cui trepidi juvenes mox reſpondere viciſſim.
Æg. Solicitos veſtros depellite corde timores,
O pueri; felix vobis en nuncius adſum.
Lyc. Dic age, quæ nobis Ægon nunc læta reportas?
Æg. Infeſtæ Siculo exceſſere ab litore puppes:
Arma procul ceſſere, minæque, infandaque bella.
Pax redit, & læti capiunt exordia menſes;
Vidi ego lunati ſurgit qua pompa theatri
Magnanimum Heroem, regiſque inſignia noſtri,
Agmina mille ducem ſtipantia litore vidi,
Et lætas voces, plauſuſque his auribus hauſi.
Ceu regi agglomerantur apes, poſt prœlia quando
Victor regna petit, cæſoque ex hoſte ſuperbus
It lætos inter cœtus, plauſuque faventum.
Lyc. Scilicet id fuerat, prima quod luce diei
Sæpius, inſuetum, reſiliret ab æquore delphin,
Nereideſque choros agerent dum murmura longe
Cærulea invectus concha ciet æquore Triton.
Mel. Hoc etiam (nec fallor) erat, quod prata capellæ
Tonderent nimia paſſim dulcedine lætæ;
Ac virides inter ſalices, & flumina circum
Errarent Dryades feſtivæ, & Najades udæ:
Quas inter mixti, ſylveſtria Numina, Panes
Inflarent læti calamos, & læta ſub auras
Murmura jactarent volucres per compita ſylvæ,
Credo equidem; nam ſenſus ineſt divinitus illis.
Æg. Ergo agite, & veſtræ poſſunt quæ carmina Muſæ,
Dicite, & alterno, juvenes, contendite cantu.
Ipſe

(1) Promontorium, & fluvius, de quo Libr. IV. Nauticorum.
(2) Amœniſſima Villa *lo Salici*, de qua eodem libro.

Ipse has interea pulsabo pectine cordas.
Mel. Ite per apricos colles, & rura capellæ,
Ac lætæ cytisum, & florem tondere salicti:
Hostis abit; cessere minæ, pax aurea venit.
Lyc. Ducito securi choreas delphines in undis,
Et vario circum litus cursate natatu;
Pax redit; & placido rediens nitet aura ponto.
Mel Vos, o pastores, inducite fontibus umbras;
Et sinite optatas tenerum pecus ire sub umbras,
Hostis abit: cessere minæ; pax aurea venit.
Lyc. Vos, piscatores, læti deducite cymbas,
Et piscosa leves jam solvite retia in undas;
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
Mel. Fecundos proscindat agros festivus arator,
Et pingues pedibus presset jam vinitor uvas.
Hostis abit; cessere minæ: pax aurea venit.
Lyc. Alta rupe sedens piscator arundine pisces
Captet ovans, nudusque mari scrutetur echinos.
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
Mel. Hic ego sub patulæ prostratus tegmine fagi,
Dum teneros carpunt flores, mea cura, capellæ,
Ac Phyllis formosa comas mihi daphnide cingit,
Agrestes tenui modulabor arundine Musas.
Hostis abit; cessere minæ: pax aurea venit.
Lyc. Hic inter scopulos, Zephyrique tepentis ad auras
Dum moror, & molles expecto ad retia prædas,
Ac mihi de myrto nectit Galatea corollam,
Æquoreas resonare Deas cava saxa docebo.
Pax redit: & placido rediens nitet aurea ponto.
Mel. At vos, Pierides, victori cingite lauro
Tempora; & Aoniæ, vos dicite carmina, Musæ:
Lyc. Vos illi sertum viridi contexite myrto,
Nereides, plausuque sonans ciat æquora Triton.
Mel. Illi ego per sylvas, septemque altaria circùm
Bissenos de more dies sacra liba quotannis
Spargam lætus humi, atque incendam mascula thura,
Non me carminibus superabit fuscus Amyntas;
Nec Pan ipse Deus vincet: nec Thracius Orpheus.

Lyc.

Lyc. Ast ego litoribus, totidemque altaria circum,
Et sacros latices, & vina liquentia fundam,
Et spargam pelagi muscum festivus ad aram.
Non niveos inter cantu delphinas Arion,
Nec mihi per scopulos certet Deus ipse Palæmon,
Sic illi alterno miscebant carmine Musas:
Ægon interea calamos inflabat acutos.
Cum tandem (alta jugis jam Solem absconderat Ætna)
Amborum invitæ fecere silentia Musæ:
Atque hinc muscosi scopuli, rupesque cavatæ,
Hinc longe colles responsavere beati.

MOERIS

ARGUMENTUM.

Cum Phrasidamus Mœrim puerum rosas, & corallia ferentem vidisset, suspicatus ne puellæ alicujus amore teneretur, conatur illum ab amore revocare. At puer se Virginem amore ingenuo fatetur, & quo modo a Virgine vocatus fuerit, exponit. Per Mœrim intelligit poëta Olympicum piscatorem, qui annos duos, & viginti supra centum habet, virgo semper, & Virgini addictissimus.

PHRASIDAMUS, MOERIS.

Phr. Cui tu, Mœri, rosas, & nigra corallia portas?
Ah timeo tibi, Mœri, furor ne te improbus ille
Prævertat, præcepsque trahat malè sana cupido.
Mœr. Vera tibi fateor, jam me pulcherrima Virgo
Totum habet, & dulces animo mihi ventilat ignes.
Phr. Ah puer infelix, quæ te dementia cœpit!
An nescis quam durus amor? non sævior illo
In terris Leo, vel pelago crudelior Orca est.
Illum sæva mari, canibusque incincta marinis
Scylla tulit; natumque sinu impacata Charybdis
Fovit, & immanes admorunt ubera Phocæ.
Mœr. O nescis, Phrasidame, mihi quæ flamma medullas
Tor-

Torreat, & quæ me teneat formosa puella.
Phr. Dic age, quæ flamma, & quæ sit formosa puella?
Mær. Incendit me dius Amor: me Parthenis, o, quæ
Non consueta meum pertentant gaudia pectus!
Illa meos poscit (si quicquam credis) amores.
Illa habeat, mentem hic semper bonus occupet error.
O nimium felix, hanc si, piscator, amares!
Phr. Non humana sonant tua verba, sed unde repente
Parthenidis tibi tantus amor? quo Numine dextro
Mœri, tibi sacræ exarsere in pectore flammæ?
Mær. Dicam equidem, Phrasidame: Cavo stat picta sub antro
Qua Mergillina illustres via ducit in (1) ædes,
Virgo decus cœli, quæ me dum spectat euntem,
Pubentesque rosas dextra tunc forte ferentem,
(Ipsa mihi soror e testa decerpserat Ægle)
Cui, formose, rosas, puer? inquit, at ipse repente
Obstupui; captusque nova dulcedine mentem,
Illi hæc: Dia, rosas vis tu pro munere, Virgo?
Accipe: parva quidem, sed si dignabere, majus
Cor, nostri, Regina, tibi do pignus amoris,
Tunc dextrâ mihi Virgo tetendit: & has, puer, infit,
Accipio, dilecte, rosas, quæ pignus amoris
Semper erunt: semperque tuos dignabor amores,
Sed tu, Mœri, alias sectari, & amare puellas
Mitte, nec insanæ incendant tibi pectora flammæ.
Cui contra: Tibi, Diva, meos piscator amores
En voveo: immotumque animum tu Numine firma,
Ac veluti numquam tot me flexere puellæ,
Litora quæ mecum passim per nostra vagantur:
Sic & nulla mihi poterit prævertere mentem:
Non Beroë formosa comas, non picta Lycoris,
Non Hyale, quamquam nobis pro dote superba
Centum regna daret, rubroque e gurgite gemmas,
Quot

(1) Magnifico sumptu extructæ ad Pausilypi litus à Methymnæ Duce, & Anna Carafa conjuge Proregibus Neapolitanis.

Quot veniunt, quantumque Indis deducitur aurum.
Tuque, Puerque tuus nostro sub pectore fixi
Stabitis, æternumque mei vos semper amores.
Nec vestra ex oculis unquam labetur imago,
Diva, meis: nec erit quicquam mihi gratius unquam,
Ni dius Puer, & Pueri tu candida Mater;
Nam dulcis puer est, & dulcis tu quoque Mater.
Ipsa, Puerque meus te semper amabimus, inquit
Illa mihi: tu noster amor, tu maxima cura.
Proque rosis, quas, Moeri, mihi, Pueroque dedisti,
Jam tibi luciferis sertum subtexitur astris.
Hæc dedit, & placidis mihi mox subrisit ocellis.
Subrisit Puer ipse, sinu quem dia tenebat,
Et mihi divinos animo inspiravit amores.

Phr. Fortunate puer; diæ tu Virginis ergo
Factus amans, quæ tantum alias formosa puellas
Exuperat, quantum reliquas Luna aurea stellas,
Illam Cœlicolæ, nitidisque exercitus alis
Aligerum observat venerans, plausuque coronat.
Fortunate puer, numquam tibi dura negabunt
Æquora captivos piscosa in retia pisces.
Non posthac vacuas velles de murice conchas;
Nec tenues inter sabulum venaberis [1] aulos;
Nam Virgo, cui Sol, cui Luna, & sidera parent,
Et venti, nimbique, undosi & cærula ponti,
Placabit maria, & ventos, pulsabit, & imbres;
Piscibus & nassas, succoque implebit echinos.
I, felix puer, o! fer nigra corallia Divæ,
Purpureamque rosam, & flammas testare pudicas,
Sed veniam comes ipse tibi, si forte benignis
Aspiciat me Virgo oculis, nec spernat amantem.

Mær. Corripiam prius ipse viam: tu pone venito.

CA-

(1) Iidem, ac onyches, qui & Solenes a Græcis, a Latinis digiti, etiam appellantur.

CAROLO CARDENIO

Sacri Romani Imperii Principi, Laini Marchioni, Acerrarum Comiti.

CARDENIDES.

ARGUMENTUM.

Cardeniden Mecœnatem suum Poëta sub æstatem una cum Phyllide ad Pausilypum invitat, locique amœnitatem, ac delicias describens: atque illi & piscatoria munuscula, & versus spondet. Per Phyllidem intellige Franciscam Mariam Spinellam è Scalea Principibus, Marchionis Conjugem, mulierem præstantissimam.

Optatos jam pande mihi, formosa recessus,
Mergillina, cavis, & amicam in rupibus umbram,
Quo plenas referam nassas, & frigora captem.
Pauca sed ante meo gracili sunt carmina avena
Cardenidæ dicenda: neget quis carmina magno
Cardenidæ, me cujus amor facit esse poëtam.
Sic tibi, cum vitreas pelagi descendis in undas,
Et blandam cursu sequeris Nesida sororem,
Non Protei possint, Phorcique nocere petulci,
Incipe, Pausilypi ad litus, sedesque beatas
Cardeniden tenui calamo, cantuque vocemus.
Carole, dum summis ardet fervoribus æstas,
Incenditque suo rutilans sata Sirius igne,
Huc, quo Pausilypus scruposæ rupis in antrum,
Et formosa vocat te Mergillina, venito.
Ipsa sed in primis veniat tua Phyllis, & ipsa
Cæruleas inter ludat non ultima Divas:
Euboidum Phyllis pulcherrima, quam tibi casti
Dulcis amor thalami concordi fœdere junxit:
Et quæ jam pulchra fecit te prole parentem.
Hic lenes spirant auræ, Zephyrique salubres,

Et

Et placido intendunt felicia marmora flabro:
Crebroque impulsæ modico clangore jocosæ
Per virides scopulos, per litora leniter undæ
Assultant, vitreique tegunt saxa humida rores,
Hic & odorifero florentes pumice cautes
Cæruleum gignunt muscum, æquoris aspice, ut omne
Litus, & objectos scopulos maris integat herba,
Qua non purpurei spirant fragrantius horti:
Gratus & halat odor, qui thure suavior ipso
Leniter immissa insinuat se naribus aura,
Atque ægros reficit sensus, viresque ministrat,
Stant rigui fontes, multoque foramine manat,
Qui nitidas inter fugiens strepit humor arenas,
Et sincerus aquæ se litora propter amœna
Fons agit e scopulis, cui non vicina recurrens
Doris amara suum immiscet perfusa liquorem.
Inter & optatos subsultant Najades amnes,
Ore omnes formosæ, adianti frondibus omnes
Ornatæ, & viridi succinctæ crura cothurno;
Sunt hic & rupes, tepidæque in rupibus umbræ,
Quæ nimios relevent æstus, læta ministrent
Otia Musarum: gelidis hic sæpe sub antris
Cantando ingentem poteris lenire laborem,
Dum choreas tua Phyllis agit, luditque beato
Nympharum sociata choro, mediasque per undas
Humida delphinum ad cantum gens assilit omnis,
Eja, age, rumpe moras: tibi jam per litora muscus
Sternitur, & passim mollis se subiicit alga,
Aspice, ut undivagi nantes per cærula pisces
Te placido invitent lusu, cursentque per æquor
Festivi, & frutices inter spatientur odoros,
Ipsa tibi rident Zephyrorum animata susurro
Æquora, vocalique lacessunt murmure cautes.
Hic juvat in vitreo ludentes gurgite Divas
Nereides spectare, & fluctivagas Sirenas;
Quippe suus nunc mensis adest, quo gurgite ludunt,
Cum flabro incipiunt Zephyri spirare canoro.
Interdum picto lustrabis læta phasello

Litora Pausilypi, & colles spectabis apricos,
Et quæ magnifico surgunt palatia luxu:
Nec non & mixtim pueros, tenerasque puellas
Innocuos celebrare choros, & ludere in undis.
Sæpe etiam celeres sublabi gurgite cymbas,
Et pubem remis certare, & scindere fluctus,
Ut primi metam teneant, & præmia tollant,
Aspicies, lætos & ovanti murmure plausus
Attolli, & festas cava litora reddere voces,
Ac longè scopulos plausu, & freta pulsa sonare.
Quin etiam, si nostra tibi munuscula cordi,
Barbatos tibi ego Mullos, Rhombumque trilibrem,
Auratamque feram, & Turdum, flavosque (1) Erythinos:
Addam atque his (2) Apyrenum, & cæruleum (3) Melanurum,
Atque leves (4) Synodontas [amat hos nam tua Phyllis:
Sæpius atque illos memini, me ferre rogabat]
Hos & odorifera contectos desuper alga,
Vimineosque inter calathos tibi munera ducam.
Præstereà, primis quæ sunt gratissima mensis,
Dona feram, æquoreo madeant quæ plurima rore,
Atque vaporifero spirent circumdata musco,
Et persæpe famem quæ irritavere morantem,
Ostrea, purpureoque ardentes murice conchas,
Et saxosa mihi servat quos Nesis Echinos,
Quosque Dicharchæis nutrit Thetis humida saxis:
Illos è fundo, rigidaque è rupe revellam,
Cùm jam Luna suum complevit lumine cornu.
Insuper & pictum, non ultima dona, quasillum
Cæruleis plenum digitis, quos litora propter
Sebethi medias inter scrutamur arenas.
Hinc cùm læta inter myrteta, & concava saxa,
Aut riguos inter lenta otia ducimus amnes

Jam

(1) *Frangolino*, & *Pagro*.
(2) *Lampreda*, sic dicta quia exossis est;
(3) *Occhiata*.
(4) Iidem, ac Dentices latinè, *Dentice*.

Jam vacui, & Zephyrum, & frigus captamus opacum,
Quam mihi Syncerus moriens donavit, avenam
Inflabo, & noſtro freta carmine pulſa ſonabunt.
Tunc genus antiquum regali è ſanguine regum
Cantabo, ſtirpiſque tuæ primordia dicam,
Magnanimos; addam Heroas, Regeſque ſuperbos,
Quos Tagus auriferis regnantes vidit arenis,
Et quos dives Iber, niveaque incinctus oliva
Bætis, & umbroſa coluit cervice Pyrene:
Quos & Parthenope titulis majoribus auxit:
Noſter & in viridi miratus ſæpe receſſu
Pauſilypus, fovitque ſuas Euplæa per undas.
Non taceam tua facta, mihi ſi pulcher Apollo,
Et digna Actiades concedent carmina Muſæ.

Hæc ſat, Nereides, veſtrum luſiſſe Poëtam,
Dum ſedet, & rarum ſubtexit arundine linum.
Hæc vos &, Divæ, facietis maxima magno
Cardenidæ, mihi cujus amor ſic creſcit in horas,
Orbe velut pleno ſuccus pingueſcit Echini:
Aut matutino ut turgent conchylia rore.

Surgamus; nam prima gravis cantantibus aura
Veſperis, atque aër gelidi nocet humidus antri,
Ite domum teneræ, Sol occidit, ite puellæ.

PETRI GIBELLINI

PISAURENSIS.

In Sebastiani Maccii Durantini. Soteridem.

SI tantum potuit celeberrima Musa Maronis,
Arma, virumq; canens jactatum fluctibus, atque
Laomedonteæ referens incendia Trojæ,
Versibus ut fuerit tot sæcula vivere dignum,
Doctorum ille virum victurus in ore Poëta,
Lucida dum supero splendescent sidera cœlo,
Perpetuum si vivent Vatibus edita priscis
Tot monumenta Heroum demandata papyris:
Unde sagax Ithacus notus, nota inclita gesta
Romulei ducis in cladem Carthaginis altæ:
Ogygium pariter fervens discordia fratrum,
Qua sontes misere flagrarunt undique Thebæ,
Bellaque præstantis latum pugnata per orbem
Cæsaris, & strati Romana cæde Philippi;
Maccius æternum Vates non vivet in ævum,
Et sophiæ decus, & lumen, columenque Latinum,
Quem virtus multo illustrat preciosior auro?
Maccius, Euterpe voluit cui tradere plectrum
Auratum, Charitesque favent, & Suada, Decorque
Verius ast animum decorant huic unica Christi
Relligio, alma fides, & spes, Charitesque sorores,
Quas reliquæ e cœlo innumeræ comitantur ovantes
In girum placidæ, Maccique in mente quiescunt.
Ad ripam Vates, quam diluit unda Metauri

Edi-

Editus, & patulæ recubans sub tegmine quercus,
Glandiferæ Quercus, Divis quæ grata supremis,
Est olim viridi Musam meditatus in umbra,
Quæ posset varios hominum mulcire labores,
Et revocare animos, mœstumque fugare timorem.
Nunc vero a Stygia ut cuncti sint nocte redempti,
Quos error miseros prisci culpaverat Adæ,
Is canit hoc opere, & mortem lacrimatur iniquam,
Mortem, inquam, infandã, cujus memor usq; tremisco,
Illius æterni Regis de Virginis alvo
Progeniti, quem procumbens agnovit humibos,
Stratum membra solo stolidus cognovit asellus
Et cui post paullo portarunt dona Sabæi.
Jamque puer factus bissenis floridus annis,
Sub templi excelso considens fornice, multa
Lege super rogitans obscura arcana reclusit:
Quem Dominum Baptista lavat Jordanis in unda,
Unde salus ægris. Ter maxima gesta sequuntur:
Audivere etenim tellus, & ventus, & æther
Imperium Christi, cæcorum abiere tenebræ
Ex oculis: surdorum aures patuere, loquela
Mutis clara fuit; membrorum habuere salutem
Ægroti firmam; concessum currere claudis.
Aufugit rabidus non raro e corpore Dæmon.
Pallentes animas Soter revocavit ab orco,
Quas iterum jussit mortalem degere vitam.
Post gravis excepit mensa Pharisæus amica,
Et sacris pedibus peccatrix oscula fixit.
Occurrunt pueri ramis, & carmina promunt.
Frigore perculsus vicinæ mortis in horto
Sanguinis exudat guttas: vincitur Jesus.
Lictor ad Annam vinctum abducit, & ictibus instans,
Percutit (heu) pugnis, visu miserabile, vultum.
Heu nudat, religatque artus, tortisque flagellis,
Hinc, inde ingeminat plagas, corpusque cruentat,
Tum capiti insultat, spinisque coronat acutis.
Apparet facies atro fœdata cruore.
Indutum lacera demonstrat veste Pilatus,

Si populi rabiem, & voces compescere possit,
At non bacchantes animos cruciatibus explet
Pontius, insontem ni ad mortem damnet iniquam.
Imponunt igitur truncum, Calvaria ducunt
Ad loca; Christum crudeles in stipite figunt.
Nimirum, lapide e duro, duroque metallo
Stirps hominum, si dira necis ludibria siccis
Commemorant oculis, quam passus Rector olympi.
Perfusum Christi pretioso corpus odore
Dum ponunt in dura exciso rupe sepulchro,
Ille hominum semper casum miseratus acerbum,
In quem pertraxit primorum culpa parentum,
Tartareas visit sedes. Erebumque profundum
Captivam ut turbam superas revocaret ad auras.
Adventante Deo, variarum monstra ferarum
Protinus horrendis implerunt vocibus Orcum:
Ast animæ assurgunt dextra, lævaque piorum,
Nec non turba Patrum dejecto lumine fata est,
Quod nequeat dignas Domino persolvere grates.
Hostibus afflictis, ad cœlum morte reclusum
Extemplo egreditur victor, secumque triumphans
Captivos trahit e tenebris ad gaudia vitæ,
Perpetuum læti ut patria potiantur amata,
Tantus amor nostri divina in mente repostus,
Tum matri apparet lacrimanti a morte resurgens
Primus & hinc aliis, quos summo elegit amore,
Postque dies aliquot, sociis spectantibus, altas
Sublimis sedes petit ad cœlestia Regna,
Suspiciunt, figuntque oculos: sed candida nubes
Discipulis aciem obtundit, privatque magistro.
E cœlo Paracletus tunc orantibus una
Discipulis, datur ignitæ cum turbine linguæ;
Illi promissum numen venientis adorant.
Judicium tandem extremum cantare Poëta
Horrescit, sed enim magnis volventibus annis
Hoc erit, excitæ proprio de pulvere gentes
Cum sistent supremi Judicis ante tribunal.
Qui exegit paria hæc magno monumenta Maroni,

Qui-

Quique bibit sacro Andinos de fonte liquores ?
Maccius ista pio modulatus carmina sensu,
Gratum opus ingeniis, duroque perennius ære.
Emeritam Aonidum laurum, viridemque coronam
Contextam ex hederis, quæ doctæ præmia frontis,
Haud poscit Vates, sed opem nunc flagitat unam
E cœlo, una Dei merces sibi sola laborum.
Altera Calliope, quæ menti carmina fundat,
Virgineum decus eligitur, materque Tonantis,
Pectoris affectus movet, os ea vatibus urget,
Signat cuncta manu, expolit, illustratque canenda.
Sancte Pater, gregis è cœlo cui est credita sacri
Cura: vices superum geris hic tu maxime Pastor,
Tu procerumque, Patrumque decus te Maxime Clemens,
Vatis opus tanti multo cumulabis honore:
Sic etenim sperare decet de Principe Summo.
Quare age, mi Macci, liventis nulla Theonis
Tela reformides usquam; tua carmina namque
Grata, volente Deo, Clementi in sæcula vivent,
Multaque percipies reliquæ tibi commoda vitæ,
Atque tuum nomen semper, laudesque manebunt.
Magnus honorabit Vatem te Feltrius Heros,
Heros, præsidium cunctis quem Vatibus ipse
Cœlicolum Pater æthereo demisit olympo.
Magnanimus Princeps, summorum a sanguine Regum,
Augusto major: quo non præstantior alter
Consilio: summis qui ornat virtutibus orbem.
Is te secernet populo, quernaque corona
Tu ornatus, feries sublimi vertice cœlum.

ANTONII GIGANTIS

EX FORO SEMPRONII.

De Villa Tusculana Jo: Baptistæ Campegii, Episcopi Majoricen. in agro Bononien.

NUnc humiles primum conemur tollere versus,
Et nostra assuescat magnas intexere laudes
Pagina: sume animum, ac torporem expelle, Thalia,
Splendida Campegi dicamus rura beati.
Rura humili quondam Saliceti nomine dicta,
Tusculi ab auspicio sed nunc meliore vocata.
Multas illa quidem Italiæ jam nota per urbes,
Ipsius & domini scriptis celebrata disertis.
Non igitur rerum ambages, aut ficta sequemur,
Omnia quin celebri referemus consona famæ.
Sed tam multa loci illius ornamenta recurrunt
Una animo, ut nequeat laudum servarier ordo,
Temperies tamen inprimis, cœlumque salubre
Laudetur: partim indiciis id Phœbus apertis
Arguit, exurgens tractu vel semper Eoo
Conspicuus, vel raro atra caligine septus.
Partim etiam indigenæ ostendunt, qui robore firmo
Longævi incedunt plures, viridique senecta
Haud cessant duro terram exercere labore.
Nec minus illa adeat male sano corpore si quis
Rura, brevi invalidas firmabit tempore vires,
Aut requiem plane inveniet, morbique levamen.
Tum matutinas æstivis mensibus horas;
Atque adeo medium Titan cum fervidus axem

In-

Invehitur cursu, lenis refrigerat aura.
Mox uber glebæ, magnique & fertilis agri
Cultum admirari libeat, quo haud lætior ullus
Pelsineos intra fines versatur aratro.
Frugibus omnigenis hic magna explere quotannis
Horrea, & optatum potis est superare coloni;
Optima quin idem fert, & mollissima vina,
Ut vineta putes illic florere Falerna.
Tot bene culta soli fœcundi jugera parvus
Alluit haud rapidis, lembosque ferentibus undis
Rhenus, ad ingentes villæ percommodus usus;
Sive quid efferre inde libet, seu afferre necesse est,
Seu vicina juvat quandoque invisere rura,
Plurima quæ circum late ornant æquor amœnum,
Nobiliumque opibus dominorum, & splendida cultu.
Præterea squalos large, cancrosque rubentes,
Procerosque lupos, & parvos sufficit, atqui
Molles pisciculos, & grati nempe saporis.
Ipsa etiam fluvialis aqua, & perlucida currit,
Et bona [momenti quod non puto nullius esse]
Escas ardenti propere mollire camino,
Atque per æstatem perfundere membra salubris.
Huc etiam accedit, quæ laude est digna voluptas,
Innumeras pascit volucres: ibi Phasidis undæ
Nomen avis referens, & turtur amica pudori
Nidificant, ac turba avium infinita minorum.
Non ibi vel perdix deest, vel peregrina coturnix,
Et merulæ, turdique suo stant tempore obesi.
Præbet item damis latebras, passimque vagantes
Prata per, & cultos cernantur sæpius agros
Auriti lepores: variis ut mensibus anni
Contingat, grato exercentem membra labore,
Accipitri, laqueis, cane, visco, & retibus uti.
Nec tamen hæc cum sint ingentia commoda ruris,
Naturæ proprio concessa, & munere Divum,
Non etiam insignes magnam ars imitata parentem
Addidit ornatus; hinc est pomaria, & hortos
Conspicere irriguos, ac multo flore nitentes,

Consitaque arboribus quadra, atque salubribus herbis,
Et ducta egregie in varias topiaria formas.
Quorum ego si nitidam speciem comprendere versu
Evaleam, nihil aut fructu jucundius illis,
Pulchrius aut visu speren me offerre legenti.
Sæpius ast eadem verba hæc iterare decebit;
Singula nam miro fulgent concinna decore.
Magnam præsertim Villam [an palatia dicam
Regia?] suspiciens stupet, ac sublimia tecta
Hospes, & aspectu primo penetralia secum
Concipit ampla animo tacitus; verum omnia longe
Majora offendens oculis, miratur & alta
Atria, & atriola, atque adjuncta cubicula, & omnes
Percupidus partes supra vestigat, & infra,
Cunctaque magnificis in cœlum laudibus effert;
Et merito: neque enim surgit formosior ulla,
Nec mage culta domus (livor procul omnis abesto)
Sapina qua pingues, Rhenusque interfluit agros.
Sed neque, mi, calamo quamvis properante, silenda
Pars erit inferior tecti, penitusque reposta,
Ut satis una domus speciem præseferat amplæ.
Multiplices uti partitæ sunt nomina cellæ,
Quæ non vina modo, & servanda cibaria condunt,
Servorumque ministeriis, ac usibus aptæ;
Verum etiam quivis in eas diverterit hospes,
Perbelle exceptum se coram dicet, & absens.
Harum ad mundiciem ducta est spatiosa latentem
Subter humum via, quæ recta decurrit in amnem.
Illa pavimentis constructa, & fornice tecta
Perpetuo muris validis fulcitur utrinque,
Totaque vel largo Solis splendore nitescit;
Mirum sane opus, & grandi quondam ære redemptum.
At superas iterum jam nos referamus in ædes,
Multa ubi præterea laude attingenda supersunt.
Præcipue illa ingens altis suffulta columnis
Porticus, aspectans Boream, septemque Triones,
Mirificum præbet cupidis tutamen ab æstu:
Hoc itidem interior celsa testudine, & amplis

Pa-

Parietibus, latisque domus constructa fenestris
Præstat, & egelidos sic accipit, atque remittit
Ventorum flatus, ut protinus arceat omnem,
Vel sinat haud ægre rabiem tolerare leonis.
Sunt etiam mediis conclavia in ædibus omni
Usqueadeo strepitu, ac penitus semota susurro,
Ut minime insomnes liceat traducere noctes.
Nec putei desunt ingentes, atque perennes
Dulcis aquæ, & nitida murorum mole decori.
Tum vero latos liber prospectus in agros
Miris quippe modis oculos, & corda tuentum
Exhilarat, gelidas seu flectant lumina ad Arctos,
Sive se ad occasum vertant, seu Solis ad ortum.
Ac frons illa domus, Austri quæ vergit in oram,
Continuos colles, & celsas prospicit arces
Urbis Felsineæ; via quo mollissima quarto
E lapide invectum cisio deducit, equove.
Quid calles memorem, & quos protegit umbra recessus
Compitaque apricos circum spectantia campos?
Aut quos concentus dulces aurora volucrum
Excitat exoriens, pæne ipso in limine tecti?
Quis vero digne vivaria dixerit unquam,
Quæ magna in magno lymphis currentibus horto
Inclusos servant pisces, accedere ad escam,
Atque manum assuetos non exhorrere vocantis?
Illa autem magis hoc etiam miranda videntur
Nomine, vicini quod aquas e fluminis alveo
Accipiunt juges, longo reddente canali:
Villæ ingens decus, atque animo prædulce levamen.
Stragula vestis item foret, ac pretiosa supellex
Dicenda, & quantus rebus nitor omnibus insit;
Qua bene compositos exornant serica lectos,
Et conopea egregio contexta labore.
Quaque aulæa tegunt muros pendentia ad unguem
Argentoque, auroque, & vario distincta colore,
Qualia cernuntur Regum intra tecta potentum:
Et qua perlepidis pulvillis, atque tapetis
Strata pavimenta, & sellæ, tripodesque renident.

At-

Atqui ego non is sum, innumeras qui carmine dotes
Enumerare velim, queis villa, & fundus abundant:
Nec si ausim, pulcher votis aspiret Apollo.
Hoc sit scire satis, longe pulcherrima adesse
Omnia, magnanimoque viro, & prædivite digna.
Non Parii lapides, fateor, non ænea signa,
Plurima quæ Tybris forsan miratur, & Arnus,
Consurgunt illic, aulasque, & limina servant.
Nec tamen ignoro, minimum quàm conferat usum
Signorum ornatus, quo cetera prorsus abunde
Contulerit natura potens, atque artis acumen:
Sed vice mutorum lapidum, rigidique metalli,
Si quis eo accedat, quo tempore rura frequentat
Dives herus, virtute viros, omnique lepore
Præstantes, illic inter se docta ferentes
Colloquia inveniet, tales nam semper amicos
Munifici bonitas Campegi abducit ab urbe,
Et nitida excipiunt lautis triclinia mensis.
Tunc Academiam potius, gratamque Camœnis
Dixerit hospitium, quam villam ruris amœni,
Præsertim si aderit tum Bolognetus, & una
Sigonius domino ante alios dilectus uterque.
Ille Senatores inter clarissimus, idem
Eximio Phœbi vates insignis honore.
Hic florente stylo late monumenta per orbem
Diffundit, magni Ciceronis proxima scriptis.
Ipsum præcipuè dominum mirabitur instar
Numinis, ac illo inspecto mage lætus abibit,
Quam si cuncta simul sit contemplatus ibidem
Marmora Praxitelis, famosique æra Myronis.
Si vero audire illius doctissima verba
Contigerit; secli haud dubie vestigia prisci,
Atque sales mediis dignos agnoscet Athenis.
Quamquam aliis etiam illustrem virtutibus omnes
Suspiciuntque virum, ac efferre ad sidera certant
Laude extollentes largæ pia munera dextræ.
Sed quo me diversa rapis? jam desine versu
Garrire illepido, satis est utcumque Thalia

Hæc calamo curſim inſueto potuiſſe referre.
Forſan & hinc aliquis vel captus Tuſculi amore,
Vel certe in noſtris illud ſordeſcere chartis
Indignans, ejus laudes ſibi ſcribere ſumet,
Et nova majori ſociabit carmina plectro.
Atque ita Campegi villam, nomenque Joannis
Baptiſtæ, ut par eſt, longum æternabit in ævum.

EX D. GREGORIO NAZIANZENO de Vita vanitate, communique omnium fine.

Quis mihi det celeres Aquilæ, vel hirundinis alas,
Ut avolem ex mortalium
Cœtibus, ac deſerta vager per luſtra ferarum,
Ibique contubernio
Illarum aſſueſcam? quas jam mortalibus ipſis
Fideliores autumo.
Namque ita fors poſſim levius traducere vitam,
Tot hic refertam fraudibus:
Sed tamen hoc unum, generi haud commune ferino,
Exors mihi dari velim;
Nempe Dei gnaram mentem, & cœleſtia ſemper
Curantem, omiſſis perditi
Illecebris ſæcli, ac abrupta compede ſæva
Immanis Orci principis.
Sin minus effugere hinc liceat, nec me eſſe malorum
Rex Cœlitum expertem annuat:
At cuperem aëriam in ſpeculam conſcendere, ut orbis
Me poſſet omnis cernere:
Ac etiam exaudire procul, dum talia voce
Sæpe intonarem maxima:
Mortale homines, fluxum genus, atque caducum,
Quouſque tandem ſomniis
Deluſi falſis, levia, & ludicra ſequendo,
Summum relinquetis bonum?
Inſpicite o miſeri, cuncta ut ſub Sole creata
Sint morti, & umbris debita.

En viridi hic nuper gaudebat flore juventæ,
Membrisque robustissimis.
Hic forma egregia, & præstanti corpore dudum
Verterat in se se omnium
Lumina, ut ante diem cunctis formosior astris
Cœlo renidet Lucifer.
Martia hic arma manu forti tractabat, honore
Fulgebat hic Olympico.
Optimus hic agitare feras, & vincere cursu
Damas, & apros viribus.
Hic mensas vino, dapibusque gravabat opimis,
Et terra, & ære, & mari
Ingluviem explebat. Sed contemplamini, ut omnes
Nunc curvi & infirmi fient.
Corporis excessit decor, & subeunte senecta
Defloruerunt omnia.
Languent effœtæ vires, ventrisque, gulæque
Omnis voluptas occidit.
Nil prope adhuc retinent hominis, similesque sepulchris
Ducunt anhelum spiritum.
Rursus & huc acies, ac sanam advertite mentem,
Et vera falsis cernite.
Hinc sermone potens est, hic insignis avorum
Alto superbit sanguine.
Consilio valet hic, naturæ hic omnia novit
Arcana, hic est dux maximis.
Strenuus in bellis, hic opes sibi condidit amplas,
Talentaque auri plurima.
Hic rigido torquet populos examine judex.
Ostro hic nitens, & laurea
Sic tumet, ut regem ipsum parvipendat Olympi.
Veruntamen jam omnes brevi
Momento exiguum in cinerem vertentur, & omnes
Æquabit unca falce mors.
Servos, dominos, inopes, opibusque potentes
Unæ tenebræ, una & domus
Excipiet cunctos, quamvis sibi marmore priva
Sepulchra viventes struant,

Ac

Ac titulos frustra scalpant, & nomina saxis;
Namque æqua lanx omnes manet.
Et jam jam nudatæ erimus calvæ, aridaque ossa.
Jam desinet superbia,
Pauperies, morbi, rixæque ac tristia bella,
Et efferæ libidines.
Omnia corporea simul hæc cum mole peribunt,
Donec sub horrendum tubæ
Clangorem rursus jussi consurgere, magnum
Sistamur ante judicem.
Cujus ad imperium pœna male facta perenni
Plectentur; at pii optima
Præmia percipient, ac tuta pace fruentur
Celsis locatis in sedibus.
Proinde meis dictis præbete fidelibus aures,
Gravem & veternum pellite.
Eja agite & mundum fugite, & quæcumque dolosus
Fomenta serpens suggerit.
Et genus, & formam, & fasces, & opes infidas,
Ut stercora arbitramini,
In Cœlumque oculos, animumque attollite, veræ
Ubi sunt opes, & gaudia:
Quæ non tempus edax, non ulla injuria tentat
Mutare, namque ibi Deus
Verax illa piis animis bona tanta paravit,
Quæ nec oculus vidit, neque
Auris percepit, nec item mortalia possunt
Corda meditando assequi.

Ad Lauram Battiferram Amanatam.

Egregiæ formæ laudes, seu carmine prisce
Concelebratas, sive recenti,
Ut lubet assumat mulier sibi pulchra licenter,
Ac multum se jactet in illis:
Dum nitidis oculis, & lævi gratia fronti,
Atque comis insederit aureis.

Sed

Sed mox paulatim deflorescentibus annis,
  Aut ultro, aut invita reponet.
Ast animi quæcumque bonas est femina dotes,
  Et pectus sortita pudicum,
Haud quaquam tristis metuens erit illa senectæ,
  Nec cultu exultabit inani.
Quin Regum quavis uxore beatior ævum
  Transiget, ut facere admiramur
Te te ope nobilium virtutum Laura tuarum.
  Quarum splendorem haud nitor auri,
Nec gemmæ æquiparare valent, quas utraque plures
  Diversis fert India ab oris.
Jure igitur tanto te Flora illustris honore
  Excipit, & quocunque locorum
Tusci Heliconis adit præclarum nomen, eodem
  Battiferræ fama peragrat.
Quod nostra hæc ætas, melioribus æmula sæclis
  Grajorum, te læta vocare
Jamdudum Sapphona suam consuevit, in uno
  Hoc etiam felicior illis;
Nam cultrix tua Musa sacri intemerata pudoris,
  Carmina castis auribus usque
Digna sonat, laudesque Dei plectro aptat Etrusco,
  Quas numeris cœlestibus olim
Jessæus cecinit vates, quo hic gratior aura
  Te sequitur, majoraque longe
Præmia deinde manent: æqua cum lance rependens
  Facta bene, ac bene dicta piorum
Rex Cœli, æternis redimitam tempora sertis
  Ætheria te in sede locabit;
Angelicis ubi juncta choris, animisque beatis
  Perpetuos modulaberis hymnos.
Sed tu Laura tamen, dum mente hæc concipis alta,
  Exiguos ne despice flores,
Quos tibi, ad indicium studii, atque ingentis amoris,
  Legit parvi Musa Gigantis,
Dum prato in viridi terit ocia, nec sibi visus
  Est laudum expers esse tuarum:

No-

Nobilis Urbini cum non procul urbe Penates
Ipse suos veneretur, apricas
Qua valles secat, & Semproni mœnia læto
Subter labitur amne Metaurus.

De Cosmo Medice Magno Etruriæ Duce.

Ant Qua laude, vel quo, Pieri, carmine
Digne canemus nominis Itali,
Etruriæ nedum potentis,
Eximium decus, atque robur?
Mus. Ne tu id pusillis versibus audeas,
Sed magna Magnum plectra sonent Ducem:
Quem Mincii cygnus deceret
Elysiis revocandus oris.
Ant. Quis ergo laudes illius inclitas
Feret per orbem? quis venientibus
Testabitur sæclis recentem
Impositam capiti coronam?
Mus. Ignare, nescis, Tuscia quot viros
Alat celebres dotibus ingens?
Hi Maximi Cosmi tum avitos,
Tum proprios referent honores.
Ant. Non immerentem, Diva, redarguis:
Verum hoc roganti dic age! Quis sibi
Tam grande opus præstantiori
Pectine concelebrare sumet?
Mus. Petrum inter omnes Angelium meæ
Fovent sorores [tabificus procul
Hinc livor esto] insignem Apollo
Huic citharam dedit, atque cantum.
Ant Vatem o beatum, quandoquidem tuus
Tantam cothurnus materiam manet:
Tu nomine hoc uno vetustis
Haud eris inferior Poëtis.
Mus. Ducem o beatum, quem magis in dies
Cœli benignus prosequitur favor:

He-

Heroibus nos jure priscis
Postera te annumerabit ætas.

Ad Camillum Paleotum Senatorem Bononiensem de laudibus Ruris.

Vita hominis, bene qui canos sibi cogitet annos
Vivere, ab urbe procul lætus agellus erit.
Villa ubi prospectans in colle assurgat amœno,
Et fontis vitream quercus obumbret aquam.
Maturæ huc adeat, superant dum corpore vires,
Nec vincit validos tarda podagra pedes;
Copia librorum mentem comitetur ab omni
Explicitam cura, quam nitor Urbis alit.
Mensa abiegna toris hic longe præstet eburnis,
Vasaque concedant aurea fictilibus.
Sint procul arte cibi nimia, sumptuque parati,
Nec parca expectet vina Falerna sitis.
Hortus, & ipsa cohors, succidia, & hirta capella,
Vel lautas poterunt suppeditare dapes;
Rusticus interdum, vicino e flumine molles
Pisciculos domino munera grata feret.
Interdum leporem, aut deceptas arte volucres
Deferet, incompto sedulus obsequio.
Ipse domi certes studiis nunc dividat horas,
Liber in apricis nunc spatietur agris.
Cœlicolum regem supplex in vota, precesque
Sæpe vocans, illo auspice cuncta gerat.
Vere rosas errans, & per lætissima flores
Prata leget, passim dulce querentur aves.
Æstivos viridi Soles vitabit in umbra,
Et quæret primi frigora opaca die.
Mox dulces carpentem uvas spectare juvabit
Agricolam, & forti mitia poma manu.
Tum vigil hybernas extendat lumine noctes,
Et duras hiemes arceat igne focus.
terea absentes compellans carmine amicos,
Laudibus in Cœlum rura beata ferat.

In-

Interdum hospitio narrantem urbana sodalem
  Excipiens, memori plurima mente roget.
Insolitos fasces, & ludum sortis inanem,
  Illius ærumnas audiet, hujus opes.
Tunc magis obfirmans vitam laudabit agrestem,
  Hanc colet, hanc regum præferet imperiis.
Cui sic continget senium traducere, porro
  Corporis atque animi est tuta reperta quies.
At tibi, patrone illustris, licet omnia læta,
  Cedere & ad votum prospera cuncta precer:
Non tamen hæc adeo optarim liberrima ruris
  Ocia, ut urbe omni tempore abesse velis.
Id tibi nec Genius, nec amicus suadeat auctor,
  Cui tuus in patriam sit bene notus amor;
Quive tuam norit virtutem in rebus agendis,
  Quam multos opera, consilioque juves.
Culta igitur quamvis vario Argentina lepore
  Gestiat assiduè te retinere sinu:
Emeritum senium, & longos cum laude labores,
  Clarorum & memorans facta imitanda virum:
Propositi tamen ipse tenax hoc adde sequendum
  Civibus exemplum, magne Camille, tuis.
Publica privatæ nempe anteferenda quieti
  Commoda, dum recte membra, animique vigent.
Hactenus ergo pater conscriptus rura frequentet,
  Curia ne absentem, ne doleatve cliens.
Discat & hunc vitæ duce te servare tenorem,
  Qui patriæ ex animo dicier optat amans.

Ex Italico idiomate Latinè redditum.

Accipe languidula, quæ nunc tibi voce, Lycori,
  Ad strepitum citharæ carmina sera cano.
Quando ego non potui tota te luce videre,
  Dum passim huc illuc anxius usque vagor.
Sæpe hodie fontem petii te propter, & agros,
  At nusquam audita es, nullibi visa mihi.

Vix tandem e foribus non discedente Lycisca,
Te senii tacitam continuisse domi.
Ecquæ tam assidue potuit te caussa morari,
Quin semel in specula conspicienda fores?
Fac amabo, mea lux, summo te mane revisam,
Longior hæc anno nox erit una mihi,
At tu forte levi recubas evicta sopore,
Me Jove sub gelido sævus adurit Amor.

Ad Georgium Gotium Ragusinum Romam.

Goti, meorum amabilissime omnium
Sodalium, quot nunc mihi
Sunt, aut fuere, aut post erunt, dum spiritus
Hæc membra vitalis reget.
Cur litteras sitire me dulcissimas
Diutius sinis tuas?
Nam quinque jam fere peractis mensibus
Tuum queror silentium.
Nunquid tibi fluxisse me dicam sinu?
Sed absit, hoc ut suspicer,
Notamve turpem amico inuram candido.
Quid ergo? num te forsitan
Minus valere cogitem? at menti omina
Dii tristia avertant piæ.
Quin optime tibi esse, teque mutuo
Gigantem amore prosequi,
Tam continenter credo, quam lubens velim.
Ast interim mihi male
Scito esse, Goti, non quod artus langueant,
Sed quod laboret anxia
Mens, dum tabellas tandiu expectat tuas,
Quod te per omnes Gratias
Oro, hanc ut illi deleas molestiam,
Sic te vicissim Cælites
Ament benigni, ac jam tibi diutinum
Bene explicent negocium.

Ad Albertum Albertanum Collenſem Prætori Pratenſi aſſeſſorem.

O Collis altis nobilior jugis,
Cingunt potentem quot quot Etruriam,
Inſignium o ſator virorum,
Fertilibuſque opulente glebis;
Hunc lætus hymnum ſuſcipe, quem ſacris
Biſenti ad undas condidimus, tuum
Præconio Civem efferentes
Non humili, neque laude ficta.
Præclaram in illo namque peritiam
Bonique, & æqui dicimus inſitam,
Mentemque ab omni labe tutam,
Muneribuſque manum abſtinentem.
His nempe quiſquis præditus artibus
Judex tribunal ſcandet, is omnium
Hinc inde virtutum catervas
Ordine conſpiciet decoro
Sibi aſſidentes; nec ſuperum Pater
Nequicquam ab altis verticibus poli
Spectabit illum judicantem,
Aurea nec Themidis puella.
Quæ, ut fertur, olim moribus improbis
Infenſa terras deſeruit graves,
Cœlumque ſublime, & parentis
Sidereas repetivit arces.
Alberte ſed tu, quique tibi pares
Intaminatos juſtitiæ gerunt
Faſces, eam feliciori
Omine conciliatis orbi.
Dum nec ſeveras parcitis in reos
Inferre pœnas, nec ſinitis mala
Quemquam opprimi fraude innocentem,
Aut hominum rabie potentum.
Vos & benignam patre carentibus
Præbetis autem; vos viduas pium

Opus) tuemini, advenasque
Præsidio, atque inopes fovetis.
Dii magna vobis præmia pro bene
Factis rependant; præmia, quæ vorax
Nec tempus unquam auferre possit,
Nec Lachesis violenta dextra.
Tum vestra doctis nomina paginis,
Vestrasque laudes carmine prædicet
Amabili, cuicumque dexter
Cynthius adfuerit canenti.
Me namque grati (quidquid id est) tibi
Præstasse amici officium juvat,
Meisquè te, Albertane dulcis,
(Quod potui) voluisse parvis
Ornare scriptis; dum populus frequens
Pratensis actus approbat integros,
Tuamque procurationem
Egregio celebrat favore.

Ad Carolum Sigonium.

Muneris historiæ finem, lætumque, bonumque
Gratulor hoc primum tibi nomine, docte Sigoni,
Quod mentem assiduo explicitam, longoque labore,
Postmodo amicorum congressibus, atque lepore
Sermonum, & grato conspectu ruris aprici
Liberius solito interdum recreare licebit.
Quin & corporeæ haud firmo sat robore vires
Id poscunt, primæque ætas vicina senectæ,
Scilicet ut vehemens studium, vigilesque lucernas
Seponas paulum, salvusque, & lætus amicis,
Et tibi jam vivas: nostrum quo longius ævum
Sic florente stylo exornes, ac voce superstes,
Ut tua perpetuo mortales scripta juvabunt.
Deinde tibi ex animo lætor, quod gloria tanta
Hinc te consequitur, quantam non audeat ullus
Concepisse quidem votis hoc tempore scriptor.
Namque ea quo possent majore volumina plausu

Certatim Italicis, externisque excipi in oris,
Floret ubi cultus linguæ, ſtudiumque Latinæ?
Quas omnes veluti immenſum reſonare theatrum
Audimus Caroli laudes, nomenque Sigonî.
Nobilium vero Procerum potes ipſe, virumque
Clarorum plane innumeras proferre tabellas,
Teſtantes quanti fias, & qualis ubique
Virtutis ſit fama tuæ, atque ut numinis inſtar
Denique te quiſquis præſens veneretur, & abſens.
Docta quidem monumenta tui jam multa per orbem
Manarunt, ſummaque tua cum laude leguntur;
Aſt opus hoc inſigne recens quo majus ab omni
Parte animi præfert ſtudium, ingeniique laborem,
Hoc magis ingentem decoris ſuper addit acervum.
Quinetiam ulla tibi penitus ne præmia deſint
Digna tuis meritis; ecce illuſtriſſimus ille
Indole divina, & clara virtute Jacobus
Te ſponte officiis, & grandi munerat auro,
Magnorum exæquans animos, & munera regum:
Hoc uno dignus facto, quem florida paſſim
Ingenia, & linguæ, calamique, & plectra celebrent,
Quamquam mille modis aliis, atque artibus altam
Materiam præbet laudum, ſeu ſtrenuus armis
Tutatur fines Romanos, ac vigil arces
Inviſit, ſummo ſeu magna negocia tractat
Conſilio, ſeu dat populis reſponſa benigne;
Sive ille impatiens fruſtra diſperdere tempus,
Ingenuo exercet nunc fortia membra labore,
Nunc animum ſtudio recreat; doctiſque libellis.
Quare etiam hinc lætor, juvenis quod gratia tanti
Te foveat, nec non donis, & honoribus ornet.
Tu vero virtute tua, eximioque favore
Præſentis ſæcli, ac venturi laude perenni
Gaude vel merito, vir præſtantiſſime, cujus
Nunc opera effecit, multos ut quæ ante per annos
Italia in denſis languebat merſa tenebris,
Vivida jam ſuperas ſe tollere poſſit ad auras,
Ac mereat tandem vere illuſtrata vocari.

BENEDICTI GORII

FLORENTINI.

Ad Vincentium a Filicaja Senatorem.

SAtis curuli viximus exedræ,
Satis forensi (nec sine nomine)
Decerpere acclinem triumpho
Fama dedit trabeata laurum,
Satisque suetus fallere subdolæ
Illusit Aulæ fulgor, & aureis
Fasces Coronis bracteatos
Ambiguo madefecit ostro.
Sed versipellem fulguris in modum,
Videnda quæ vix obtulit, abstulit,
Speique forte succiplenam
Nunc iterum male format umbram.
At quæ fugaci lusit imagine
Præstigiarum, non iterum meos
Afflabit obtutus, meique
Pacem animi in scopulos, procellasque
Impellet: altæ jam capitis nives,
Caligo mentis, vis animæ impotens,
Vigorque depressus, propinquam
Esse diem monuere vitæ;
Dixisse vitæ sic liceat diem
Quæ sanctioris murice sanguinis
Christo dealbatum, & Parenti
Virgineæ, superisque sistat.
Hæc una tecum me, Filicaja,

Cu-

Curarum adurat: quos simul ut sacri
Catena Amoris alligavit
Excipiat Paradisus ambos.

Ad eundem.

Quæ se lutoso Glanis ab alveo
Remota late Cecina disgregat,
Hæc una Musarum jocosis
Me salibus, Filicaja, mixtas
Volentem ad undas evocat: oh meis
Optata curis otia, quæ tibi
Utcumque distantem per annos
Colloquio propiore jungunt!
Miraberis fortasse senilibus
Excussam ab alto pulvere tibiam
Ad usque Tyrrhenos sonantis
Vocibus incaluisse plectri.
Ast in medullis, & silicis suæ
Scintilla flammæ est, si calybem incutis,
Ardebit, æterna ligatus
Compede nec lapidescet ignis.
Ergo sequaci non liceat lyra
Referre amicæ vocis imaginem
Quando repercussas ubique
Fama tuas geminat Camœnas?
Nec me tenacem propositi abstrahet
Severa, torvos quæ Themis imperat
Crispare vultus, & reorum in
Excidium cataphracta circum
Sæpire multo vincla satellite:
Ut destinatas remigio manus,
Sontesque terrarum pyratas
Supplicio præeunte plectat.
Sic prurientem Justitiæ sacris
Lyram juvabit nectere laudibus,
Jungentis exemplo Dynastæ
Tersiadæ sua sceptra Psalmis.

Laboriosi mole negotii...
His immorari seposita libet,
Præesse dum curis remotis
Imperio licet otioso.

Ad eundem.

Et me togato Juris ab otio
Sequi volentem prœlia bellicus
Abstraxit ardor, commodatas
Da cytharæ, Filicaja, chordas,
Auro micantes: te duce concinam
Decussa nuper cornua Bosphoro,
Certoque subductas Viennæ
Thracis ab imperio ruinas.
Alterna mixtis carmina lacrimis
Fregere pectus, cum Scythiæ jugis
Effusa tempestas, subacto
Morte tumens fluitavit Istro,
Stravitque pagos, & pecudum greges,
Gregique junctum florem Alemanniæ,
Florem juventæ jussit uni
Implicitum dare colla loro;
Quas ussit aras igne Fides sacro
Has aut nefastis perdidit ignibus
Hostilis ardor, aut equorum
In stabulum male destinavit.
Quin & Quiritum Regia Cæsarum
Propinqua pavit vincula, compedes
Mirata vicinos suasque
Circumagi obsidione turres,
Disjecta ahenorum ariete fulminum
Delubra nutavere, Palatiis
Mensura structuræ ruina est
Ambiguis male fulta tignis.
Dolosus udo subditus aggeri
Irrepsit ignis, scissa remugiit
Repente tellus, & revulsis

Mœ

Mœnia dissiluere saxis.
Et jam patentem, scanderet impiger
Obsessor Urbem, jam caderet sui
Sepulta busto, luctuosi
Imperii regimen Vienna,
Nisi imminentem firma repelleret
Fides ruinam, pectore civium
Supplente muros, hostiumque
Cespitibus reparante vallum.
At o quis aures eminus incutit
Clangor tubarum? quæ nova confluunt
Vexilla? quantis in Gelonos
Mors equitat cataphracta turmis?
Viden, revulsas Thracis ut e manu
Victoriarum frangat adoreas?
Bersosque compellat fugaces
Theutonicis dare terga signis?
Agnosco; Bojos Isara, Saxones
Hinc misit Albis, Molda Bohemicas
Illinc cohortes, hinc Visurgis
Uvestphalici tulit arma tractus.
Proh quantus undis auxiliaribus
Immixtus Istro Vistula Pannonum
Stagnavit in campis, cruore
Decolor Æmathio, & voluta
Ad usque ripas mole cadaverum:
Ut jam phalanges non ego dixerim
Certare pugnantes, sed unam
Esse Asiæ, Scythiæque stragem.
Jo sodales, vicimus, & Dei
Pugnante dextra vicimus impares.
Erepta victores fatentur
Signa Arabum venerata castris,
Quæ Vaticanis de laquearibus
Hæc ipsa dicent nobilia Nepotibus,
Eruntque in annos æviterna
Odrysiæ monumenta cladis.
Quod si remotos vilia Littavos

Aut

Aut inquieti tela Borishenes
Conjunget arcus, aut Borussas
Balthicus associabit hastas,
Vates futuri præscius auguror,
Nec Astra fallent vota, videbimus
Fines recessisse, & relicto
Ire Aquilas Natione nostras.
Et qua Tibisco limes Jazygum,
Et prima Savo Mysia frangitur,
Budæque regales in aula
Austriacas posuisse nidos,
Sic te potenter dextera Numinis,
Invicte Regum, sospitet, Imperi
Labantis assertor, Poloniæ
Dulcis amor, columenque gentis,
Ut nostra cernent sæcula barbaram
Romana rursus frena Propontidem
Mordere, contractamque longe
Trans Asiam trepidare Lunam.
Oh ergo pubes Itala Thracios
Perrumpe tractus, jungere Gallia
Armis triumphantum, & vetustis
Adde novos Asiæ triumphos.
Sed, oh, canenti Barbitos excidit
Allisa saxo; collige fragmina
Puer remittenda, & silentes
Consilio meliore chordas.

Ad eundem.

Post jam solutum Fabulæ nodum, vocas
Sic finiendis litibus?
Ut tamen amicis jussibus obtemperem,
Edisseram quid sentiam.
Laudare semper facta, vetus Adagium
Facienda scrutari docet;
Has quam libenter subsequi Leges placet
Et dicere, oh factum bene!

Fle-

Florentinum Harpaſtum vulgò Calcio, veteris Gymnaſticæ Compendium, Militiæ rudimentum.

Devota bello ſæcula barbaram
Edocta ferro quærere gloriam,
Superque Regnantum ruinas,
Ruderaque Imperiorum avarum
Decus cruentæ carpere Lauræ;
Pacatioris diſcere ſi juvat
Præcepta Martis, innocenter
Qui ſtudium paret, & triumphos,
Adeſte: pugnas Arnus Olympicas,
Ductumque ab Iſthmi pulvere prœlium,
Et cædis expertes jocoſam in
Militiam renovavit iras;
Hic & Pelaſgæ dogmata Gymnadis,
Diſcique, Curſuſque, & Pugilum ſimul
Noſcetis artes, & Palæſtram
Romulei veterem Theatri.
Audiſtis? an me ludit amabilis
Imago belli? jam duplici phalanx
Colore difformis propinquam
Increpitat generoſa pugnam;
Aſſuetus armis ut ſonipes (tuba
Urgente) totis emicat auribus;
Hinnitque, ſubſultatque, & hoſtem
Unguibus oppoſitum laceſſit:
Et jam tonitru ſulphur aheneo
Accendit iras, jam lituis ſtrepit
Libido vincendi, & morarum
Impatiens animoſus ardor:
Conſerta circum ſigna videbitis
Certare turmas, & premere, & premi
Nutantis in morem procellæ,
Et cuneos cuneis repelli.
Pars prima pugnæ Ventus, ut arguat
Conſtare caſu bella volubili,

Pa-

Paresque nimbis prœliorum
Ambiguas fluitare sortes.
En destinato missilis impetu
Ad astra Follis pellitur, & solo
Rejectus insurgit, volatu
Congeneres præeunte ventos,
Nunc obstinato vel teritur pede,
Furtim sagaci nunc rapitur manu,
Aut ludit illusus, fugaces
Aut sequitur, fugit aut sequentes.
Tandem torosæ robore dexteræ
Metas Theatri transilit ultimas
Impulsus, assequente plausu,
Emeriti pretio triumphi.
Sic bellicosis fora laboribus
Syllana virtus edocet instrui
Certantis ardorem Juventæ
Spe decorum, stimulisque laudum.
I perge Pubes, spes Patriæ, & decus
Futura Patrum; sic te animi vigor
Extollet Elæis coronis
Altius, Isthmiacaque lauru.
Si bella poscunt, nec popularium
Te spondet in spem Mars adolescere
Adorearum, laureatis
Bella juvent memoranda Fastis,
Quæ non amici sanguinis ebrium
In nostra ferrum viscera torqueant,
Regesque certatim Quirini
Relligione pares lacessant.
Sed quæ subactæ claustra Propontidis
Fregisse, centum Fama tubis sonet,
Solisque funestos in ortus
Occiduam pepulisse Lunam.
His cresce palmis: scilicet auspice
Quæ Ferdinando non liceat tibi
Sperare virtutis trophæa?
Quid nequeas superare Magnum?

ALE-

ALEXANDRI GRATIANI

PERTLENSIS.

In Othonem Truchses Cardinalem Augustanum.

MAgnus Alexander totum quasi subdidit orbem,
Et Cæsar gessit maxima bella potens.
Alciden memorant claros subiisse labores;
Annibalem tollunt fortia facta ducem.
Condidit immensam Babylona Semiramis urbem,
Quod Ninus insignem struxerat ante Ninam.
Si peteres, non est illorum expleta cupido;
Quo plus potarunt, plus habuere sitis.
Felix, qui parvo vivit contentus honeste;
Non qui, cum teneant plurima, plura petunt.
Haud hos Heroas tot opes fecere quietos,
Haud urbes, populi, Regna subacta, duces.
Principibus cupidis non cedo, beatior istis,
Cum me tranquillum reddat Othonis amor.

PETRI GRAVINÆ

NEAPOLITANI.

De Actio Syncero.

QUi divina legis Synceri carmina vatis,
  Magnaque virginei sacra puerperii:
Non hæc humanæ credas procedere sensu.
  Auctori mentem movit, & ora Deus.
Hunc sibi delegit, quo non cœlestia quisquam
  Grandius, aut pleno cultius ore sonet.

De Consalvo Magno.

Te prius accepit, quam fecerit, inclita Magnum
  Sors tua; te virtus vindicat una sibi.
Nec Fortuna tuæ tribuit cognomina laudi;
  Te duce sed potius Sors bona nomen habet;
Cui tantum hoc debes, quod te comitata priorem
  Non duxit, sed Magnum est sola secuta ducem.
Abs te, quidquid habes, tibi provenit: omnia tecum
  Magne tenes; ante hæc maxima Magnus eras.
Felix ipse tuo, non Sortis nomine felix,
  Qui geris æternum non aliunde decus.

Ad Prosperum Columnam.

Nil obstat, Dux magne, tuis, nil amplius ausis;
  Fortunæ obsequium, signa sequentis habes.
Vidimus indomiti superata pericula belli,
  Vidimus hostiles succubuisse manus.

Oppi-

Oppida vi capta, & validis trajecta maniplis
Flumina, & oppositos terga dedisse duces.
Restabant arces, tormentaque bellica; tandem
Cesserunt arces, flumina, saxa, minæ.

In obitum Marchionis Risiariæ.

Non vivam sine te, mi Brute, exterrita dixit
Portia, & ardentes sorbuit ore faces.
Davale te extincto vivam Victoria, dixit,
Perpetuo tristes sic dolitura dies.
Utraque Romana est; sed in hoc Victoria major,
Nulla dolere potest mortua, viva potest.

ANTONII GRAVINÆ

NEAPOLITANI.

In mortem filii.

NOn lacrimis indigne meis, nec honore sepulchri,
Rapte mihi ante diem, dulcis alumne, jaces.
Intra bis denos te ostendit, & abstulit annos
Parca ferox, votis insidiata meis.
Nec potuit probitas, nec amoeni gratia vultus
Flectere, non ætas, nec pia turba Deûm.
Spes hominum stolidas! tumulavi moestus ephoebum,
Qui me debuerat lætus humasse senem.

JOAN-

JOANNIS GUADAGNI

MONTERCHIENSIS.

In Cosmi Medices Magni Tuscorum Ducis obitum.

CLara propago Ducum Tuscorum Ductor & armis,
 Consilioque potens, ardua ad astra meas?
Tuscia quî poterit largo requiescere fletu,
 Floraque deficere mentis amariciem?
Ausonia ut duros gemitus, rapidosque dolores
 Arnus non trahere? ac Tibridis ora ferax?
Heu Cosmus Medices crudelibus occubat umbris,
 Orbem qui regum fœdere continuit?
Ter quater, in Cosmo nunc fati legibus acto
 Felices fuimus, litora cuncta sonant.
Omnia sed pereunt modo tecum gaudia, cuncta
 Commoda ubi nobis te abripit atra dies.
Jucundum pietate ducem, comitate parentem
 Deflemus raptas delicias hominum.
Quique ausus vada salsa sequi, & regna inclita, fato
 Atque suo potius Christigenum rapitur.
Italus inque tuo interitu de mente fugavit,
 Quod decus eximium, militiæ studium.
Usque tamen Cosmi celebretur gloria fama,
 Notescatque magis dotibus ingenii.
Omnibus inque loci laudabitur optimus auctor
 Prolis magnorum cuncta per ora Ducum.
Hæc fata & ad pacem, & castrensia signa sequendum,
 Adjuvet ut Tuscos officiis populos.

Hæc

Hæc ardet tantum, quantum Trinacria rupes,
Fertur in obsequium, Flora beata, tuum.
Crede meis dictis: æquabunt istaque magnos
Pignora vel Cosmos egregiæ sobolis.
Hæc dico ac vobis: vos Musæ dicite cunctis
Per mare, per terras jura benigna leget.
Nam patriæ rectæ vitæ præcepta recepit,
Tentet ut exemplis quem superare suis.
Franciscus magnus gemmantia sceptra tenebit;
Hernandus Christi [illegible] erit.
Petrus cæruleo depellet lintea ponto,
Cum sint apta suo bellica vela rati.
Isabella dabit prolem, Europæque, Asiæque
Imperiis dignam, finibus & Lybiæ.
Cosmum adeantque suo Divi inter numina regno, et
Ocia decerpat sedibus ambrosiis.
Ergo cur fletus stultorum more gementes
Non est; cessemus nos cruciare modo;
Floraque clara diis, requiescant lumina luctu,
Et magno facias regia justa Duci.

BAPTISTÆ GUARINI

FILII, VERONENSIS.

Ad Janum Pannonium, Quinqueecclesiensem Episcopum.

NOn ita muneribus, Præsul doctissime, lætor,
Judicio ut clarum me juvat esse tuo,
Jane pater: cujus meritas percurrere laudes
Non valet ingenii vena pusilla mei.
Tu Latiæ, Grajæque simul pars optima linguæ;
Te cuncti priscis dicimus esse parem,
Pallada crediderim, Phœbumque, novemque sorores,
Thraciaque armifero qui terit arva pede,
Ante Jovem tales quondam fudisse precatus,
Dum caneret vates bella futura Themis;
Contra Turcarum populos, regemque superbum
Ut te Pontificem sæcula nostra darent;
Qui sævo regeres hosti contermina regna,
Et forti premeres arma inimica manu:
Facundus Latias posses legatus ad urbes,
Dicere pro Christi verba diserta grege.,
Credibile est igitur Patrem mandasse supremum,
Ortus Gradivo, Mercurioque tuos.
Nectare te parvum dulces aluere Camœnæ,
Nutricesque tulit docta Minerva manus.
Firmior hinc ætas magno est commissa Guarino,
Ornandumque bonis moribus ingenium.
Quippe ubi terra ferax docto cultore movetur,
Exoritur cumulo fertiliore seges.

Nec

Nec te pulchra minus Ferraria gaudet alumno,
Quam læta est ortu Pannonis ora tuo.
Sic te nostra bonum viderunt tempora vatem,
Quales in cœlum sæcla futura ferunt.
Nam seu clarorum scribis connubia regum,
Funera seu ploras, seu fera bella canis:
Seu præceptorem laudat tua Musa Guarinum;
Seu de maternis increpat astra rogis;
Seu queritur morbos, celebrat seu numina fontis;
Seu canit in medio sidera visa die.
Altisono quidquid memorandum carmine sumis;
Noscimus eloquii flumina larga tui.
Hinc Rex Matthias, Turcarum maximus horror,
Pannoniæ clarum Marte, togaque decus,
Præside te, regni non parva negotia tractat,
Sive domi fuerint, sive gerenda foris.
Hinc te Pannoniæ plebs admiratur, amatque;
Nobilium hinc Procerum turba verenda colit.
Hinc urbs pontificem te Quinqueeclesia cœpit;
Hinc gaudet rebus sacra caterva suis:
Cum te consilio magnis ductoribus æques,
Et linguâ promptus bella, manuque juves.
Tales sancta duces votis Ecclesia poscit,
Protegat ut miseros debita cura greges.
Is mihi bellorum damno fuit usus in isto,
Quod vultus nostrâ conspicor urbe tuos.
Namque ita gaudentes hilari te vidimus ore,
Ut solet æthereo plaudere Creta Jovi.
Ergo minus dono, quam doni auctore movemur:
Dantis honos, precium munere majus habet.
Cornipede in niveo cum me obvia turba videbit,
Dicat delicias pectoris esse tui.
Verum opis haud nostræ est dignas, pater optime, grates
Solvere, nec meritis præmia justa tuis.
Mens tibi mercedem virtutis conscia reddat;
Et quæ respiciunt Numina sancta pios.
Illa tibi ad patrios salvum remeare penates,
Hosteque de tumido gaudia longa ferant.

Ad eundem Pannonium.

Non minus antiquis, Præsul venerande, poëtis
Jane, decus vitæ, præsidiumque meæ,
Qui patrium claris ornas virtutibus ævum,
Doctrinâ, ingenio, viribus, eloquio:
Quando erit illa dies, qua tecum visere possim
Litora saxosæ proxima Dalmatiæ?
Illyricumque latus, Dravus quas irrigat oras;
Et glaciem gelidi cernere Danubii?
Et castella jugis alte constructa nivosis,
Martiaque algentis mœnia Pannoniæ?
Durum iter est fateor, longos perferre labores
Per pelagus, silvas, flumina, saxa, feras;
Qua fera setosis, incultisque horrida barbis,
Vocibus occurrat dissona turba meis.
Omnia sed tecum vivendi optata voluptas,
Atque incredibilis lenia reddet amor.
Tecum ego non dubitem Syrtes intrare vadosas,
Et loca quæ nimius torret adusta vapor.
Tecum ausim pedibus mediam penetrare Charybdim,
Cyaneasque vagas, navifragosque canes.
O ego ter felix: si te monstrante videbo,
Qua patet adstrictis orbita fluminibus,
Qua conjuratus deduxerit agmina Dacus:
Quæ Scytha non stabilis, quæ colit arva Getes,
Per quos intonsus discurrit Sarmata campos,
Et quibus angusti sunt sua plaustra lares,
Quæ via Riphæos alto sub vertice montes
Adspicit; Euxini qua fluit unda maris:
Atque Tomitanæ qua sint confinia gentis,
Nasonis nostri cognita terra malis.
Discam etiam Augustus quæ vicerit oppida Cæsar:
Quæ fuerit Latiis sanguinolenta viris:
Fervida Turcarum rabies quas vicerit urbes;
Quos dederit populos gens truculenta neci:

Qui

Qui desolati satis populatibus agri;
  Atque unde ingenti præda sit acta manu.
Si te forte pudor tua dicere gesta vetabit;
  Non erit hic magnus noscere cuncta labor;
Cum valeant claris dudum vulgata triumphis,
  Illa vel ignavi facta referre senes;
Quam longas hiemes, & quantos sæpe calores
  Pertuleris duræ tempore militiæ.
Quæ vallata tuo fuerint, quæ diruta ductu;
  Quæ defensa tuis oppida consiliis;
Quam rapido cursum cursu præveneris hostem;
  Difficilesque nova feceris arte vias:
Ut Mahometææ dederint tibi terga cohortes,
  Non ausæ populi tela videre tui:
Agmina quæ Stygio fugientia miseris Orco,
  Aut ferro, aut altis obruta gurgitibus.
Hæc pro virgineo gessisti prœlia Christo;
  Hoc habuit sanctæ religionis amor.
Nec minus adspiciam quas præstant ocia sedes;
  Hic ubi stat docti sacra caterva chori:
Hic ubi vel legitas priscorum carmina vatum,
  Vel nova venturis scripta legenda canis:
Tristia Mæonio celebrans nunc prœlia versu;
  Nunc referens claudo mitia facta pede.
Hic ubi Smyrnæas solitus percurrere chartas,
  Et gelidis quidquid vallibus Ascra canit:
Lucida sidereo quæ sint animalia cœlo,
  Quæ ventum, aut pluvias prævia signa ferant:
Quidquid Sicania pastor meduletur avena;
  Quidquid Aristophanes scribit, & Euripides.
Quid tumido fingit stultæ reus ore senectæ;
  Et quis Olympiacis scandit in astra rotis;
Et quos errores, acies quas Mantua narrat;
  Et silvis pariter cognita, & agricolis.
In nova quæ fuerint mutatæ corpora formæ,
  Quos notet in fastis Martia Roma dies.
Postquam legisti quæ dat præcepta Cupido,
  Discis quæ tanti sit medicina mali....

Gramina quæ pandat Macer; & quid Musa Catulli,
Quid genio Plautus nobilis & salibus.
Quâ Pœnus soccos expresserit arte Menandri;
Quid ludant Elegi turba faceta chori.
Carmina quos celebrent fidibus Venusina canoris:
Qui primâ rapiant vellera fulva rate.
Quo sonitu juvenis civilia bella tonarat,
Laudandâ jussus seditione mori.
Corduba quid memoret, Grajos imitata cothurnos;
Quâ fera Papinius concinat arma tubâ.
Mordacesque jocos, & salsa Epigrammata Marci;
Quæ cantet Latius Punica bella senex.
Quidquid Pierides mollis sonuere Canopi;
Quos laniet Satyris Musa Latina suis.
Perspicis illustres vitas Regumque, Ducumque,
Quas & Plutarchus tradit, & Æmilius.
Nunc arguta gravis Tranquilli scripta revolvis;
Nunc avide primi Cæsaris acta vides.
Lactea quam currant Patavinis flumina chartis;
Mirandâ Crispus quam brevitate juvet.
Justinus quantà dulcedine permeet orbem,
Librorum numero par, Troge magne, tuo.
Et quamcumque dedit linguis Latialibus artem
Arpinas cunctis altior ingeniis.
Nec documenta latent quæ rhetor Cantaber; aut quas
Dant Senecæ morum scripta deserta vias.
Non te divini fugiunt monumenta Platonis,
Aut docti largum flumen Aristotelis.
Non quidquid dictat perplexa Academia veri,
Porticus aut rigidum Stoica quidquid habet,
Non quisquis radio terras metitur & astra,
Aut rerum caussas quærit, & ingenia.
Non te Pontificum, non te civilia jura
Scitaque divini non latuere fori,
Noscis & antiqui numerosa volumina Mosis:
Qui primi terras incoluere viri;
Qui sacri vates mundo cecinere futura,
Quique Palestinis regna habuere locis.

Ter.

Terrea quæ ſuetæ venerari Numina gentes
  Quos Deus imperiis egit in arma ſuis.
Perfida quam ſævos paſſa eſt Judæa tyrannos,
  Quam ſæpe eſt meritis obruta ſuppliciis.
Nec tantum hæc legitas, verum hinc præcepta requiris
  Ut vitæ conſtet formula certa tuæ.
Fortunatus ero ſi quando ea venerit hora,
  Qua fruar hoſpitiis, optime Jane, tuis;
Et tecum inſomnes valeam perducere noctes,
  Et tecum longos continuare dies.
Interea memori ſi te non pectore ſervem,
  Idem etiam poſſim non memor eſſe mei.

In obitum Jani Pannonii.

Pannoniæ decus, & noſtri lux maxima ſæcli,
  Hic ſitus es cunctis, Jane, gemende bonis.
Te nemus Aonium, laceris te Muſa capillis,
  Te poſitâ mœſtus flevit Apollo lyrâ.

LILII GREGORII GYRALDI

FERRARIENSIS.

In Amorem.

Nondum perfidiæ finis erit tuæ,
O crudelis adhuc in mea fata, Amor?
Sævis pectora flammis
Exures iterum mihi?
Ardebam miserè, heu, in patriâ mea.
Formosam Glyceren crinibus aureis
Auroram superantem,
Et vultu Idaliam Deam.
Postquam hæc rapta mihi legibus improbis,
Jam me subtrahere (hoc nam sat erat) mea
Duris colla decebat
Longum fessa jugis tuis.
En sævis iterum maceror ignibus;
Rursus bella moves dira, iterum tua
In me spicula torques.
Jam me torret amor novus.
Urit me facies pulchra Lycoridis.
Urit Sythonias ipse sinus nives
Vincens: sic miser heu heu
Duris vexor amoribus.
Quo nos usque tuâ, sæve puer, face
Perdes? num pharetræ est ulla quies tuæ?
An post funera nostra, &
Extinctum cinerem petes?

Ad

Ad Lycoram.

Hoc quod habes fragile est totum, mea pulchra Lycora:
Forma licet cœli vincat & ista Deas.
Jucunda hæc facies, coma flava, hæc lumina tantum
Quæ possunt; tota & denique quod Venus es,
Labentur nimium paucos victura per annos,
Ni formam hanc vitæ carmina nostra dabunt.
Donabunt vitæ formam hanc mea carmina longæ,
Si mihi tu vitam, pulchra Lycora, dabis?

Ad Amorem.

Spernes puellam plus nive candidam?
Spernes Lycoræ gratiam amabilem?
Clarosque ocellos, & labella hæc,
Quæ Paphiam superent Dionem?
Nectunt catenas brachia mollia,
Mittunt faces heu lumina fervidas:
Jam jam manus do supplices: jam
Castra Cupido tua, & tuum jus
Sequor lubens. o grata protervitas!
Amat Lycoris me face mutuâ:
O ter beatum me, quaterque,
Nec Superum ambrosia invidentem!

Ad Venerem.

O cœli decus inclitum,
Supremi soboles Jovis,
Quæ Cypron colis, & Paphon,
Blandi mater Amoris:
Nunc te nunc canimus Venus,
Divis tu Dea pulchrior,
Et tu maxima Cœlitum,
Orbis deliciæque:
Nostris tu, Dea, perditis

De-

Dextro numine amoribus
Faves: en cupido in ſinu
Ludit pulchra Lycora.
Nunc quæ ſacra tuis damus
Sume hæc thura, Venus, focis;
Sume & lilia candida,
Mixtos iiſque amaranthos.
Serva tu mea gaudia,
Serva dulcia baſia:
Ob quæ certa, memor, tibi
Solvam vota quotannis.

Ad Auras.

Auræ, quæ miſeri mei furoris
Tot ſuſpiria, tot graveſque queſtus,
Hinc inde accipitis fugaciores:
Gratum & quæ legitis meæ puellæ
Quod ſpirat melos, ore dulciori
Sirenum modulis, ſuaviores
Cycni cui merito invidere poſſunt:
Vos ſuſpiria hæc, graveſque queſtus
Ad ſurdas dominæ adferatis aures;
Mitem his reddite jam mihi Lycoram,
Dulces illius aut modos amanti
Portetis, requiem mei doloris.

Ad Cupidinem.

Vulnera quid geminas in me nova? quid, furens Cupido,
Faceſque ſævas adiicis medullis?
Anne parum tibi viſa una eſt meæ puella curæ,
An pulchra nobis non ſat eſt Lycora?
Parce faci, puer, & pharetræ; jam quis locus ſagittis?
Novis quid ures ignibus, proterve?
Una etenim ſatis in me flamma eſt, me meæ Lycoræ
Nitor perurit totum, & hinc & illinc.
Hæc niſi, nulla meas lapſura eſt flamma per medullas,
Nec ſi ipſa cœlum deſerat Dione.

Te-

Tumulo Cœlii Calcagnini.

Adſta viator; non moræ eſt diſpendium.
Mortalitatis hoc memor nuperrimè
Sibi ſepulchrum Cœlius conſtruxerat,
Quo doctiorem neminem Sol lampade,
Quacumque ſpargit lumen orbi, viderat;
Eheu, repente raptus hic eſt conditus,
Cui ſunt parem viſura nulla ſæcula.
Hic gloriæ, dum vixit, invidit ſuæ,
Celans opes tantas avarus ingens,
Tot ſplendida eruditionis lumina;
Quæ, maximo Alcidâ jubente Principe,
Vulgata, denſas different caligines,
Quæ paſſim oberrant ſenſibus legentium.
Jam abi, viator, & memento ſedulo,
Præclara tantum facta Fata vincere.

Epitaphium M. Ant. Antimachi.

Adſta viator paululum;
Brevis moræ pretium feres.
Hac Marcus eſt Antonius
Antimachus urna conditus,
Qui patriæ, ac teſtudinis
Conſors Maronis exſtitit
Et Tullianæ lecythi.
Hunc Graja par facundia
Seu carmen ille pangeret,
Seu pede ſoluta ſcriberet.
Sed ne putes hunc tantulâ
Urna tegi, cujus volat
Virum per ora gloria,
Quacumque florent litteræ
Bonæ, vigetque humanitas.
I nunc viator, collige,
Virtute nil præſtantius.

Ad

Ad Lectorem.

Si tibi profuerint, Lector studiose, libelli,
  In medium pridem quos mea Musa dedit;
Gaudeo; non fuerit noster labor irritus omnis:
  Quod sic accendat nostra lucerna tuam:
Sin secus acciderit; fructus nec ceperis ullos;
  Gaudeo sic etiam: nam voluisse sat est.

In Occasionem ex Graeco.

Unde hic est plastes? Sycionius; edic age nomen.
  Lysippus, tu quis? Cærus ego, omne domans.
Cur summis instas pedibus? semper rotor alas.
  Cur plantis gestas? ut levis aura feror.
Dextræ est cur inserta novacula? signum homini hoc est,
  Vis conferri acie quod mihi nulla queat.
Cur coma fronte jacet? venientem ut prendere possis.
  Parte est cur calvum posteriore caput?
Quod postquam levibus præceps effugero pennis,
  Ne valeat tergo qui revocare velit.
Talem, vos propter, me plastes finxerat hospes,
  Pro foribus positus qui documenta darem.

Ad Jo: Bapt. Cynthium Gyraldum.

Senex, & æger Lilius,
Dono suo dat Cynthio
Hoc quidquid est voluminis:
Orans Deos Novensiles,
Ut hoc velint plus sæculo
Manere; amoris mutui,
Sit testis ut perennior,

Ad Barthol. Ferrinum.

Dum, Ferrine, meam hanc tibi paratam
Dono mittere nescius Minervam,

Mu-

Munus conveniens ratus futurum
Hoc noſtrum tibi, qui tuo hoc juventæ
Flore, æqualibus omnibus peræque,
Virtute ac ſapientia præires.
Sed, proh ſors fera, dura lex Ananches!
Nondum impoſita libello erat coronis,
Nec ſinopide frons notata rubra;
Ferrino improba Parca cum recidit
Fila argentea: læta quo recepto,
Gratis Perſephone ſuum Dionæ
Adonin ſine lacrimis remiſit.

Alexandro Guarino.

Ingens Herculei decus Senatus,
Idemque Aoniæ pater catervæ:
Unus nam pote ſuſtinere curas
Magni Principis, & præeſſe rebus.
Idem & Rhetoricos doces colores,
Et priſcos ſimul explicas poëtas.
Quare quem tibi dedico libellum,
Quo Fortuna Dea eſt celata paucis,
A tot ſi liceat vacare curis,
Hunc limâ expolias ſeveriore,
Tenteſque indice Lydio rogamus,
Ne fallax Dea ludat hinc & inde,

Card. Salviato.

Debebam tibi, Salviate præſul,
Vitæ quod ſupereſt mihi imbecillis;
Quod victu & lare me foves benignus,
Sed cum muneribus tuis ſubinde
Numquam deſinis optime mereri;
Me ingratum video, interire coges,
Et tu munificentior fereris.

Ad Musas Cœlestes, pro suis Musis.

Musæ, quæ vario mulcetis sidera cantu,
Et Jovis ad solitum dulce movetis ebur;
Adspicite has famulas, vestro quæ numine fretæ,
Evolitant, placidum carpere detis iter.
Non hæ Pieridum temeraria fata secutæ,
Vos cantu sperant æquiparare suo:
Degener, ah, tantum ne vobis turba putetur;
Hoc sat erit; placidum carpere detis iter.

Duci Herculi Estensi.

Quam magnus patet Orbis, ut suetus
Parvâ pingere pictor in tabellâ,
Sic parvo tibi colligo libello
Omnes Herculis, Hercules, labores:
Ut mirere minus, grues timentem
Pygmeum hunc aliquando provocasse.

Ad eundem dedicatione libelli de re nauticâ.

Jam classis bene navibus referta est,
Instructi simul ordines, & ipsa
Armamenta parata, machinæque,
Ut fluctus ferat, impetumque venti.
Adhuc sed tamen artifex veretur,
Ignem ne patiatur, & procellas,
Quod nondum est datus imperator illi,
Si, Dux magne, voles novæ præesse
Instructæ simul, & favere classi,
Non ignem patietur, & procellas.

Prospero Pasetho J. C.

Me promereri haud desinis
Donis, Pasethe, regiis,

Et

Et usque & usque, & indies
Majora jungis maximis,
Et digna magno Principe.
Sed unde te remunerer?
Vel par tibi respondeam?
Sors nil reliquit aspera,
Ipsos nec artus corporis;
Nec mens satis constat sibi.
Quid ergo fiet? turpiter
Silebo tanta munera
Ingratus? ast infantiæ
Malo pudens damnarier,
Referre quàm tibi nihil.
Hæc ergo sume incondita,
Sed prompta ab imo pectoris,
Tibi quæ me oberatum arguant.

Ad Renatam Principem Ferrariæ.

Nomen carminibus licet perenne
Divini pariant sibi Poëtæ,
Ne mirere tamen, Renata Princeps,
Me collecta duobus his libellis
Horum nomina texuisse chartis.
Nam regalibus occupata curis
Cùm sis, non potes omnibus videre,
Vatum nomina, & editos libellos.
Quare habe tibi qualecumque munus
Defecti senis; & rogo tuere,
Nequam ne blaterare lingua possit;
Cùm tectum Ægide viderit Minervæ.

Ad Lectorem.

Qum nos sæcla, dies, menses metimur, & annos,
Obrepit tacito mors inopina gradu:
Duæ feret æthereamve diem, noctemve profundam:
Acta tibi qualis, talis agenda dies.

Epi-

Epitaphium quod ſibi condidit.

Quid hoſpes adſtas? tymbion
Vides Gyraldi Lilii,
Fortunæ utramque paginam
Qui pertulit: ſed peſſimâ
Eſt uſus alterâ: nihil
Opis ferente Apolline.
Nil ſcire refert amplius
Tua, aut ſua: in tuam rem abi.

CYN-

CYNTHII JO: BAPTISTÆ GYRALDI

FERRARIENSIS.

Ad Herculem Estensem. Fortuna.

QUæ cuncta instabili verso mortalia motu,
Sors præpes, cunctis & malefida viris,
Firma futura tibi semper, tibi fida, nec unquam
Mutatura vices mobilitate meâ,
Has tibi do volucres, Dux invictissime, pennas:
Inque tuo implumis ludo benigna sinu.

De Jove & Amore.

Pasceret armenta Admeti cum pulcher Apollo,
Juppiter ecquid, ait, sparget in orbe jubar?
Huic Amor: ille, inquit, qui cœlum, & sidera rexit,
Fulmine dum posito tu quoque pastor eras.

Ad Venerem.

Ne gnatum in triviis fugitivum, Cypria, quæras.
Huc propera: in nostro pectore regnat Amor.
Hicque furit latitans, agrum & crudeliter urit,
Igni addens ignem; nec volat hinc alio.
Tu puer hinc, Cytherea, voca: non basia posco;
Sat mihi mercedis si puer hinc abeat.
Sic tuus adsiduo tecum Mars igne calescat,
Sic semper cedat Juno, Minerva, tibi.

De Daphnide.

Quid mirum Daphnis formâ si pectora Mopsi
Torreat? hac posset sollicitare Deos.
Fac petat hic cœlum, videatque hunc Juppiter: ipsi
Pocula miscebit pro Ganymede Jovi.

Lesbia.

Sic me blanda tui succendunt, Lesbia, ocelli,
Ut miser ardenti concremer usque face.
Tot rursus rigor iste tuus sub pectore luctus
Cit mihi, ut assiduas cor fluat in lacrimas.
Sic flammâ per te exuror, sic solvor in undas:
Sic geminæ sola es tu mihi caussa necis.

In Tollam.

Non mihi tu Gorgon, mihi non Acheloia Siren;
Quod rapias, potius tu mihi Scylla vorax.
I vincas cantu Sirenas, & ore Medusam:
Non tibi præda maris; non tibi marmor ero.

Ad Lesbiam.

Luminibus fundis tot lumina & illice vultu,
Ut Cytherea tibi cedere jure queat.
Horrida tot rursus celas sub pectore monstra,
Ut tibi Phorcynis cedere jure queat.
Sicque trahis miseros illis, his perdis amantes:
Cypride pulchra magis, Gorgone sæva magis.

Ad Marcum.

Ore alter tanto, tot fundit lumina Cypris,
Marce, tua, ut Veneri nil mage sit simile.
Nique suæ Veneris Mavors flagraret amore,
Mars uri poterat Cypridos igne tuæ.

Amor Jovi.

Juppiter ut sensit Divorum pectora Amoris
Igne uri: his avidum corripuit puerum:

Po-

Pone modum flammis, Divosque exurere cessa;
Ni cesses, pœnas fulmine, crede, lues.
Risit Amor, genitorque inquit, quo fulmine terres,
Jacere debueras cum mihi taurus eras.

Ad Gallum.

Quid tentas undis extinguere Cypridis ignem,
Qui tibi sub misero pectore, Galle, furit?
Hunc Venus orta salo genuit; jam ponito lymphas,
Ex undis ortus non timet ignis aquas.

Dindymo.

Ipsa tibi soror, & conjunx est, Dindyme, Jela:
Nimirum terris Juppiter alter ades.

Herculi Estensi.

Alcide, patriæ rector, dominusque, paterque,
Sub quo læta quies, & bona cuncta vigent:
Cum tua sceptra leges, tenui quæ carmine dixi,
Conveniens Regi pone supercilium.
Nec licet æqua tuis referant mea carmina factis,
Tu tamen hæc veri pignus amoris habe.
Mens mihi major erat: sed cum sim viribus impar,
Deficiantque humeri; sit voluisse satis.

D. Alfonsi Ducis Estensis Manibus.

Hic Alfonse, jaces; sed non jacet inclita virtus
Hic tua: nam celebrat te mare, terra, polus.

D. Herculis Esten. II.

Balsama, thura, crocum, tradant & grandia dona,
Queis nitet Attalica conditione domus.
Do tibi populeas frondes, silvasque virentes,
Alcide, inculti munera parva soli.
Parva tamen magni non spernunt munera Reges,
Parva etiam magno munera grata Jovi.

Tu cape dona libens, dantis simul accipe mentem,
Sic tibi erunt parva hæc, balsama, thura, crocum.

De Cœlii Calcagnini Hymno.

Anne tuo rupes etiam de carmine surgunt?
Promit & arenti de Nuce Musa nemus?
Aura Paretonias colubris præmiscet arenas,
Marmaricusque leo servat herile latus.
Illyricus pater in media perlustrat heremo
Cœlum, & cælicolas, tergeminumque Patrem.
Idem animo, idem oculis nostræ vexilla salutis
Spectet, & inclusum pectore numen alit.
Si Nux tantarum monstrat spectacula rerum;
De Nuce quis promptam pernegec Iliada?

De D. Hercule Estensi II.

Terribilem gereret summâ cum casside cristam
Dux meus, & forti stringeret arma manu:
Obstupuit Mavors, dicitque: ut Thracia Marte
Gaudet, sic gaudes, Ausonis ora, tuo.

De Solone & Venere.

Palladis adflatu patriæ cum conderet olim
Jura Solon, illi candida Cypris ait:
Quid sequeris demens plena hæc monumenta laboris?
Cur placidum numen non colis ipse meum?
Forte piget coluisse Cyprin? Tritonia nobis
Est longe inferior, judice vel Paride.
Huic senior: Phrygio si mens non læva fuisset,
Non esset flammis Troja cremata tuis.
Tu vero ne quæso iterum me judice certes;
Nam tibi non cedent aurea poma Venus.
Me juvat iste labor, vera hæc parit otia sudor:
Otia sed flammas, quæ facis ipsa, ferunt.

Ad Petrum Bembum.

Thuſca tuo debes Petrarchæ, Muſa, parenti
Multum, Bembeæ ſed magis una lyræ.
Namque is te genuit: Bembus revocavit ab Orco.
Illud, mortale eſt; hoc, reor eſſe Dei.

De D. Hercule Eſtenſe II.

Vidit ut Alciden cœlo Saturnia ab alto,
Geſtantem forti regia ſceptra manu;
Immemor irarum dixit; pulcherrime rerum,
Eſſe tibi poterat quam bene Juno parens!

Ad Dianam Areoſtam.

Ore refers veram, caſtiſſima Cynthia, Phœben,
Fronte, decore, comis, nomine, & ingenio.
Hoc ſolum differs, quod figit Delia cervos:
At tu luminibus, ſæva puella, viros.

Ad eandem.

Jactat tela, faces, & retia tendit ubique
Delia; quo vertis lumina, ſævus Amor?
Et quicumque ſemel claros conſpexit ocellos,
Figitur, ardet, amat, captus amore perit.
Infelix igitur poſtquam tua lumina vidi,
Hei miſero, patior retia, tela, faces.

De eadem, ad Herc. Eſtenſem.

Quid pendent lychni, Alcide, laquearibus aureis?
An forte ut noctis nubila luce fugent?
Nubila luce fugat, mediaque in nocte niteſcit
Delia; ſint procul hi; nam ſatis ipſa nitet.

Ad Turcum de Carolo Imperat.

Quid frustra cogis molles ad bella phalanges,
 Si Caroli audito nomine, Turce, fugis?

De D. Hercule Esten.

Cum meus Alcides inter thoracas ahenos
 Arderet, vibrans fortia tela manu,
Hunc spectans Cypris cœlo delapsa per auras,
 Venit in amplexus, Marte negante, Ducis.
Tunc gemuit Mavors: & quid mihi numina prosunt,
 Si nunc mortali lumine vincor? ait.

De Diana Areosta.

Vidit Amor Phœben; visâ cecidere sagittæ:
 Ipsa illas sumpsit, pro pueroque ferit.

Tumulus Annæ Bereguardæ.

Cur flent hic Charites? cur hic flet aurea Cypris?
 An fato est hominum fas lacrimare Deas?
Non flent Divæ hominem; sociæ sed justa ministrant:
 Anna etenim terris, Gratia, Cypris erat.

De Amore & Areostâ.

Sumpserat arma Puer Veneris, quo pectora Phœbes
 Ureret igne sacro frigidiora nive.
Ut vero hunc vidit sinuantem cornibus arcum,
 Flammiferis oculis trux petit ipsa Deum:
Quid nos ut ferias, dixit, tua tela fatigas?
 Nunc age, nunc nostras experiare faces.
Et dicto citius oculis sic ussit Amorem,
 Cesserit ut Phœbæ spicula sæva puer.
Illa triumphales deprompsit læta sagittas,
 Urit & hinc homines, urit & inde Deos.

Artusi canis tumulus.

Cerberus est sedis custos Plutonis opacæ;
Possidet Icarius lucida regna canis.
At si virtuti tradantur præmia digna,
Artuso danda est, illa vel illa domus.
Namque is dum vixit, superavit grandibus ausis
Facta canis Stigii, vel canis Erigones.

Ad Dianam Areostam.

Pectora cur flammâ flagrent, cur frigida fiant
Sæpe gelu, quæris, sæva puella, mihi.
Non scis, quod claros in me cum vertis ocellos,
Oraque inhumanâ virgine digna Deâ,
Urit crudeles misero mihi flamma medullas,
Nec requies vitæ tunc datur ulla meæ?
Quodque ego si specto quanta est reverentia famæ
Juncta tibi, in mediis ignibus ossa rigent.
Sic per te uruntur, per te sic pectora torpent;
Unaque tu glacies, ignis & una mihi es.

De suo Amore.

Exuror glacie in mediâ, dumque uror, in igne
Algeo; cur patiar hæc mala quæris? amo.

De Statuâ Veneris.

Sic similem Veneri Venerem cœlavit Julus,
Ut Mars non lapidem, sed putet esse Cyprim.
Ut vero hic statuam cupidus complectitur, inquit
Aut Venus in lapide est, aut riget ipsa Venus.

Tumulus Jo: Manardi.

Non hæc quam spectas claudit brevis urna Manardum
Claudere tam magnum nam brevis urna nequit,
Est ipsi tumulus, quidquid Sol lumine lustrat,
Et quidquid magnus proluit Oceanus.

De D. Alfonso Esten.

Alfonso exstincto Mors secum læta: quid, inquit,
Hoc potuit majus sternere dextra mea?
Hoc cæso, cecidit Mavors, hoc, bellica Pallas,
Hoc, decoris toto quidquid in orbe fuit.

Ad Flavium Antonium.

Fortunæ nimium, Flavi, ne crede secundæ;
Sed mage quo blanda est, hoc graviora time.
Nam modo quos placida extulerat, nunc deprimit atrox,
Et firma in solâ est mobilitate Dea.
En, Xerxes, Crœsusque, astris felicibus usi,
Mox tristes dominæ succubuere rotæ.
Et Priamus sævi urebant cum Priamon ignes,
Indiguit flammis ad sua busta miser.
Crede mihi, ex tenui pendent mortalia filo;
Et celeri fugiunt gaudia nostra pede.

De Julo sculptore.

Si posset saxis animam conjungere Julus,
Arte ejus possent marmora dura loqui.

Ad D. Herculem Esten. II.

Magna canant quamvis de te, Dux inclite, vates,
Nemo tuis meritis versibus æqua facit.
Et quamvis cupiant quamplurima fingere cantu,
Tu quoque, Dux, fictis maxime major eris.
Namque ut nulla valent lucem addere lumina Soli,
Sic tua carminibus crescere fama nequit.
Ergo licet crescant vates, & carmina, nullus
De te unquam mendax esse poëta potest.

Ad eundem.

Non quod me Phœbus super ardua culmina Cynthi
Duxerit, ad sacras aut Heliconis aquas,

Hæc pango, Alcide, tibi quæ modo carmina mitto:
Adflatu veniunt numinis ista tui.
Namque ego te spectans, divinos protinus ignes
Haurio, & invadit pectora nostra furor.
Musæ aliis adsint, adsitque vocatus Apollo,
Mi faveas; solus tu mihi numen eris.

De se & Diana ad auras.

Auræ, quæ legitis quos mitto e pectore questus,
Quosque hilari fundit Delia voce sonos:
Aut illuc rapidæ nostras deferte querelas,
Aut huc, quod spirat Cynthia ab ore melos.
Sic illa, aut nostris mitescet flexa querelis,
Voce ejus linquet vel mea corda dolor.
Sic vobis Boreas nigris non obstrepat alis,
Agnaque sic vobis candida sæpè cadat.

In Lycum.

Narcissus liquidis dum se spectabat in undis.
Ipse sui (hei misero) victus amore perit.
Nunc tua forte tibi si occurrat turpis imago,
Infelix, odio mox moriare tui.

Deliæ Damianæ tumulus.

Quæ Venerem formâ referebas, arte Minervam,
Ingenio Phœben, hic Damiana jaces.
Quid sperem in terris firmum, si munera tanta,
Totque animi dotes Parca inimica tulit?

Balthasaris Bardelli tumulus.

Balthasar hic jaceo, primo quem flore juventæ
Decerpsit rapidâ Mors inimica manu.
Si spectes annos, juvenem me fata tulerunt,
Si ingenium, dices me periisse senem.

In Archemorum.

Fortunam Archemorus petulanti voce lacessit,
Munera quod meritis non ferat æqua suis.
Huic Dea; pro meritis dedero si munera digna,
Iro pauperior jure eris, Archemore.

De Georg. Loxano & Catharina Aquila conjug.

Tectus olorinis plumis Pater ipse Deorum
Venit in amplexus, Læda beata, tuos
Nunc Aquilæ (mirum) ficta sub imagine Juno,
Loxani in gremio fœdere juncta cubat.
Tyndaridas Læda enixa est, duo lumina Divûm:
Nil mirum, ediderit si quoque Juno Deos.

Ad Lilium Gregorium Gyraldum.

Implumem quod me niveis subveneris alis,
Et tua dejectum Musa levarit humo;
Hæc tibi do, Lili, nobis non debita, serta,
Istaque honoratis munera digna comis.
Tu modo quem rapidis fers alta ad sidera pennis,
Ne linquas, ne te deficiente cadam.

Ad D. Renatam Esten.

Dives opum Juno, prudens Tritonia Pallas,
Delia casta, nitet pulchra decore Venus.
Tu dives, prudens, tu casta & pulchra, Renata, es:
Te minor est Phœbe, Juno, Minerva, Venus.

Ad Cœlium Calcagninum.

Ut Sol cum toto radios diffundit olympo,
Sidera fulgenti lumine cuncta fugat.
Sic Cœli promit sese cum dædala Musa,
Carminibusque novum spargit in orbe jubar,

So-

Sola micat, cunctosque premit, qui luce coruscâ,
Flagrabant vates, lampadis igne suæ.

De Venere & Areostâ.

Vidit ut alma Venus radianti lumine Phœben,
Cœlestes cunctas exuperasse Deas:
Non ego vincar, ait; perfusaque nectaris imbre,
Divum exeruit conspicienda jubar.
Sed postquam exprompsit fulgentia lumina Phœbe:
Cedo, inquit; Venerem nil juvat esse Deam.
Hanc si vidisset Phryx olim in collibus Idæ,
Tunc mihi, tunc poterat dicere: cede Venus.

Ad Lesbiam.

Si tot me jaculis figis, totque ignibus uris,
Nomine vix solo, Lesbia, nota mihi;
Quos ignes patiar, quæ spicula, Lesbia, si in me
Convertas oculos, sidera clara, tuos?
Ignis ero totus, totus comburar, egoque
Qui modo vir fueram, pulvis & aura levis.

De eadem.

Sparserat auratos crines, mea Lesbia ventis,
Sparserat & nitidum lumine in Orbe jubar.
Cum Sol hanc spectans, radios contraxit, & inquit;
Cedant luminibus lumina nostra tuis.
Hactenus humanos vicisti, Lesbia, vultus:
Nunc gaude, cedunt numina sacra tibi.

De cujusdam amoribus.

Aurea te quondam Cypris, nunc tristis adurit
Vesbia, Tisiphone fœdior, & gravior:
Quæ matre Eumenide, & Stygio generata parente,
Imo ignes in te de Phlegethonte cussit.
Si face te quondam sæva ussit pulchra Dione;
Quam gravis hæc misero flamma futura tibi est?

In Eudolemum.

Presserat Eudolemus tollentem colla chelydrum,
Cum sæve hic fixit dentibus Eudolemum.
Sed quæ illi serpens properabat dente venena,
Sanguine gustato sensit, & interiit.
Nec mirum, Eudolemi periit si sanguinis haustu;
Corpore nam toto nil nisi virus habet.

In Vesbiam.

Tres habuit Furias quondam: sed Vesbia manes
Ut petiit, Furias quattuor Orcus habet.

De Amore.

Quid mirum exultet si sævis, Lygdame, flammis,
Si fletu gaudet nec minus acer Amor?
Mulciber est illi genitor, flammâ altus, & igne:
Hunc peperit medio nata Ericina mari.
Ergo ille hinc lacrimas ciet, illinc pectora adurit,
Cumque undis flammas, cum face miscet aquas,
Sic versat lacrimas oculis, sic uritur igne
Pectore sub medio, Lygdame, quisquis amat.

Ad Lesbiam.

Audit Sirenas, qui te audit dulce canentem;
Et qui te cernit, Gorgonis ora videt.
Hinc riget alta silex; subit inde pericula ponti,
Et gemina per te, Lesbia, morte perit.

Lucretia Romanâ.

Candida fama mihi cum vitâ carior esset,
Sanguine servavi damna pudicitiæ.
Roma tamen nostra fuerit cum libera morte,
Sic me pro patriâ procubuisse juvat.

HA-

HADRIANII S. R. E. CARD.

S. CHRISOGONI CORNETANI.

VENATIO.

EJa ſurgite, nunquid excitavit
Dudum rauci ſono Diana cornu
Actutum properate, jam parata eſt,
Et ſecum Aſcanius ſuus paratur.
Venatoribus hac die eſt eundum,
Qua Salaria proſpicit lacunas,
Claras ſulphure Tiburis ſuperbi.
His dictis juvenum ruunt manipli
De conclavibus omnibus frequentes.
Hic venabula, cuſpides ahenas,
Ærata, validaſque fert bipennes.
Ille haſtilia, ferreas ſecures,
Cruda ſpicula Martis univerſi.
Deducunt alii canum phalanges,
Latrantes abeunt ſimul moloſſi,
Mox indaginis unicæ ſegaces.
Tollunt retia rara muliones.
Procedit Dea proſequente magna
Caterva, clamydem recincta pictam,
Ventilantibus aureis capillis,
Suras purpurei tegunt cothurni,
Aurata ex humero ſonat pharetra.
Jungit Aſcánius ſuas cohortes,
Solertiſſimus unus inter omnes.
Sublimes Lybicis equis vehuntur.

Aurora interea thorum relinquens,
Quadrigis roseis diem vehebat.
Ventum est ad juga, deviosque saltus,
Convallis quibus obsidetur ingens.
Præterlabitur hanc, secatque rivus,
Rauco murmure, levibus salebris;
Limo sordidus hinc, & inde ripas
Multa tectus harundine, & palustri
Junco, nec procul albicat salictum
Dextra qua videt Herculis popellum,
Clivi sylva latus tenet sinistri,
Floret perpetuo, viretque juxta
Vasta planicies feracis agri.
Ut signum Ascanius dedit repente
Sortiti juvenes vices laborum,
Servat quisque sui locum negoci,
Hi vallant aditus, nemusque cogunt:
Hi per invia lustra mussitantes
Vestigare feras docent catello,
Extendunt alii plagas dolosas,
Disponunt alii feros molossos.
Hic sub ilice, & ille sub vetusta
Quercu sternitur, hunc tegit supinum
Gravis juniperi virentis umbra.
Densa sub platano, & comis opaca,
Quæ de colle levi tumore surgit,
Diva, & Ascanius simul recumbunt,
Omnes soliciti videre, quæ nam
Ex tanto veniat labore præda.
Ecce protinus horridus, feroxque
Aper spumeus ore, dente frendens,
Volvens trux oculos modo huc, modo illuc,
Dorso horrentibus, hispidisque setis,
Callosa cute caute duriore,
Excitus canibus per antra fertur
Præceps, vulnificis utrinque rostris,
Stipatus grege mordicus petentum
Aures, & latus omne lancinantium.

Accurrit Dea, nec globus sinebat
Quicquam præter apri videre rictum,
De prompsit pharetra illico sagittam,
Lunavitque genu potenter arcum,
Et jacit. Volat illa, qua videri
Rictus vix poterat, secansque hiatus
Per præcordia labitur. Quis unquam
Vati crederet? ultimos recessus
Caudæ transabiit, solumque fixit.
Procumbit quadrupes humi volutus,
Tendens ilia, calcibusque frustra
Alternis vacuas lacessit auras:
Flumen sanguinis undat ex baratro
Vasti gutturis, hispidaque cauda.

Dum spectant stupidi, feræque magnos
Artus, grandia, & aspera extimescunt
Ossa, & ingluviem capacis alvi,
Umbrosi nemoris fugatus antro
Cervus, cassibus expeditus ingens
Celsus cornibus arduus ruebat,
Septus pulverea canum corona
Saltu transilit unico paludem,
Ripaque ulteriore adhuc veretur
Vertens arboram subinde frontem.
Dum certant properi canes natare,
Summis naribus, & reflant hiantes,
Volans Ascanius levi veredo
Præcatus Triviæ perenne numen
Invadit jaculo, diuque librans
Jecit eminus, hæsit impeditum
Ferrum cornibus, ac sola reflexa
Nequicquam ante oculos pependit hasta,
Fremens Ascanius rapit, rotatque
Ensem fulmineum, absciditque ab armis
Cum cervice caput, micat per herbam
Hic corpus, caput hic, rubet cruore
Intersusa palus, ruunt repente
Venantes querula procacitate,

Stra-

Strataque obſtupuere mole cervi,
Ridens Delia; quid ſtupetis? inquit:
Noſter Aſcanius minora neſcit,
Clamor intera tumultuantum
Circum retia vertit ora turbæ.
Captam terribilem hiſtricem fremebant,
Quæ roſtrum, atque pedes plagis ligata,
Spinis miſſilibus canes, viroſque
Arcebat procul, & fugabat omnes.
Venator ſibi quiſque conſulebat.
Multi ſub clypeo arborum latebant,
Multos obiice texerat crepido,
Poſt carecta canes inane latrant.
Denſant ſpicula mutua, & viciſſim
Bellantum furit incruentus ardor.
Nam ſpinæ nequeunt ferire tectos,
Et tecti nequeunt feram ferire,
Tanta duritie cutis rigebat,
Crebris miſſilibus petita, nullis
Interpuncta notis. Erat Sicamber
Forte nam celebri ſodalitate,
Audax prœlia tanta qui cieret,
Libs cognomine, machinæ repertor
Mirandæ, horrificæ, minacis, atræ:
Qualem nec Steropes, nec ipſe fertur
Pater Lemnius inferi cavernis
Informaſſe Jovi, nec ulla in orbe
Per tot ſæcula cogitavit ætas,
Nam truncum teretem, æneum, cavumque
Nitro, ſulfure, pulvere, & ſaligni
Carbonis replet uſque ad umbilicum,
Includitque pilam ex liquente plumbo
Superne, tenue oppido foramen
Spirat, hinc jacit igneam favillam.
Hiſtrix continuo forata fumat.
Non ſic fulminis impetus triſulci,
Nec falarica ſic rotata fertur,
Sed nec ſic Scythico ſagitta nervo,

Nec

Nec fundis Balearibus lapillus.
Mox tanto intonuit fragore cœlum,
Et tanto ingemuit tremore tellus,
Ut quidquid caveis latebat usquam
Ferarum omne genus, feri leones,
Auriti lepores, lupi voraces,
Et damæ timidi, volatilesque:
Cervi, & capreoli leves, fugacesque,
Apri Setigeri, dolisque vulpes
Insignes, ruerent metu per agros.
Vasta ut planitie nihil videres
Usquam præterea; latent sub illis
Arbusta omnia, & omnis herba prorsus.
Canes interea, modo has, modo illas
Passim cædere, nec locus cadenti est.
Denso in agmine stant, feruntque morsus
Immotæ, superambulant molossi
Strage incredibili usque sævientes.
Sævitum nimis est, Diana clamat,
Quo tandem ruitis? redite in orbem,
Palantes, neque enim expedit ferarum
Omne funditus interire nomen.
Sat nostro Ascanio datum, nec ultra
Modestissimus omnium rogaret.
Cornu personat aureo, reducens
Triumphalia castra, mox recensent
Plenum sanguinis agmen interemptum,
Nec tot millia computare possunt.
Implent esseda, convehunt quadrigis,
Pars gestant humeris, solove raptant,
Hi sub ponderibus gemunt iniquis.
Fervet mulio, corbuloque fervet.
Rus est non procul hinc penes sacellum
Desertæ Cereris loco remoto.
Huc armenta, greges, canum labores,
Et vastas nemorum ferunt ruinas.
Hanc cuncti properant tenere metam,
Hîc tandem reduces simul quiescunt,

Ruri ſubditus hortulus virebat,
Qualis Corycium ſenem bearet,
Et qualem Heſperides velint ſorores.
Hinc inter violas, thymum, liguſtrum,
Narciſſos, hyacinthinoſque flores,
Fons ſcatens vitreis aquis ſuſurrat,
Hunc pomaria tam beata cingunt,
Ver ut perpetuum colant, & uſque
Argutis avibus canora vernent.
Regis Alcinoi fuiſſe credas
Patens area propter ima fontis
Labra tenditur, hanc tegunt corymbis
Pallentes hederæ, & roſas acanthi
Flexo vimine textiles obumbrant,
Lentæ lilia ſubligant geniſtæ.
  Sub his floribus apparata menſa eſt,
Inſtratuſque thorus tapete picto,
Et Semiramia manu figuris
Diſtincto variis, ſuper tapetum
Albet mappula delicatioris
Villi, barbaricis notata punctis.
  De menſis abacus nitens acernis,
Pandit vaſcula Mentoris vetuſta,
Priſcorumque toreumata aulicorum.
  Ætate, & facie pares miniſtri,
Nympharum Triviæ chorum æmulantes,
Expectant thalamo beatiore
Divam, & Aſcanium labore feſſos.
Pars ſacris adolet focis penates.
Et jam ſol medium ſecabat axem
Flammis omnipotentibus coruſcans.
Tandem numine prodeunt ſecundo.
Felici omine, quidquid eſt ferarum
Magno Pontifici dicant Julo,
Crines ſutilibus roſis coronant.
Unguentis Megalenſibus madentes.
Cuſtodit ſoleas puer relictas.
Sponda ſe mediam locat Diana.

Gem-

Gemmis ſplendidulis decora virgo,
Poſt multo Aſcanius coruſcus oſtro.
Flexo poplite cernuus miniſter
Dat ſummis digitis aquas odoras,
Mox mantilia Nympha ſubminiſtrat.
  Apponunt alii novas figuras
Extructæ Cereris, Dryas catillum
Fragrantem ambroſia gerit Dianæ.
Poſt hanc ſiderei ferunt ephebi
Lances ordine: Phaſiana prima eſt,
Stat Junonis avis ſuperba cauda,
Phœnicopterus eminente lingua,
Et criſta Meleagrides rubenti,
Et pluma nivei patent olores.
Hinc albi jecur anſeris tumebat,
Hinc capo Cybele Deæ dicatus.
Perdices ſtrue maxima ferebant,
Et pulpæ melioris attagenes.
At ſturnos inopes, grues, palumbes,
Cunctas cortis aves cocis relinquunt,
Subvectant alii ſalariorum
Quidquid ars potuit novare lauti.
Ac farcimina dant vetuſtiora,
Turget lactea ſuminis papilla,
Campano petaſone gloriantur,
Veſtino quoque caſeo intumeſcunt.
Non Lucanica, non tomacla deſunt;
Fracto ventre ſuis ſolo ex phaliſco.
Non deeſt oxygarum, offulæ, minutal,
Liba adorea, candidæque pultes,
Conchis, glandia, ſpondyli, botelli.
Nec muſtacea lixulæ Sabinæ,
Cerebella avium, ſalaxque bulbus,
Nec jecuſcula juſculis odora,
Nec deſunt patinæ omnium nepotum.
Exquiruntur & omnibus popinis
Pulmentaria veſca, quæ palatum
Irritare ſaporibus putentur.

Vincunt fercula cogitationem,
Nec stylus meus explicet, nec usquam
Major in pretio fuit culina.
Nusquam prandia sumptuosiora.
Triumphalia erant minora multo.
Nemo Pontificum dapes reponat;
Aut cœnis saliaribus laboret.
Ponunt mox alii maris rapinas.
Mullos Adriaci salis colonos,
Murænas Siculis aquis natantes,
Latum amplissima fert patella rhombum,
Bajana ostrea, murices, luposque,
Auratas, acipenseres. scarosque
Structoris manus erudita raptim.
Cultello dirimit, secatque parvo.
Dum cœnat, citharis comæculorum,
Et cantu vario, novoque plausu
Valles undique concavæ resultant.
Et jam prima epulas quies tenebat,
Cum cellarius eligit ministros,
Bacchi munera læta qui propinent.
Hæc est amphora nectaris beati,
Qua Latonia sola proluatur.
Trullam hanc Ascanio dedere Galli
Spumantem Bromio Parisiorum.
Misce his tu cyathis Dryas Falernum,
Tu cape has pateras boni Caleni,
Inger tu hos calicos Opimiani.
Vos Setina date his scyphis vetusta,
At vos Cæcuba fundite hoc triente,
Nomentum dedit hæc heri lagenam.
At surrentum hodie cadum hunc picatum,
Cupa hac conditur Albanus humor.
Privernatia congio hoc Sagunti.
Chium hoc urceolo sapit rotundo.
Vino hæc seriola optimo redundat.
Plena hæc aurea defruto metreta est:
Mulsum hæc cirnea dulcius recondit.

Tum

Tum bellaria largiora ponunt
Mensæ delicias Deum secundæ,
Electissima poma porriguntur.
Inter quæ melimela principatum
Malorum facile omnium obtinebant.
Post petitia parva, Manliana.
Tum spadonia Græcula, Appiana,
Lanata, orbiculata Septiana.
Dant pannucia, serica, & gemella,
Ad hæc crustumiis pyris abundant,
Succi plena tument Falerna cista,
Et longo pede Dolabelliana,
Pompejana placent favore Magni,
Et testacea de colore testæ.
Dant Voconia, laurea, & volema
Ampullacea prominente collo,
Nardina, & decumana grandiora.
Hæc tum nomina repperit vetustas,
Nunc sæclum insipiens novis ineptit.
Adduntur cariotides mariscis,
Et Cotonia coctanis recincta,
Et tuber Libycis madens pruinis,
Nux amygdala, pinea, atque juglans.
Laxant castaneæ suos echinos.
Picenas quoque porrigunt olivas,
Ollares etiam dabantur uvæ.
Ponunt frigore gratiora rapa.
Plura his & meliora, quæ silentur,
Redundantibus ingerit canistris
Miris munditiis secunda mensa.
Exempta procul esuritione,
Et mensis procul omnibus remotis,
Sic est post epulum locuta virgo:
Ascani ducis optimi propago,
Ingens purpurei decus senatus,
Vides ut jaceant in orbe cuncta,
Quæ mortalibus esse jam solebant
Vitæ præsidium laboriosæ,

Et quibus tenebris operta virtus
Paſſim calcibus improbis teratur.
Quid primum querar o diarve primum?
Cum ſuperſtitio Deos putaret
Id quod quemque ſuus movebat ardor,
Mundus artibus optimis ſcatebat.
Poſtquam de Solymis Deus peruſtis
Veræ relligionis imperator,
Noſtra numina vana diſſipavit,
Et totum pedibus ſubegit orbem,
Apportans pereuntibus ſalutem,
Jus, fas, veridicas tulitque leges,
Et mores docuit bonos, ſuoque
Culpas ſanguine omnium expiavit,
Ut clauſum ad ſuperos iter pateret,
Fit mutatio numinum repente.
Certatim properant, volantque cuncti,
Et cultus avidi novos adorant.
Falſi unum coluere. Sed quod ille
Ferre omnes voluit, tulere pauci,
Nec omnes capiunt, quod omnibus dat.
Ut perverſa hominum, malignaque eſt mens,
Verſa in ſegnitiem fides. & omnis
In quæſtum pietas; ſimul ſecuta
Miris illecebris placens voluptas.
Numquam deliciæ ſupiniores,
Numquam avaritiæ altior charybdis,
Quando ita ambitio negotiata eſt?
Quando nequius, inquinatiuſve
Peccatum? Patet Ilias malorum
Grandis, fons ſcelerum ſcaturientum,
Vel gentes penitiſſimas revisit
Quæ veſtro ſine numine inſoleſcunt,
Bacchanturque magis monente nullo.
Tu vero genus inclytum Senatûs,
Flamen ætheree Dialis aulæ,
Quo reſpublica tota gloriatur,
Cujus cardine ſuſtinetur orbis,

Ne mentis propriæ inquilinus erres,
Ab omni popularitate debes
Divinos animi avocare motus.
Nec plebecula quid misella latret,
Sed quam sit fragilis, caduca, fluxa,
Et quam lubrica vita cogitare,
Causas discere, & æstimare rerum,
Quidnam gigneris, unde quo feraris.
Spem longam reseces: vides in orbe
Nihil perpetuo tenore verti.
Si fortuna facit pecuniosum,
Nil remordeat esse liberalem.
Scis quantum deceat potentiorem,
Ut comi domus hospitalitate
Januis bipatentibus fatiscat.
Laus non ultima, displicere nulli,
Præstare ingenuum, facillimumque,
Verbis parcere contumeliosis,
Adversis fuerint. malisque rebus.
Servorum meminisse, qui fideles:
Novit Ascanius, quid ipsa dicam.
Nec casus memorabimus peractos,
Quis fratrem sine questibus revellat,
Ducem Insubria quem tremebat audax?
Quis siccis poterit nepotem ocellis
Regem Parthenopejum referre?
Ærumnas tibi quis peculiares
Monendo renovet? Satis superque
Deploravimus ista, dum ruebant.
Et nunc scis quibus erutus ruinis,
Et qui sis modo redditus memento.
Nec tam perdita, quam reperta cures,
Perfer qualiacunque; non pigebit
Tot pericula ferre, tot tulisse.
Possem pluribus admonere, & ultra
Quæ pœnæ maneant malos docere,
Et quæ præmia debeantur illis,
Qui non corporeo obruti sepulchro

Perstringunt animi igneum vigorem,
Nec terræ fodiunt datum talentum;
Nec tibi ista domi elegantiora
Nascerentut, & unicus Deorum
Vestris vatibus omnia explicasset.
Ad hæc Ascanius refert: Diana,
Silvarum, & nemorum patrona virgo,
Seu Proserpina noctibus relucens,
Seu Lucina, Hecate, vel alma Juno,
Dictynna, aut Trivia expetis vocari,
Te quæcunque meum levas laborem,
Semper pectore conditam tenebo.
Vesper interea exiens olympo,
Nocturnis comitantibus tenebris,
Mergensque Oceano caput ruebat.
Jamque in faucibus atrii ministri
Pæana ad litui sonum canentes,
Expectant in equis heros ituros,
Lucum Delia fertur in propinquum.
Densæ Oreades hinc, & hinc sequuntur,
Stipant Ascanium suæ cohortes.
Ardentes animis redire in urbem.

Iter JULII II. Pont. Max.

Augusti memoranda dies vicesima sexta
Pontificem magna Roma dimisit Julum,
Pæne omni patrum. & procerum comitante Senatu,
Formello pius excepit Jordanus, & uxor
Moribus, ingenio, formaque & nomine Felix.
Postera lux Nepete Antiquum, tum proxima Veios
Ostendit, mox per Cimini montemque lacumque
Tendimus insignem per balnea multa Viterbum.
Discordes bonus hic cives pacavit Julus,
Præbuit hinc celeber mons dulcia vina Faliscus,
Detinuitque diem. Veterem post vidimus urbem
Excelsæ rupi impositam sine mœnibus ullis.
Hic templum genitrici ingens, cui sculpta vetusto
Mar-

Marmore stat facies, spirantque in marmore vultus.
Carnajola procul, pons hinc sex milia distans,
Cyaneas transmittit aquas, sparsasque paludes
Per sata, per silvas: ah quantum absumitur agri!
Plebis ad indomitæ Castrum pervenimus, inde
Impositæ apparent Perusinis collibus arces,
Castellana lacus Trasimenus mœnia cingit:
Hunc ratibus læti tranavimus, Insula lætos
Accipit hospitio, Pasianum allabimur, unde
Prospicimus campos Romanis ossibus albos,
Servat adhuc nomen locus, & de sanguine fuso,
Sanguineos campos Perusini nomine dicunt.
Hic ubi commisso fallax certamine Pœnus
Flaminiumque ducem, Mavortiaque arma subegit,
Per colles, ripamque lacus, Corclana subimus
Mœnia, oliviferis tumulis lætissima rura.
Vicina placuit patribus recubare sub ulmo.
Hic simul occurrunt equitum peditumque catervæ
Urbinate Duce, illo nec melior fuit alter,
Nec pietate prior, sed nec præstantior armis;
Tot dotes juveni invidit lapidosa podagra.
His circumsepti legionibus, ordine longo
Ingredimur Perusinam urbem, civilibus actam,
Eversamque odiis: hanc tu pater optime Juli,
In placida tandem compostam pace relinquis.
Non procul oppidulum est, Fractam cognomine dicunt:
Amnis obit muros cœno, & graveolentibus undis.
Huc ubi delati, montes Eugubia tecta,
Hærentemque jugis urbem superavimus; inde
Perpetuos colles Caciani villula findit,
Villula munifico non aspernanda popello.
Hos prætervecti tumulos plebecula callem
Quæ colit angustum, Cagli cognomine dicunt,
Occurrit facie obducta; nam tabida fertur
Infecisse lues, celeri pede fugimus omnes.
Hinc ad aquas Lanias perreximus, unde Metaurus
Confusus Gauno, Foruli spectacula præbet.
Est operæ pretium versu describere mirum.

Naturæ ludentis opus, ſtant vertice ad auras
Hinc atque hinc montes prærupti, flumine ſubter
Secretis labente viis, ut fumus ab imis
Surgat aquis, lateque fluant aſpergine cautes.
Rupis ad extremum læva venientis ab urbe
Porrigitur molis dorſum, qua ſemita nulla,
Nulli aditus quondam, nec erat via pervia cuiquam;
Cæſar inaceſſam patefecit Titus, & illam
Quantum acie poſſunt oculi ſervare cavavit,
Inſcripſitque fores; & adhuc veſtigia utrumque
Limen habet, ſcabro, & fragili vix cognita topho.
Sunt ſoliti hac camera multi latitare latrones,
Exceptoſque viatores demergere in amnem.
Repſimus e crypta, atque anguſta fauce viritim
In campos Ubalde, tuos, hinc imus in urbem,
Urbinum dixere patres tua regia tecta:
Ardua quæ ſaxo colitur Macerata vetuſto
Hinc petitur, vicoque brevi ſuccedimus, inde
Scandimus excelſa nimboſa cacumina pennas,
Dive Marine tuas, tumidi hic ſubſidere montes
Incipiunt, ſuperoque mari conſternere litus
Planitiem ingentem terris, opibuſque ſuperbam
Gallia qua fluvio Rubicone comata pateſcit.
Italiæ hic finis quondam nunc omnia miſcet
Effera barbaries, antiquaque nomina vertit.
Savignana vocant pinguiſſima rura coloni,
Hunc madidi, multoque luto, feſſique venimus.
Progreſſi meliore via, cœlo graviore
Cæſenam intramus, culices avertere ſomnos
Omnibus; & variis vultus maculare figuris,
Pompilii, Livique forum divertere cogunt:
Terra ferax populuſque ferox, ac cæde frequenti
Terribilis, ſemperque furens civilibus armis.
Ut ter quinque dies abierunt, Livia tecta
Linquimus, atque iterum montes jubet ire per altos
Julius, & Caſtri ad lævam juga viſere Cari.
Imus præcipites per mille pericula rerum,
Turrigeraſque arces, rupes, & inhoſpita ſaxa.

Appenninicolæ accurrunt, visoque senatu,
Reptantes genibus per humum nova numina adorant.
Modiliana jacet vasto depressa barathro,
Accola torrenti, truncis, salebrisque fragoso.
Hanc terram pedibus celso de monte ruentes
Prendimus & placido curamus corpora somno.
Postera lux alios scopulos, cœloque propinquas
Nubigenasque Alpes aperit; Marradia vulgus
Saxa vocat, summum excipiunt magalia Julum.
Inde Palatiolum statio opportuna labori,
Hospitio lassos refovet, tum fluminis arcta
Provehimur ripa tenui discrimine euntes.
Est locus extremis in montibus asper Etruscis,
Hunc dictum perhibent a tussi Tussinianum
Huc quoque delati montes devovimus omnes.
Orta dies latos campos, & amœna vireta,
Cornelique forum, feliciaque arva reducit.
Hic meus ortus habet sedes Papiensis avitas
Nobilis, & clarum genus alto a sanguine ducit.
Constitit hic pastor, dum prospicit omnia, Julus:
Et belli pacisque simul dum pondera librat,
Consilioque patrum rerum moderatur habenas;
Appulit interea Gallorum exercitus ingens,
Conseruitque manum, & muros circunstetit armis
Felsina docta tuos, volat impiger actus ab urbe
Nuntius, & Serram exactam pulsumque tyrannum
Excussumque jugum patriæ cervicibus affert,
Pontificem implorat fessis succurrere rebus.
Hoc oratores certatim ex urbe frequentes,
Exposcunt, patriæque patrem properare precantur,
Thura adolet Julus templis, sacrisque peractis
Tendit iter, gressum celerans, urbique propinquat.
Urbs antiqua ingens Etruscis regia quondam
Felsina, tum Boiis fato irrumpentibus impar
Accepisse novum fertur Bojonia nomen.
Verum ubi sunt Boi Romano milite pulsi,
Barbariem excussit, cœpitque Bononia dici.
Subditur ad Boream radicibus Appennini;

Pla-

Planitie acclivi, procumbens solis ad ortus,
Inter aquas Sapinæ, & Rheni quarum utraque in urbem
Ducta vehit, revehitque rates, pistrinaque versat,
Æmiliæ decus, & belli, pacisque patrona,
Dives opum variarum, & nullius indiga cultus,
Musarum domus, atque omnis nutricula juris.
Jamque dies aderat, mediumque vehebat ad axem
Omnia conspiciens Phœbeæ lampadis astrum;
Obsedere patres majoris limina portæ,
Qua modo Felsinea pastor requieverat æde;
Porticibusque amplis expectant numen Juli.
Tandem de thalamo sella sublimis eburna,
Gestatusque hominum scapulis, longo agmine prodit;
Cui trabea ex auro, gemmis, ostroque coruscat,
Tempora conchili fulgent redimita tiara:
Progreditur procerum legio tua, Felsina, proles:
Ærataeque ruunt acies, clypeataque circum
Agmina funduntur, placidos dat Curia gressus
Æquati spatiis omnes, & vestibus omnes;
Purpureisque Patres tecti capita alta galeris
Obvia quæque oculis perstringunt numinis instar:
Visendi studio effusi juvenesque senesque,
Et matres, puerique simul tecta omnia complent:
Culminibusque astant, portisque & turribus hærent.
Ut vero ad divi venit penetralia Petri
Julius, aspersitque patres in limine primo
Rore levi, geminis manibus veneratus ad aras
Effigies sacras, Grates quas possumus, inquit,
Accipe, Christe Deus, nam quæ sat digna queamus
Munera, quas laudes humana voce referre?
Tu nos incolumes per tot discrimina vectos
Urbe hac Felsinea sine cæde, & sanguine donas.
Da pater omnipotens, rerumque æterna potestas
Sic superos penetrare aditus, verosque triumphos
Terreno involucro exutos, vitiisque subactis.
Hæc ubi supplicibus votis oravit Julus,
Quisque domum properat, factoque hic fine quiescit.

LAU-

LAURENTII JACOMINII TEBALDUCCII MALESPINÆ FLORENTINI.

*

Ad Antonium Gigantem.

QUis Superum tantum numen divinitus ori
Afflavit? sacer hic spiritus unde tibi?
O te felicem nimium, quem lumine vidit
Nascentem placido summus Apollo Deûm!
Exceptum gremio quem molli aluere foventes,
Pandentesque juga florea Pierides.
Virtutem cur ergo tuam ignotam esse vereris,
Abditam & in tenebris posse latere putas?
Si Diis tam carus, clarum si nomen in omnes
Oras extendit candida Musa tuum,
Mira scripta arte, & divino ornata lepore
Carmina, cur nobis despicienda times?
Cur quoque me invitas, atque in certamina cantu
Non æquis Diis, nec viribus ipse vocas?
Æquali cursu volitantem flamine cursum
Non valet heu premere cymbula litus amans.
Obstant fata mihi, nullo Fortuna labori
Aspirat, fautor nullus adestque Deus.
Lactavit mentem, falsa & delusit Apollo
Spe, nunc neglectus perfuga reiicior;
Ni ille tuis precibus, nimio es cui carus amore,
Adductus, mihi nunc adsit, opemque ferat.

DO-

DONATI JANNOCTII
FLORENTINI.

De Laurentio Medice Juniore.

DUm populis Tuscis spectacula læta pararet
  Laurus, Apollinei spes modo magna chori.
Pierides Geticis illum videre sub armis
  Cornipedem miris exagitare modis.
Quem colere has artes quia Martis amore putarunt,
  Implerunt querulis æthera carminibus.
Solatum accurrit mœstas Jove nata sorores,
  Nam nota huic tanti causa doloris erat:
Lacrimulas cohibere Deæ, non hæc movet arma
  Sævus, ait, Mavors, casta Minerva movet.
Convenit Aonium nectar bene Pallados armis,
  Ingenium quid, si stent procul arma, valet?
Hunc igitur juvenem Divæ celebrate frequentes,
  In quo Pieriis junximus arma modis.

BENVENUTI DE IMOLA.

In laudem clarissimi Poëtæ Dantis.

NEscio quo tenui sacrum modo carmine Dantem
Eloquar insignem studiis quem celsa per orbem
Explicat æterno memorandum nomine virtus:
Nam postquam patrios Florentia sæva penates
Linquere conspicuum jussit sine crimine Civem,
Fortuna quatiente stetit, sortemque superbam
Excutiens semper misero securus in orbe
Vixit, & innumeros toleravit mente labores.
Ipse hominum, rerumque Patrem qui cuncta gubernat
Imperio, & lati solus tenet aurea mundi
Lora manu, cui semper erit sine fine potestas,
Agnovit sine fine Deum. vitamque per omnem
Impiger angustiis operantia sidera terris,
Stelliferi secreta Poli, quibus Astra fruantur
Consiliis Cœlo noluit divinus ab alto.
Artibus ingenii redimitus acumine septem
Exhausit sacras Musarum e fontibus undas.
Hinc sacris animatus aquis quæ dura cadentes
Præmia dignoscant miseri, quibus ipsa salutem
Pœna ferat sceleris, quos gratia collocet altis
Sedibus, audaci cecinit sub tegmine cantu,
Scribere non possum viduas quot fletibus artes
Quotque novem Musas lacrimis subiere dolores
Cum rapuit mors sæva virum, sed fama superstes
Gentibus extinctum memorat populumque per omnem
Vivet, & æterno referetur laudibus ævo.

JOAN-

JOANNIS VINCENTII IMPERIALIS

JANUENSIS.

Ad Torquatum Tassum.

QUi Phrygium pietate Ducem, virtute superbum
Æaciden vicit, major utroque senex
Non Andinum illis, magnumque invidit Homerum,
Goffredus Tassi protulit hisce tubam.

De Jo: Baptista Marino.

Cum terris iterum Veneri dilectus Adonis
Carminibus vixit, docte Marine, tuis.
O lacrimis dignate meis, Cythereia dixit,
Serus, sed longe pulchrior ecce redis.

De seipso.

Ut Ligurum prima cessit Vincentius Urbe
Dignus Cecropio creditus exilio;
Attonitæ flerunt utroque in litore gentes
Insignem dextra, consilioque Ducem.
Ille Syracosiæ foliis indignus olivæ,
Virtuti cujus debita laurus erat.

De seipso.

Nulli certa domus. Te patria longius a se,
Impatiens tanti luminis ire jubet.

Sic

Sic mage ſcintillant, quo ſidera longius abſunt,
Clarus civis eras, clarior exul eris.

De ſeipſo.

Quid faciat Janus ſine te? ſua limina nollet
Linquere: te profugus vellet ab urbe ſequi.
Quo patriam, quo te ſpectet: non aptius unquam
Suſtinuit facies Janus habere duas.

In ſuam effigiem.

Sæviat immiti Fortuna proterva tumultu,
Axeque præcipiti me rota triſtis agat.
Exagitent odiis diri me nominis Auſtri,
Undaque per Syrtes invidioſa trahat.
Mœnia ſeu dulcis patriæ, chariqne Penates
Me teneant, alio ſeu mea fata ferant.
Mens immota manet, nixuſque moventur inanes
Non ſors, non odium, non mihi livor obeſt.

In Academicum ſuum ſtemma, quod eſt concava rupes contrariis ventorum afflata turbinibus.

Tunditis aërium rapido quid flamine Montem
Alpini Boreæ? quis novus ardor agit?
Creditis intrepidam certatim evellere Rupem?
Non nutat celſo vertice, ſed reboat.
Me ferias, livor, falſo me crimine latres,
Aſſiduo tundas verbere, lingua procax,
Inconcuſſus ero. Quid ſi mihi numina donent,
Ut charum Patriæ det ſonus iſte ſonum?

ANGELI JOANNINI

In Leonem vermiculati operis Iguvii in Gabrieliorum Suburbano repertum, cum nuper inter Venetos & Turcas bellum suscitatum est.

EST locus insignis fama; cui vertice summo
Tectus nimboso, & madido Apenninus amictu
Imminet; Iguvium nunc illum nomine dicunt.
Quem subter jacet apricis circumdata campis
Planicies bene culta, tibi gratissima tellus,
Alma Ceres, nec non tibi jucundissima, Bacche.
Namque Autumnus ibi gravidis tua colla racemis
Nectit, & apparet pomis fragrantibus arbor
Fertilis: hæcque legit Pomona, & tempora cingit.
Hic parte ex alia, quæ mœnia respicit urbis,
Templa, ferunt, veteres sublimibus alta columnis
Jam Triviæ sacrasse Deæ: nunc diruta passim
Apparent pictis circumvariata lapillis
Ornamenta operis tanti, artificumque labores.
Hic, dum Turca ferus, terræ, cœloque minatur
Contemptor fidei, pacisque, hominumque, Deumque,
Jactat & Adriacas gentes absumere ferro,
Effoditur signum, victores quod fore bello
Ostendit Venetos. Tunc læti ad sidera voces
Extollunt omnes; veniet Victoria læta,
Exclamant; lætis respondet vocibus Echo.
Ecce Leo jam victor adest, monstrantque Leonem,

Qui Pardum premit unguibus, & qui viscera dente
Jam jam dilacerat, jam jamque vorare videtur.
O Parde infelix, quæ te dementia cœpit,
Cum tibi conjunctum fraude irritare Leonem
Ausus es? en merito fraudis das improbe pœnas;
Atque alii exemplo hoc moniti haud injusta sequentur,
Et servare fidem, ac pacem non temnere discent.
At nunc victoris victrici fronde Leonis
Tempora cingantur, nunc ejus fortia facta
Nereides cantent, resonet nunc Adria circum
Litora, nunc omnes lætum Pæana canamus.

BENEDICTI JOVII

NOVOCOMENSIS.

Ad Franciscum Julium Calvum.

HÆc tenui calamo Jovius tibi, Calve poëta,
Dum vacat à curis, disticha composuit.

Vestibulum domus.

Prima salutatrix implebit turba clientum
Vestibulum, dominos dum sopor altus habet.

Janua.

Lucidus ecce dies; servi jam pandite postes:
Compulsor Jano Janua sacra Deo.

Atrium.

Atria (si pudor est) hospes ne excedere tentes?
Hæc tibi; sed dominis aula parata suis.

Culina.

Sit nitidus matrona coquus, famulæque recinctæ;
Ipsa dabit lautas uncta culina dapes.

Penarium.

Partibus immissis claudantur limina cellæ;
Hinc veniet pueris plena merenda tuis.

Cœnatio.

Sternite divitibus junctis aulæa tapetis:
Pauperis in cœnâ sella vetusta sat est.

Eadem.

Parcite convivæ totum sorbere Calenum:
Expectat socios crastina mensa novos.

Cubiculum.

Hic tibi delicias, dulcemque parato quietem:
Serpat in exuviis ne modo cura tuis.

Sacellum.

Flecte Deum precibus: cœlo spes una relicta est;
Quod tibi conducat, si petis, ille dabit.

Bibliotheca.

Ista beata tibi sola est quæ ducitur ætas;
Cum tot docta vides ora vetusta loqui.

Horreo.

Hic frumenta tibi solum condantur in annum:
Esuriem populo grande tulisse nefas.

Apotheca.

Rhœtica quid tandem facient? quid Massica, dives?
Si dabitur sociis nulla lagena tuis.

Hor-

Hortus.

Delicias hortus, varium præstabit & usum;
Hic tenues auras, hic quoque poma capis.

Hortus Urbanus.

Non cœnacula picta, non dietæ
Ridentem facient domum, sed hortus.

Carduus Sativus.

Tempore quo certo nascatur mascula proles;
Uxor cauta ferat; meque maritus edat.

Solisequa.

Vertor ad occasum, rursus convertor ad ortum;
Solis amo radios, an mihi sensus inest?

Buxus.

Perpetuus mihi fronde viror: sine munere truncum
Esse putas: & me sedula quærit apes.

Amygdalus.

Quæ tibi prima novo Calabris densissima campis
Flore viret, quondam Thressa puella fuit.

Cerasus.

Non colitur Latias qui me transvexit in oras,
Vitis at inventor dic mihi cur Deus est?

Mala Armeniaca.

Armenios fuimus quæ tantum nota per agros;
Nunc Italis & nos mensa secunda sumus.

Uvæ pensiles.

Istis vere novo cum totâ vescere brumâ;
Si tamen e viridi palmite sustuleris.

Defrutum.

Perpetuum servo qualem dedit uva saporem:
In condituris mella minoris eme.

Trisius Piscis.

Trisius ardenti mihi sit bene coctus olivo;
Da jecur, & lactes: cetera reddo tibi.

Anguilla.

Me colubram fortasse puta: sum piscis obesus;
Tostaque post troctam gloria prima feror.

Trocta.

Majorem varium troctam dixere vetusti;
Quam tibi præpinguem Larius ipse fovet.

Idem piscis.

Cur torrentinam? fluvidis quod solus in undis?
Cur trudam nullâ me ratione vocas?

Idem.

Qui troctam dixit; voluit signare voracem:
Piscivorax apte nomine trocta vocor.

Persicus piscis.

Eupylis exiguâ sum persicus ortus in undâ.
Meque peregrinum Larius inde tulit.

Tinca piscis.

Tinca vocor! quare? maculosum respice tergum:
Allia des lardum, dum coquor, atque piper.

Lucius Piscis.

Non me præda fugit, quia dentibus armor acutis,
Sum lupus ut referunt, sed mihi terga nitent.

Aqua

Aquo piscis.

Larios innumeros in gurgite pascit aquones;
Molle animal demptis vivere nescit aquis.

Natali Christiano.

Alpini sit costa bovis, sit salsa tenelli
Mala suis; festum cum celebrare paras.

Die sequenti.

At de Seplasiâ lux altera monstrat amicos
Qui tibi dant mulsum, cinnameasve dapes.

Kalendis Januarii.

Sic mihi fausta precor Jani fortuna Kalendis;
Donet & insertam secta placenta stipem.

Summa die Bacchanalium.

Ignibus accensis; cum vocibus æthera complet
Vulgus iners; populis tum caro supprimitur.

Vinum Volturenum.

Hibernos celebret Divos, & festa Decembris
De Volturrenâ quod tibi caute venit.

Vinum [illegible] & Varenense.

Hoc madeat Pomona mero, quod amœna Grianti
Rura ferunt; & quod clara Varena dedit.

Larius lauris & oleis redimitus.

Palladi si nescis; magnumque ab origine Phœbum
Hos coluisse locos; laurus, oliva docent.

Fons intumescens & residens apud Larium.

Inscie cur fontem dicat de nomine Plinî
Ducis, ab indigenis qui Pluviana vocor?

Quot Larii pisces, tot collium aviculæ.

Quot tibi pisciculos argentea lympha creavit,
Collibus apricis tot numerabis aves.

Passer solitarius in cavea.

Si salio tectis, & rura domestica cantu
Rumpo libens; scelus est claudere me caveis,

Idem.

Asperius vinclis nihil est, & carceris antro:
Solvite me miserum, solvite, dulce canam.

Hirundo.

Hospitis humani tectum mihi fecit amicum
Cantus; ut hic edam pignora, nec capiar.

Coturnix.

Cur fuit hæc volucris mensis ingrata priorum,
Quæ modo supremis sola petita viris?

Noctua ludens.

Luditis ô volucres? illudimur; absit ut istâ
Ludatis scenâ, seria res agitur.

Varia ruris & urbis officia.

Rure potes calamis, & inempta vivere præda;
Urbibus in mediis vivitur ingenio.

Medicus.

Balsama, thura, crocum valeant: nil dulcius illis,
Quas ampulla dedit, quas mihi trulla dapes.

In malum leguleum.

Quid legum captas dictis invertere sensum?
Non est hoc studium, pessime, sed stadium.

In malum causidicum.

Te clamante forum reboat, subsellia nutant:
Prætorem obtundis, garrule causidice.

In tabellionem.

Te celeri decet esse manu, sed parce lituris,
Ignores proprias ne quoque forte notas.

In ludi Magistrum.

Quid te flagra juvant, ludi venerande magister?
Parce precor pueris, turba severa, tuis.

Disciplina.

Artibus ingenuis quisquis mansuescere nescit,
Hic puer indocili sævior est tygride.

Ocium.

Ocia consumpunt animos, pectusque virile:
Tristius ignavâ nil tibi segnicie.

Abstinentia.

Qui studet ingenio victurum extendere nomen,
Huic opus est cunctis parcere deliciis.

Delicia.

Quæ causa ad Medos Babylonis transtulit arces?
Tonosconcoleros deliciosus erat.

Industria.

Perculit hæc acies numerosi militis una:
Venit & hinc parvo gloria magna loco.

Labor.

Optima quæque vides? longo sunt parta labore:
Hic peperit Graiam, Romuleumque decus.

Fin

Furor.

Ne furuisse velis: sed nec decet iste poëtas:
Insanit, si quis forte poëta, furit.

Cura.

Insomnes agit hæc noctes, quatit ista medullas;
Ut vivas, miseros excute corde metus.

Quies.

Dulce bonum Superis, vera est, & amica voluptas:
Ingenii fomes semper amanda quies.

Amor.

Dic mihi quid sit amor? pessum quo cuncta feruntur,
Pondus amor meus est: nil nisi pondus amor.

Nuptiæ.

Connubium commendat amor, non fœda libido:
Hic tibi blanditiæ, fornice nequitiæ.

Aurum.

Hoc poteris lætam vel tristis ducere vitam:
Hoc nihil ægroto gratius est animo.

Nummi.

Fulgure perstringunt oculos Hyperionis axes,
Excæcat radiis sacra moneta suis.

Judicium.

Sæpius ista virum sensus dejecit ab arce:
Hanc suades? fieri nec Cicerone potest.

Conscientia.

Judicis examen fugerunt sæpe scelesti:
Defuit at numquam pectore judicium.

Fer-

Peccatum.

Peccatum est quidquid prohibent æquissima jura:
Quodque jubent fieri, ni quoque perficias.

Impunitas.

Quas tulerint leges frangunt impune Tyranni;
Impunis populus, sub duce ridiculo.

Punitio.

Corripiet populum regnator vindice sceptro:
Quem nequeunt homines, puniet ira Jovis.

Nota.

Quæ fuit inventum Marci Ciceronis? & unde
Desiit antiquis formula prisca notis?

Numeri perfecti.

Est Telios citra denos Senarius unus;
Intra centenum quis numerus numerum?

VI. & VII. diversa ratione perfecti.

Perfecti numeri sunt sex, septemque: diserta
Hæc ratio; haud similis quod tibi causa parit.

Tonus Musicus.

Non potes in geminas æque discindere partes,
Ipsum quod vocitat turba canora tonum.

Gnomon.

Quadratum paribus fas est producere fulcis,
Certa monet ratio gnomona si addideris.

Eccentrici & epicycli.

Eccentrum nihil esse polo sapientia fundet:
Sideribusque vagis haud epicyclus erit.

He-

Horoscopus.

Quæ fortuna viris Horoscopus ipse docebit.
O quantum refert quo genercre die.

Liberum arbitrium.

Libertas hominis, cœlo sua jura sereno
Abstulit, & varias non timet illa vices.

Ingenium humanum.

Multiplici natura feras munimine texit:
Plus habet ingenii munere nudus homo.

Mors.

Mors potius subeunda viro, quam turpibus ausis
Candorem vitæ commaculare suæ.

Pœnitentia.

Emendare velis infectos crimine mores,
Despicient animum Numina nulla tuum.

Præmium, & pœna.

Virtutis sectanda via est; vitiumque fugandum:
Præmia digna bonis: pœna parata malis.

Fama.

Quid superest morti? gestorum gloria fatum
Nescit, & hæc cineri postumat una suo.

Victoria animi.

Quod si magnificæ deerunt tibi munera famæ;
Vincere disce animum, tu quoque magnus eris.

PAU-

PAULI JOVII JUNIORIS
NOVOCOMENSIS.

Sub effigie Nicolai Picinini.

HÆc tibi mansuras æterna in sæcula laudes,
Hæc spolia, & victo celebres ex hoste triumphos,
Robur, & astutæ præstanti in corpore vires,
Et populis defensæ urbes, tuaque inclita virtus
Sanguinea peperere solo, fortissime ductor
Ausonidum. quisquam an tanto tibi certet honore
Armorum, ac titulis clari Mavortis, & almæ
Militiæ? Nonne hos oculos, atque ora ferebas?
Nonne sub hoc quondam gladio cecidere volantes
Turmæ equitum, peditumque simul, pulsique tremore
Oenotrii obstupuere duces, atque Itala signa?
At nos exigui miramur corporis artus
Sufficere hoc oneri, & tantos perferre labores?
Scimus & Ismenias bello fregisse cohortes
Sæpius, in parvis victorem Tydea membris.
Ipsa equidem, longe terris Atlante relicto,
Caucaseisque jugis, & cincto nubibus Ossâ.
Laurigerum redimita caput, petit ardua cœli,
Inde alacris sese tollit super æthera Virtus.

In imaginem Cosmi Medici magnifici.

Quid de Sidonio bis tinctam murice vestem?
Quidve manus similem doctas formare figuram?
Artificisque decus tantum admiramur, & artem?

Su-

Suspice grandævi cœlestes oris honores,
Effigiem quicumque vides, & fixus in illis
Tranquillum Heroa, & mixtâ gravitate verendum
Sume oculis, dulcique nota pia lumina vultu.
Non hic insigni gladio per tela, per hostes
Egit equum, aut largo fœdavit sanguine dextram.
Non illi Mars durus erat, non classica cordi,
Verum consilii fœcundum pectus, & alto
Ingenio virtus; qua toto cognitus orbe
Ipse sui columenque fori sanctique senatus
Etruscum decus, & nomen super æthera vixit.
Sed qui honor? aut ulli laus major contigit unquam,
Ingrata quam de patriâ duxisse triumphum,
Adriacis exul veniens revocatus ab oris?
Quæ poterant potiora peti? quam cum modo sævam
Mortem expectabat, diramque in colla securim
Audiret populi tollentem ad sidera vocem,
Expectate veni Patriæ Pater inclite nostræ.

In percussores Galeacii Sfortiæ.

Quis te dira cohors furor? & quæ insania tanta
Impulit, horribili stimulata
Eumenidum rabie, & sævis agitata colubris?
Ut domini nil tale merentis
Corpus in egregium, crudam convertere dextram
Auderes, scelerisque nefandi
Pro laqueo, & meritis pœnis, tibi præmia certa
Sperares, nomenque perenne?
Te non eximii juvenis deterruit alto
Insignis reverentia vultu,
Impia, sed nec te tenuerunt templa, nec aræ,
Nec Superum solemnia sacra.
Non (ut rere) ferum crudeli morte tyrannum
Conficis, at justum, innocuumque
Rectorem Insubri Imperii, cunctisque colendum;
Quo simul una concidit omnis

Spes

Spes Italum, longos semper lugenda per annos;
Scilicet ut nostros populatus,
Urbibus eversis, fines, in viscera nostra
Cum Gallo sæviret Iberus.
Vos vos o Scyllæ, formaque tricorporis umbræ,
Harpyiæque, & vos Gorgones atræ
Ardenti fontes animas immergite Averno
Et Stygio exercete flagello.

In Carolum Burgundiæ Ducem.

Vidisti ut Pyrrhi effigies armata Sarissam
Vibret, & a summo spargantur funera ferro?
Utque ferus Lybicam contorqueat Annibal hastam?
Huc simul ac converte oculos, fulgentiaque arma
Egregii ducis, & late mucrone coruscо:
Inspice turbatos vultus, spirantiaque ora
Martis adhuc tristes pugnas, atque horrida bella,
Hos olim insignes habitus, atque ora gerebat,
Illum sanguineis quum formidavit in undis
Et Liger, & trepidi spectator Sequana belli;
Infractæ Gallorum acies, & Belgica passim
Agmina lethiferæ senserunt fulmina dextræ.
Heu miser, heu nimium pugnandi dira cupido,
Heu laudis vesanus amor! quem Gallia dives,
Belgarumque omnes procerum tremuere cohortes,
Contempsere rudes populi, gens barbara victrix
Funeribus stravit mediis, victumque trophæis
Expolians cunctis, nudumque reliquit arena;
Vix tandem inventus parvâ requiescit in urnâ.

In Caitbbejum Magnum Sultanum.

Si quondam Hesperio, quos misit Bætis ab orbe
Dalmatave, aut Libies Mauris circumsona tellus
Æneadum fasces, Capitoliaque alta tenentes
Obstupuit populus Latialis, & inclita Roma
(Externos quamvis dominos) æquavit Olympo,

Insueta admirans alienæ nomina terræ,
Nonne erit hic etiam toto admirabilis orbe?
Qui genere ex humili Riphæis natus in oris
Adversi fines mundi, rigidamque relinquens
Arcton, Cimmerias ubi Bosphorus asperat undas,
Venerit ad magni septemflua flumina Nili?
Atque ibi serviles habitus exutus, & ora,
Consensuque ducum magno prælatus honore
Tum demum Ægyptum, & Pharias compescat habenas?
Et Syriam quacumque rapax procurrit Orontes
Sceptra tenens late magna ditione gubernet?
Scilicet hæc & virtuti, ingenuoque labori
Conveniunt, namque ille diu in sua damna ruentes
Victor Erythræi depellit litore Ponti
Prædones Arabum: simul & felicibus ausis
Trans fluvium Euphratem, trans pictæ Persidis arva
Cogit Ithyræo gaudentes vulnere Parthos.
An memorem quod Coryciæ prope mœnia Tarsi
Rettulit infesto ex Turcâ sublime trophæum?
An subito oppressa Æthiopum servilia bella?
Sed nec adhuc tanto famæ contentus honore,
Muneribus placet Italiam penetrare, suaque
Laude frui; magno sic vecta per æquora sumptu
Bellua, quam prisci conjuncta voce Camelo
Pardalim appellant, geminum cui vertice cornu
Fulget, & insigni distinctum tegmine corpus.
Felix ille quidem, cunctis qui cognitus oris
Non vitam ferro amisit, sed morte quietâ
Et natus lacrimans posuit sua membra sepulchro.

In Matthiam Corvinum, Regem.

Vos o qui celeri gradu
  Lucum Castaliæ rupis, & ardua
Parnassi juga scandere
  Certatis viridem per nemorum comam,
Qua rivo resonans sacro
  Leni lympha fugax perstrepit alveo;

Aura-

Auratæ cytharæ modos,
Insignemque lyram ponite, ponite;
Si quis posse putat suo
Cantu, & grandiloqui carmine Pindari
Regem Pannoniæ decus
Corvinum meritis tollere honoribus;
Nam si Mæonii senis,
Seu quæ Virgilii Musa canit Deos
Se se reddat ab inferis,
Nec curet Siculæ regna Proserpinæ,
Haud unquam valeat satis
Summis, ceu deceat, tollere versibus
Corvinum egregium ducem;
Quem nec Laurigeri pascet Apollinis
Laus, nec Pierii Chori
Princeps, dulce canens Calliope melos.

In Vitellotium.

Eheu quid faciant, cuiquam homines curve habeant fidē?
Ten' sic negligis? atque ipse tui nil memor, impii
Te imprudens potuisti manibus credere Borgiæ,
Infaustis manibus, sacrilegis, atque nefariis?
Quid si non tibi notissimus usque, & satis, & super
Cunctis ille fuisset rabidus, Barbarus, impotens,
Humani generis pernicies, atque hominum lues?
At non te latuit quid fugiens Cæsaris impetum
Olim dixerit è carminibus Mæonii senis
Pompejus, Pharii quum peteret littora perfida
Regis nave citâ. Non equidem vita ferocibus
Committenda Tyrannis, iter haud tutum ad eos satis,
Dixit; sed mala sors omne animi consilium rapit.

In Ludovicum Sfortiam.

Quantam ruinam præcipiti dabit
Lapsu, tonantis tacta Jovis manu
Turris, quæ ab excelsa minetur

Mole, Deis, medioque cœlo!
Sic concitatus quos rapuit furor
Regni parandi, atque ambitio mala
Evexit ad summum cacumen,
Sæpe ruunt graviore casu.
Nam te quid olim consilium juvat,
Quid cum dolosi pectoris artibus
Astus juvant, atque in periclis
Ingenii experientis usus?
Felix cruento *Sfortia* prœlio
Si concidisses, nec miserabilis
Fœdum exitum vitæ tulisses;
Quum patria, solioque avito
Expulsus, alte in carcere Gallico
Pœnas dedisti; quod nimis improbus
Non tutor, at crudelis hostis,
Præripis imperium Nepoti.
Ergo insolentem pone superbiam;
Qui fidis alti viribus ingensi;
Fortuna sic gaudet jocari,
Vertere quum cupit ima summis.

In Alidosium Card. Papiensem.

Improbior Caco, Lethæque immanior Hydra,
Geryone asperior,
Ille est, Ausoniæ non enarrabilis aulæ
Pestis & opprobrium
Jam tum vulgatum cunctis Alidosius oris;
Quem tamen impavidus
Sustulit Herculeo confossum Feltrius ictu;
Scilicet ut merito
Sublatus terris Stygias inviseret umbras
Tergeminumque canem,
Perpetuas illic pœnas, & sæva daturus
Supplicia: heu miserum!
Te pudor & pietas, & religionis honores
Deseruere simul:

Pro

Pro quibus invidiam & rabiem exercere solebas,
Imperium patriæ
Affectans, tumidi dum te victoria Galli
Erigit, atque putas
Illius auspiciis cuncta exoptata referre;
Sed vetuere Dei.
At vos jamdudum cæso gaudete Tyranno,
Patriciorum animæ,
Et tu cum placido lætare, Bononia, Rheno;
Nam quis erit scelerum
Tantorum inventor, qui tristes improbus iras
Effugiat Superûm?

In Bartholomæum Livianum.

Cæsar eras quondam exectus jam matre perempta
Infans, vitales blandi dum luminis auras
Haurires, cœlum medium Mavorte tenente.
Mox quia te cunctis clarum tua maxima virtus
Fecit, & æternâ vexit super æthera famâ,
Quod te magnanimum, quod fortem pectore, & armis
Contra mille acies, atque agmina millia contra
Hadriaci censere patres, Venetumque Senatus,
Certè non aliud tibi, quam de Cæsare nomen
Sumere debueras; quis enim te dignior illo?
Quum toties validum bello dejeceris hostem,
Et toties referas Veneto victore triumphum?
Testis erit Germana suo cum Cæsare pubes,
Fulmineâ disjecta manu; longeque fugati
Finibus Insubrum Helvetii, gens effera, testes.
Improbus at si aliquis tibi forte objecerit illud,
Ut te pugnandi cupidum nimis impiger olim
Vicerit, inque suo servarit carcere Gallus:
Nesciet heu demens quantum sibi vendicat ipsa
Fortuna omnipotens; non hoc objecerit unquam
Qui sapiens, rerum dominam cognoverit illam.

In Maximilianum Cæsarem.

Vatum Musa decus, Pierium quæ laticem colis;
Tolle, o magnanimum, tolle precor laudibus inclitis
Jam pridem Superum consilio ad sidera Cæsarem
Evectum; cytharâ, dulciloquæ seu fidibus Lyræ
Hunc cantare juvat. Quam juvenem gloria maximis
Factis extulerit, Danubius novit, & impiger
Qui lambit veterum mœnia circumfluus urbium
Rhenus, dum rapidis Oceanum vorticibus petit.
Hunc olim trepidis extimuit Sequana fluctibus:
Regem namque suum, proh pudor, illa inclita Gallia
Spectavit fugientem, Austriacis viribus imparem;
Spectavit fugientem Austriaci Cæsaris impetum,
Findentis gladio perdomitis hostibus agmina;
Qualis quum tumidus prosilit è vertice Vesuli
Vastans arva Padus; seu Boreas quum fremit impotens
Nautas attonitos æquoreis fluctibus obruens;
Vel quum irata Poli porta furens intonat aëre
Sternens templa Deûm fulminibus celsa cacumina.
Verùm Barbaricis jam parilem nil nisi prœliis
Tentare Italiam quippe juvat: miles ab Alpibus
Ductu Cæsareo dira fremens Teutonus evolat.
Novere inde Patres Hadriaci, quàm celeri manu
Moles contuderit flammivomas, & propugnacula:
Quum Verona sui, scuta virum, & corpora fortium
Deplorans Athesis sanguineo volvier alveo,
Spectavit facibus fulmineis spargier omnia:
Tormentoque strepenti indoluit mœnia concuti.
At qui Tusca colunt litora, qua pulcher Etruriæ
Arnus rura rigat; velivoli olim domini maris
Pisani, eximiâ laude canunt illius inclitum
Nomen, justitiâ percelebre, & munificentiâ.
Salve Auguste diu; teque simul magnanimus nepos
Invictus Carolus, perpetuis auctet honoribus,
Ardentis Libyes perdomitor. Nam tua gloria
E splendore suo nobilior fulget; ut aureis
Ex Phœbi radiis pulchra micant cornua Cynthiæ.

In

In tres Duces Familiæ Balionea.

Tres simul Heroas pictor, tria fulmina belli
Pinxit in hac tabulâ.
Hospes summissis genibus ter lumine lustra:
Ter venerare duces.
Gaudeat ut geminis pater inclitus, aspice, natis,
Et pariter gemini
Ut patre lætentur nati; Mavortia pubes.
O celebranda diu
Norica progenies, centum dominata per annos;
Te mea Musa canet:
Nam patrem insigni clarum virtute, maligna
Perculit invidia.
Credulus heu nimium, summisit colla securi
Præsidis Ausonii.
At vos Etrusci (meruit nam sculpiet auro)
Carmine perpetuo
Ductorem vestrum Baleonum tollite ad astra,
Ob patriam, atque domos
Hostibus ereptas, servataque templa Deorum.
Nec minus interea
Egregius toto celebretur Horatius orbe:
Vivite in Elysio
Felices animæ, quorum tenet æthera virtus
Sidere nobilior.

In Pandulphum Petruccium.

Occultine tibi juvere in pectore sensus
Petrucci, tacitæve artes, secretaque rerum
Consilia, atque astûs veteris prudentia solers?
An contecta dolis mendax tibi credita virtus:
Atque humeris pullata diu circumdata vestis,
Nullaque celsa domus. comitum tibi nulla caterva?
Dum tu dissimulans pro libertate tuorum,
Artibus his blandis incautam decipis urbem;

Et patrias leges renovans; socceroque perempto
Arripis Imperium, atque in te jura omnia transfers.
Laude equidem dignum facinus, si numine dextro
Di foveant; aut sors non aversata secundet.
Sed qui te casus, quæ te Fortuna sequatur
Aspice: vidisti numquam tranquilla bis exul
Tempora turbatæ per mille pericula vitæ.
Adde quod & nati, quibus impia Regna parasti,
Convulsi inter se fœde, pars cæsa securi,
Haud vixere diu: regnandi heu dira libido!
Discite mortales contenti vivere parvo.

Pompejo Columnæ.

Virtutem mirata tuam, tuaque inclita facta
Lætata est tanto Roma superba viro.
Virtutem illa eadem indoluit, tuaque inclita facta
Ingenio civis Roma caduca sui.
Sic patriæ carum virtus te fecerat: orbi
Illa eadem ingratum reddidit, & patriæ.

In Basilium Moscoviæ Principem.

Etsi te nullis insignem fama trophæis
Jam Basili sine laude per orbem,
At semper victum referat, semperque subactum
Horribili in certamine Martis,
Sarmata quum toties te fuderit, atque Gelonus
Obruerit tua castra sagittis;
Et tua Regna ferox pubes populata Scytharum
Te patriâ solioque fugarit:
Non ingrata tamen tibi se debere fatetur
Haud meriti immemor Itala tellus;
Namque tuo nobis ignotos munere Moscos,
Et Scythici Borealia cœli
Regna aperis, Tanainque trucem, penitusque repostam
Perpetuis sub nubibus Arcton.

Sed

Sed quid Hyperboreos veterum mendacia jactant
Riphæo sub cardine montes?
Tu Basili nobis cæcam tu discutis umbram,
Nos ideo pro munere tanto,
Rite tuam effigiem Larî veneramur ad undam:
Nomenque immortale sacramus.

In Muleassen Tunetanum Regem.

Linque tuas rupes, & inhospita saxa Celæno,
Infandis Strophadum fixa diu scopulis;
Currite vos aliæ Harpyiæ, furialia monstra:
Non Calais, Zethes non agitator erit.
Huc agite: antiqui renovetur fabula Phinei,
Atque iterum intactas polluite ore dapes.
Oedipus haud fuerat qui fœda ob crimina, lucem
Ipse sibi infensis unguibus eripuit.
Pœnorum ille fuit cunctis notissima labes,
Maurorum ille fuit pestis, & opprobrium.
Nec duro exilio factus miser, atque superbus
Pontificis sanctis oscula dat pedibus.
Eruit huic lumen natus, vel numinis ira,
Illius ut fratres, & pater ultus eat.
Tu tamen his gaudes scriptis Rex Barbare, quòd te
Posse diu credis vivere in historiâ;
Scribitur hæc aliis, ne tam impia facta sequantur,
Utque auctor scelerum in Tartara solus agas.

In Pyrrhum Stipicianum.

Hunc cinerem, & magni saxum venerabile busti,
Et nimis ereptum propere vitalibus auris,
Heroa insignem lacrimis decorate supremis,
Ingentemque animam mœstâ ter voce vocate
Heu Proceres, quibus ardor inest, & gloria Martis;
Quis melius fera bella colat venerandaque jura
Militiæ? tu frange comas & percute pectus
Ipsa tuum, Bellona, manu, validisque lacertis

Ensesque, & galeas, & forti hastilia ferro
Disjice deturbans, immitique obrue ponto
Quidquid in Æoliis excudsit Lemnius oris.
Ille per Elysium, perque umbriferas convalles
Terrenam exutus molem, nostrique laboris
Securus, veteres Phrygas inter, & inter Achivos,
Romulidumque Duces, Romani sanguinis ipse
Nunc acres exercet equos, nunc agmina victor
(Passim pugnaci sternens quæque obvia dextra)
Proterit, atque hostes cogit dare terga sequenti.
Sed quid in Elysio prodest victoria campo
Ausoniæ? quæ mæsta diu sarcire ruinas
Hoc duce sperabat. Cimbros non illa furentes,
Aut sævum duris Gallum extimuisset in armis:
Obsidio, & rerum tristis penuria testes.
Ille animum invictum numquam in discrimine sui
Dejecit, dum se crudeli traderet hosti:
An se jactabit Casilini gloria tantum,
Extremamque famem perpessa Petilia quondam?
Nunc gemat Ausonia (& certe hæc est ira Deorum)
Vos Manes gaudere pii, sanctumque per altos
Fortunatorum saltus, sedesque beatas
Ferte Ducem, celsumque humeris imponite vestris;
Et tantam magno virtutem extollite cantu.

Sub effigie Caroli V.

Devictas Turcarum acies, Libyenque subactam
Milite Cæsareo victrix quum viderit Arctos,
Undantesque procul Pœnorum sanguine campos,
Proluit horrenti, quos Bragada concitus unda;
Quumque minor genibus latis Germania terris:
Atque tuas totus sub leges iverit orbis;
Undique te canimus vates permaxime Cæsar:
Præsentique tibi meritos largimur honores.
Hic te monstrari populis gens Itala mavult,
Quàm tua si Parii sublimis mole colossi
Effigies mediis latè caput inferat astris.

Nam

Nam lapides, atque æra cadunt, quibus imber, & ignes
Officiunt, longique vorax injuria secli.
At te olim Cæsar cœlestia tecta tenentem,
Complentemque tuo felici nomine terras,
Et tum etiam Lybiæ populis, Turcæque timendum
Ante alios longè mirabitur alta vetustas.

Ferdinando Regi Romanorum.

Te quoque nubiferas qua Larius alluit Alpes,
Tot claras inter Regumque, Ducumque tabellas
Litore lunato Musea palatia servant
Spectandum populis, Rex augustissime Regum.
O vere egregium cunctis decus addite terris,
Quam bene Pannonii cura est tibi tradita regni!
Scilicet ut Duce te, nostris quandoque superbum
Finibus arceri speremus posse tyrannum;
Qui velut immissus silvis arentibus ignis
Quum furit, insano Boreâ spirante, per agros,
Corripit è medio crepitantibus omnia flammis.
At tibi nec virtus; spectataque dextera bello
Defuerit: tandemque tuis, sic auguror, ausis
Converso felix studio Fortuna favebit.

In Cosmum Medicem Florentinum Principem.

Qualis Hyperboreo lætus Gradivus in orbe
Fumantes quum solvit equos, sudantiaque ora
Strymonis in ripâ victricibus abluit undis;
Jam furor, & rabies armorum, iræque, minæque
Belligero cecidere Deo, tranquillus inerrans
Ore rubor placido signat sua lumina vultu;
Ille sedet lustrans oculis, & mente benignâ
Armiferam Thracen, defensumque hostibus Hebrum
Prospicit, & Geticæ secura mapalia terræ;
Tum Veneris blandum pertentant gaudia pectus.
Talis magnanimi divino lumine Cosmi
Ante alias longè radians effulget imago,

Ingentesque gerens humeros, augustaque membra
Effigies ullum numquam peritura per ævum,
Vertice nudato celsum caput exerit armis;
Sidereosque oculos, regalia lumina vibrans
Pacatam sese populis spectantibus offert.
Ceu cum deposito magnarum pondere rerum
Olli tranquillam demulcent gaudia mentem,
Ingenti cum jam ceciderunt monstra ruinâ
Qua se devicto mons Murlius erigit hoste;
Quum jam læta suo felix Duce Flora quiescit,
Atque Etrusca salus tanto sub Principe tuta est.

JULII JOVII

NOVOCOMENSIS.

Joannis Medici.

PRincipis Etrusci genitor fortissimus Heros,
Qui nova belligeri gloria Martis eras:
Barbara gens vidit quantum pollebat in armis
Vis tua, quæ semper terror in hoste fuit.
At te equidem constat percussum fulmine, fato
Italiæ potius, quam cecidisse tuo.
Attamen es felix Italûm fortissime ductor,
Non quia perpetuos det tibi fama dies.
Sed postquam imperium, tibi quod virtute parabas,
Magnanimæ proli fata dedere tuæ.

In Carolum Aurelianum Francisci Regis filii.

Te fera mors Carole eripuit florentibus annis,
Insubriæ Cæsar dum tibi regna parat.
Illa diu extinctum ingemuit; te sospite nam se
Crediderat tantis posse carere malis.
Insubriæ, & Gallis raperis; majora sed illi
Damna tulit, mœstæ mors tua quam patriæ.

Ferdinando Gonzaga.

Macte animo egregio decus insuperabile gentis
Gonzagæ; quem tanta rapit super æthera belli

Glo-

Gloria, quæ ſtabit claris æterna trophæis,
Auſonios inter proceres, & Martis alumnos.
Sic ſplendore nites, quantum omni ſidere major
Sol micat irradians, totum qui illuminat orbem
Belgica gens, Libyæque urbes, Rhodanuſque ſuperbus,
Arnus, & ingens Danubius, Tybriſque fatentur
Quantum conſilio Fernandus poſſit & armis;
Æternos cui bellipotens conceſſit honores
Militiæ, ut Carolo dignus, dignuſque Philippo,
Inſubriæ regeret juſto moderamine gentes.
Ergo tibi partos invicto Marte triumphos
Suſcipe magnanime Heroum, te celſa fugatis
Hoſtibus aſſequitur celeri Victoria paſſu.
Vive igitur felix, volitans tua nam inclita virtus
Clara per ora virum, celſum conſcendet Olympum.

In Joan. Tarnovium Sarmatam.

Salve ô Sarmaticæ gentis fortiſſime ductor;
Juſtitiâ atque armis, quis ſe tibi conferat unquam?
Quum tua dat ſonitu bellorum buccina ſignum,
Poſcis equos, atque arma gerens in prœlia, turmas
Sternis, & armatos exultans deiicis hoſtes.
Moldaviæ dominum campo congreſſus aperto
Fundis, Sauromatis cladem excidiumque minantem,
Te ſuperis Aſtræa plagis tranſcribit, & ipſa
Jam tibi perpetuos Divûm conceſſit honores,
Sarmata magnanime; agnoſcat ventura vetuſtas
Nullum poſſe tibi ſimilem monſtrarier orbi.
At tu, vivus adhuc, multis dominaberis annis.

JOSE-

JOSEPHI DE JULIIS.

APRUTINI.

Pacis Augurium sub CLEMENTIS X. Pont. Max. Patrocinio.

QUò me furentem, Pegase, quò rapis
Hinc inde vatem? cur juga deserens
Umbrosa, Parnassique colles
Astra quatis fugiente penna?
Periculosas desine pervicax
Librare pennas: imbribus horridas
Tranasse nubes, & Gradivi
Nonne vides tetigisse cœlum?
Jam culmen Ossæ, jam mihi Pelion,
Et fracta telis Acroceraunia,
Hæmusque, Mænalusque, Olympusque
In vacuas tenuantur umbras.
Jam nec gementis litora Bosphori,
Nec quæ per æquor Cycladas innatant
Lustrare fas est, & minantes
Vix datur enumerare rupes.
Quam vos cruento fulmine Bistones
Vertistis Urbem, & non sine lacrimis
Dictæa propugnacla quondam
Intueor tumulata saxis.
Jam quæ refusis litora naufragus
Tyrrhenus undis lambit, & Adria,
Spectantur, apparetve latè
Roma ferox per amœna Tybris.
Tumultuosis cur micat ignibus
Discissus aër? quis fragor intonat
Ab arce læva? cur boatu

Tes-

Terribili ſonuere valles?
Cur æſtuanti vortice perſtrepit
Per arva flavus Tybris, & horrido
Non auſpicatas imbre voluit
In pelagum violenter undas?
Cur Vaticanum vocibus inſonat
Plauſuque culmen? qui Capitolio
Tolluntur arcus? an triumphos
Roma Ducum memorare gaudet?
Hinc inde fuſis aſtra tonitruis
Plauſere; Divi vota precantium
Senſere, promiſſumque Romæ
Alterium dedit urna ſidus.
Hinc bella, Mavors, hinc procul exulent
Furoris ignes, & furor improbus
Contempta cernens arma, morſu
Odryſias lacerer ſagittas.
Euros, & Auſtros Hæreſis incitet,
Fluctuſque tollat: Sidera Principis
Sedant procellas, Vaticanæ
Facta ratis Cynoſura felix.
Jam nec Gradivi tela videbimus
Vaſtare terras, regnaque Belgica,
Non conditi aptabuntur enſes,
Nec rabidus fremet arma miles.
Jam nec tumultu Sequana bellico
Vexabit urbes, nec Tagus aureas
Trahens arenas, ſe ſub alveo
Arma timens inimica, condet.
Nec bella miſcet, nec ferus Italas
Mars occupatas ſeditionibus
Spectabit oras, nec cruenta
Eridanus properabit unda.
Sulcare tutis æquora puppibus
Nautam juvabit, non ſine gloria
Clementis, & ſpreviſſe ventum
Auſpicio meliore flatus.
Pallete, Thraces, queis ſuper impia

Cer-

Cervice pendent fulminis impetus,
Pallete, consurgit daturus
Excidii genus omne Clemens.
Armare vultum non penetrabili,
Et membra ferro quærite milites,
Nullisque Vulcanus sub antro
Arma struat penetranda telis.
Nil arma prosunt, mœnia Bistonum
Vastata ferro, Cretaque sub jugo
Demissa si lugent, & agri
Sanguineas peperere fruges,
Luenda pœna est; Threicii canis
Clemente mœsta clade iterabitur
Fortuna; quæsitamque palmam
Christiadum resecabit ensis.
Ægæa, Traces, ibitis, ibitis,
Non usitatis per freta navibus,
Ducente puppes & Favoni,
Et Zephyri recreantis aura.
Turgebit æquor, nec Tethys abnegat,
Eurique pontum flabra videbitis
Miscere, dum Clementis astra
Fulmineos minitantur imbres.
Pallete Thraces; jam videor rates
Videre quassas, & sine puppibus
Errare, disiectasque ventum
In pelago tumulare classes.
Hæc bellicosis funera Thracibus,
Prædico. Clemens maxime Principum
Regnabis, o tutela præsens
Ausoniæ, columenque Romæ.
Te victor orbis, te Tagus aurifer,
Et nil paventis littora Galliæ,
Te Scotus asper, te Gelonus,
Et gemini venerantur orbes.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO QUINTO.

A

Ænigmata pag. 303. 304.
Albertanus Albertus 355.
Allidosius Cardinalis Papiensis laudatus 434.
Amans redux 260. *discedens* 262.
Ammanata Laura Battiferra 349.
Amoris descriptio 262. *Deos vincit* 264. 376. 377. 385. *ejus potentia* 264 *fugiendus* 332. *ad amorem deprecatio* 378 *queritur a Venere* 385. *Jovem minatur malum* 386. *definitio* 426.
Angelius Petrus laudatus 351.
Anni tempora 107.
Antimachus M. Antonius 379.
Antonius Flavius 392.
Aqua potio vituperatur 140.
Aquila Catharina 394.
Arcosta Diana laudata 388. 389. 390. 393. 395.
Athila Rex Hunnorum 231.
Aucupium descriptum 257.
Avium varia genera 403. 424.

Aurelianus, Carolus Francisci Regis filius 443.
Aurora descripta 260.
Aurum. V *Divitiæ*.
Austria Margareta laudata 131. 132. 133.

B

Balionea Familia tres duces pag. 437.
Bandellus Balthasar 393.
Barbadicus Augustinus laudatus 151. 286.
Barbovius Theodorus 328.
Bembus Petrus, ejus obitus 237. *laudatus* 388.
Berardus P. Joannes Soc. Jes. 324.
Bereguarda Anna 390.
Bibliotheca Urbis Romæ 222.
Bolognetus laudatus 346.
Bracciolinus Franciscus poëta 292.
Bramans architectus 195.
Burgundiæ Dux Carolus 431.

C

Cælius Calcagninus laudatus pag. 388. 394.
Caithbejus Magnus Sultanus 431.
Calvus Franciscus Julius 419.
Campegius Joannes Baptista 342.
Canum cura 70. *natura, & stirpes* 71.
Cardenius Carolus Acerrarum Comes 334.
Cardinalatus dignitas descripta 238.
Carmagnola Franciscus 234.
Caroli V. Imperatoris effigies 440.
Carolus Burgundiæ Dux 431.
Carporum fabula 84.
Christi Natalis Ecloga 152.

Col-

Colloredus Martius 283.
Columna Livia laudatur 131. 134. *Victoria* 134. *Prosperus* 366. *Pompejus* 438.
Consalvus Magnus 366.
Convivium descriptum 403.
Cornelia Clara laudata 150.
Cortesius Hernandus 132.
Corvinus Matthias Rex 432.
Cotta mortuus defletus 76.
Cræsus Rex 276.

D

Damiana Delia pag. 393.
Dantis laudes 415.
David Propheta 153.
Diana ad venationem procedens descripta 397.
Diogenes Cynicus 276.
Divitiæ contemnendæ 276. 278. 279.
Dona parva Dii non spernunt 97. 378.
Donum malorum aureorum, atque carporum 84. *canum* 97.

E

Ecelinus tirannus vituperatur pag. 232.
Ecloge 102. 152. 294.
Effigies Athila Hunni 231. *Totila* 232. *Martini Turriani* 232. *Canis Scaligeri* 234. *Andreæ Gritti* 235 *Medea* 276. *Temporis* 277. *Jo: Vincentii Imperialis* 417. *Nicolai Picinini* 429. *Cosmi Medici Magnifici* 429. *Caroli V. Imperatoris* 440.
Epitaphium Francisci Marii Molsæ 111. *Catellæ* 291. *Donati cujusdam* 291. *Eleonoræ Magni Ducis E-*

truriæ filia 292. *Anna Bereguarda* 381. *Canis* 391. *Jo: Manardi* 391. *Delia Damiana* 384. 393. *Balthasaris Bardelli* 393. *Cœlii Calcagnini* 379. *M. Antonii Antimachi* 379.
Epularum varia genera 403.
ad *Eridanum fluvium deprecatio* 130.
Estensis Hercules 382. 385. 387. 388. 389. 390. 392. *Alfonsus* 392. *Renata* 383. 394.

F

Farnesius Octavius laudatus 133. *gemini Farnesii laudati* 134. *Horatius* 134. *Alexander* 97. 100. 273. *Victoria* 110.
Ferdinandus Rex Romanorum 441.
Ferrinus Bartholomæus 380.
a *Filicaja Vincentius* 358.
Flaminius Marcus Antonius 91.
Florimontius Galeatius 91.
in *Fontem* 269.
Fortunæ non fidendum 383.
Fracastorus laudatus 237. *filios mortuos deflet* 79.
Fregosius Cesar 86. *Janus* 110.
Fulminis ruina descripta 433.

G

Gabrieliorum suburbano Leo verniculati operis reperitur pag. 418.
de *Gallico morbo* 1.
Ganimedes 386.
Gibertus Jo: Matthæus 84. 112.
Gigans Antonius laudatus 413.

Gon-

Gonzaga Ferdinandus 443.
Gotius Georgius 354.
Gratianus Fabius occisus in bello 288. 289.
Gratiarum actio 371.
ex *D. Gregorio Nazianzeno carmen translatum* 347.
Grittus Andreas laudatus 235.
Guarinus Alexander 381.
Gyraldus Lilius Gregorius 384. *Jo: Baptista Cynthius* 380.

H

HArpasti ludus pag. 363.
Helena 261.
Hercules in expeditione Jasonis 258.

I

JAsonis expeditio descripta pag. 258.
Imperialis Jo: Vincentius 416. 417.
Innocentius XI. Pont. Max. 312.
Jovius Paulus 231. 234.
Jozola Euphemia 130.
Julii II. Pont. Max. iter 408.
Julius III. Pont. Max. 102.
Juppiter ab amore superatus 376. 377. *in Cygnum versus* 394.
Justinianus Marcus Antonius Venetorum Dux 312.
Iguvii descriptio 418.

L

LÆda ab Jove compressa pag. 394.
Lauretana ædes laudata 137.
Laus Medici 77. 112. *Cardinalis* 100. *strenui ducis* 233. 234 235. *poeta* 237. 238. 338. 413. 415. *Imperatoris exercitus* 286. 288 *Mulieris Musas celebrantis* 350. *Judicis* 355. *Oratoris* 356.
Leo Quartus Pont. Max. urbem Leoninam Romæ addit 174.
Leo X. Pont. Max. 156. 230.
Lipomanus Joann. Prætor Veronensis laudatus 111.
Litteræ amici desideratæ 354.
Livianus Bartholomæus laudatus 435.
Loxænus Georgius 394.
Lucretia Romana 396.

M

MAccius Sebastianus pag. 398.
Madrutius Aliprandus 96.
Manardus Joannes 391.
Mariæ Virginis laudes 297. 316. 331.
Maximus Joannes Baptista 416.
Maximilianus Cæsar 436.
Medusæ effigies 216.
Medicinæ artis laus 83.
Medices Leo X Pont. Maxim. laudatus 156. 230. 280. 281. 282. *Eleonora Ferdinandi Magni Ducis filia* 292. *Laurentius Princeps* 293. *Cosmus II. Magnus Dux* 293. *Josephus Octaviani Princeps* 294. *Cosmus Primus* 351. 368. 441. *Joannes*

nes 443. *Laurentius Junior* 414. *Cosmus Magnificus* 429.
Mendocia Maria 132.
Minerva ex Jove nata 87.
Moises Legislator 153.
Molsa Franciscus Marius 111.
Montalvus Orontius 321.
Montanus Joannes Baptista 112.
Moscovia Princeps Basilius 438.
in *Morte Cotta Poëta* 36. *Marci Antonii Turriani* 75. *Filiorum Hieronymi Fracastorii* 80. *Aliprandi Madrutii* 96. *Pastoris* 106. *Ascanii pueri* 131. *Horatii Farnesii* 134. *Pompei occisi* 135. *Francisci Ghisii Ducis* 145. *Augustini Barbadici* 151. 286. *Petri Bembi* 237. *Juliae* 269. *Fabii Gratiani* 288. *Ludovici Paulucci* 289. *Catellae* 291. *Ascanii Philamarini sub nomine Thyrsidis piscatoris* 309 *Orontii Montalvi* 321. *Marchionis Piscariae* 367. *Filii Antonii Gravinae* 367. *Cosmi Medices Magni Ducis Etruriae* 368. *Jani Pannoni* 375. *Alfonsi Estensis* 383. V. Epitaphium.
Muleasses Tunetanus Rex 439.
Mundi creatio 80.
Musa levat miseros 75.
ad *Musas coelestes* 382.

N

Natalis dies pag. 110.
Natura arcana 92.
in *Navis inventorem* 258.
Naupactiaca Victoria 147.
Noctis descriptio 246. 262.
ad *Nubes deprecatio* 139.

O

in Occasionem ex Græco pag. 380.
Occidens Sol. V. Sol.
Oriens Sol. V. Aurora.
Orpheus fuit in expeditione Jasonis 258. Euridicem plorat 78.
Ovidius correctus 203.

P

PAleottus Camillus pag. 352.
Pannonius Janus laudatus 370. 371. &c.
Parnassus Mons 238.
Parrenottus Antonius S. R. E. Cardinalis 290.
de Partu Margaretæ Austriæ 133. Victoriæ Columnæ 134.
Parvo contentos esse oportet 438.
Pasetbus Prosper J. C. 382.
Pastoris vita laudata 163. 315.
Paulucius Ludovicus 289. Fulvius 290.
Paulus III. Pont. Max. laudatus 130. 131. &c.
Pausylipi laudes 334.
Pax Clementis X. patrocinio parta 445.
Petrarcha parens Etruscæ linguæ 380.
Petruccius Pandulphus 437.
Phaëtontis casus defletus 76.
Philamarinus Ascanius 309.
Philippus Rex Hispaniæ II. 240.
Philosophia naturalis 92.
Phœnix 137
Picininus Nicolaus 429.
Piscatio descripta 257.

Piscium

Piscatoris vita, & Pastoris laudata 315.
Piscium varia genera 422. 423.
Pius V. Pontif. Maxim. laudatus 150. 151. 240. 272.
Poëtarum carmina immortalitatem donant 144.
Poëtis favet Scaliger 234. *varia opera descripta* 373.
Pudicitia laudata 350.
Puella naevum habens in ore 128. 129. *Deas superans* 129. 130. 131. 132. *cantans* 130. *Aurora illi invidet* 131. *illius munus* 132. *Dea* 132. 133 *queritur de absentia conjugis* 257. *radiantem a longe conspicit amans* 260. *crudelis* 263. *mortua* 269. *carmina pangens* 350. *oculis capit amantes* 380. 382. *amorem vincens* 381. *difficilis visu* 354. *urit, & solvit in lacrimas amantem* 377. 382. *pulchra, & saeva* 376. *Venerem superat* 377. 386. 395. *nomine tantum nota* 395.

R

RAinerius Daniel laudatus pag. 82.
Roma a Romulo fundata 159. *ejus antiquitates* 159. *ejus laudes* 160. *ejus reges atque historica* 161. *ejus colles* 175. *ejus Ecclesia* 180. *ejus Bibliotheca* 222. *ejus via* 224.
Ruris laudes 94. 342. 352.

S

SAlviatus Cardinalis pag. 381.
Sannazarus laudatus 366.
Savorgnani Federici duellum 283.

Scaliger Cæsar laudatus 234.
Senectus adventans describitur 136. 358.
Senectus descripta 236.
Sfortia Galeacius 430. *Ludovicus laudatus* 433.
Sigonius Carolus laudatus 356.
Similitudo fluminis 77.
Simulacrum Veneris 382.
Sol oriens. V. Aurora.
Sol Occidens 260.
Solimena Franciscus pictor 300.
Solon legumlator 388.
Spinella Maria e Scalæ Principibus 334.
Steropes 400.
Stipicianus Pyrrhus 439.
Studia litterarum, ac scientiarum enumerata 373.
Syphilidis sive de morbo Gallico 1.

T

TArnovius Joannes pag. 444.
Tassus Torquatus 416.
Temporis descriptio 277. *fugax* 279.
Tormenta bellica 147. *descripta* 400.
Totila Rex vituperatur 233.
Trasimenus lacus 403.
Truchses Otho Cardinalis 365.
Turcæ victi ad Naupactum 147. 269. *in eos fœdus* 151. 240. *amittunt classem* 274. 284. 285. 287. 312. *victi* 305. 390 *vincendi* 419.
Turrianus M. Antonius mortuus 75. *Joannes Baptista* 75. 79. 107. *Franciscus* 94. *Martinus* 94. 232.

Vale.

V

Valesia Margarita Navarra Regina pag. 86.
Valletta Josephus J. Cons. 300.
Venatio descripta 98. 257. 269. 397. *&c.*
Venus Martem, Adonem, & Anchisen amavit 265. *laudata* 377. *e mari orta* 378. *amorem quaerens* 385. *Solonem adloquitur* 388. *ejus statua* 391.
Via Romam ducentes 168.
Victoria Christianorum in Turcas. V. Turcæ.
Vienna ab obsidione liberata 294. 305. 360.
Villa Tusculana descripta 342.
Vini varia genera 404.
Virgilii Musa 433.
Virtus ante aurum 278. 279.
Virtutes enumerata 244.
Vita humana vanitas 347.

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 14.	v. 15.	vinclis	vinclis,
	v. 16.	victorem,	victorem
15.	v. 27.	religione	relligione
19.	v. 7.	bdelamque	bdellenque
23.	v. 27.	fugentia	fugientia
25.	v. 19.	bdelæ	bdellæ
	v. 24.	laſſer	laſer
26.	v. 1.	erodens	erodent
29.	v. 3.	ſatis	fatis
45.	v. 33.	bdelamque	bdellamque
47.	v. 22.	reperit	repperit
50.	v. 8.	regno	regna
80.	v. 17.	confecte	confecto
82.	v. 14.	Hiſter.	Iſter.
84.	v. 10.	*Matthenm*	*Matthaeum*
114.	v. 15.	præſtas	perſtas
285.	v. 32.	mœruit	meruit
290.	v. 14.	*Granuelanum*,	*Granuelanum*
361.	v. 16.	Berſoſque	Beſſoſque
363.	v. 8.	Lauræ;	Laureæ;
364.	v. 15.	fora	fota
	v. 17.	comitate	bonitate
416.	v. 3.	JANUENSIS.	GENUENSIS.
419.	v. 18.	diſtica	diſticha
422.	v. 14.	fluvidis	fluidis
	v. 15.	trudam	tructam
	v. 24.	des	des,
	v. 26.	amor	armor
423.	v. 2.	Larios	Larius
	v. 19.	*Grantinum*	*Griantinum*
424.	v. 25.	*leguleum*.	*legulejum*.
430.	v. 11.	vixit.	vexit.
	v. 12.	qui	quis